

Antilions

4 ♀. ref. 359

(2)

DOMINICI AULISII

J. C. CLARISSIMI,


Et in Neapolitano Gymnasio Juris Civilis
Interpretis celeberrimi,

COMMENTARIORUM JURIS CIVILIS;

DE PIGNORIBUS, ET HYPOTHECIS.
DE BONIS MATERNIS, ET MATERNI
GENERIS.
DE OFFICIO FJUS, CUI MANDATA EST
JURISDICTIO.
DE EBDNO.

DE TRANSACTIONIBUS.
DE VULGARI ET FAMILIARI SUSTI-
TUTIONE.
DE MORA.
DE DONATIONIBUS.
DE CENSIBUS.


TOMUS SECUNDUS.



NEAPOLI, M. DCC. XX.

Apud Nicolaum Nasum Typographum,
Expensis Stephani Abbatis.

SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.



AMPLISSIMO SPECTABILIQUE VIRO,

D. T H O M Æ
M A Z Z A C C A R A,

Regiam Cancellariam Regenti,

OCTAVIUS-IGNATIUS VITALIANUS

S. P. D.



U I de Jurisprudentia recte sentiunt, fatentur omnes utilissimum fuisse Neapolitanæ præsertim Juventuti consilium, quod jam prius suscepi, ut celeberrimi Viri Dominici Aulisii scripta, quæ ad Jurisprudentiam pertinent, lucem aspicerent. Quis enim, cui vel exercitatio literarum, vel ipsa natura, vel studium erga Patriam, vel etiam omnia simul hoc dederunt, ut in judicando excelleret; peregrinos nos atque hospites esse in nostra Patria non affirmaret, si quæ Vir doctissimus ad instituendam tam bene cupidam legum Juventutem scripsit, i dictavit, conservavit, funditus interire sineremus? Sed tunc suscepti hujus consilii rationem, tum incredibilem pene laborem, quo ut iniarem ac perficerem functionem sum, in ea memoravi Epistola, quam Viro amplissimo, atque omni laude dignissimo, D. Gajetano Ar-

gento S.R.C. Præsidi meritissimo inscripti , cum pri-
mum horum Commentariorum Tomum publici Ju-
ris facerem . Vereor autem , ne nimium quis redun-
dantem me, atque Juvenili quadam licentia superfluen-
tem existimaverit , si ultra quam satis est , & longius
quam necesse sit , alte & a capite repetam , quæ semel
commemorasse sufficiat . Itaque omnia hæc præter-
mitto , ex illo etiam capite , quod beneficia in Juven-
tutem Neapolitanam horum Commentariorum edi-
tione collata , ipsamet meminisse debet , in quam col-
lata sunt , non ego commemorare qui contuli : tum
omnem Epistolam ad Te , Vir amplissime , cui hunc
secundum inscribo Tomum , convertam . Duo vero
sunt , quæ me , ut id facerem , impulerunt : primum
magnitudo & gravitas lucubrationum , quæ in lucem
prodibant , quæque idcirco maximi ac gravissimi No-
minis inscriptionem postulabant . Par enim erat , ut
quemadmodum alias in hac re Viro optime de lite-
ris merito Summum Virum Patronum cooptavi ; ita
nunc alium asciscerem , cuius humanitate , doctrina ,
auctoritate Viri defuncti scripta , veluti postumi par-
tus arrogati a Patre clarissimo sustentarentur . Id au-
tem cum in mentem venit , tum statim Tu occurristi ,
Vir ornatissime , cuius humanitas , doctrina , auctoritas
famam constantem , admirabilemque existimationem
sunt consequitæ . Quamobrem , si qua soles benignita-
te oblatum munus accipias , inscriptumque Titulum
permittas , non dubito quin & Cryticorum judicia
ob-

obmutescent , & Te uno acceptante satis omnibus accep-
tum munus existimabitur . Alterum vero , ut id
consilii caperem , summum fuit beneficium , quo non
ita pridem nostram Civitatem complexus es : qua in
re cum communis omnium utilitas atque emolumen-
tum versetur , gratiarum actio popularis dicenda ,
& cuilibet concedenda est . Æquum itaque erat , ut
aliquam nactus occasionem , si minus ad referendas
gratias satisfacere potuisssem , ad prædicandas certe at-
que habendas satis esse facturus . Tantum vero Tibi
debemus , quantum homines homini debere vix fas
est ; postquam cum adeo ingravesceret annona , ut jam
plane inopia ac fames , non caritas modo timeretur ,
diligentissimi quidem Tribuni Plebis sedulitate , sed
ope Tua , consilio , auctoritate , non opinata annonæ
vilitas ex summa inopia & caritate rei frumentariæ
repente consequuta est . Illud quidem magni interfuit
ad salutem incoluntatemque Civitatis : sed nova Tui
magnitudini animi tempestas nunc est oblata atque
suborta formidolosissimi temporis , quod habet Civi-
tatem solicitam suspicione , suspectam inetu , gravissi-
mi timore periculi perturbata in ; teterimæ scilicet at-
que horribilis pestilentia , quæ agrum Massiliensem
vaustum longe lateque reddit atque desertum . Verum
in hoc extremo pene discrimine , in quod adduci pos-
set Civitas nostra , optimum ostendit nobis exitum ,
spemque firmam dat Deus Optimus Maximus , cum
fato quidem divino ac salutari id fecerit , ut in re-
bus

būs hujusmodi ad Civitatis administrationem atque
incolumitatem pertinentibus Regium Præfectum a
summo Regni Moderatore constitutum Te habere-
mus , quem hoc fato natum dixerim , ut ne Te qui-
dem servare posses , quin una serves Rempublicam .
Ea de re agitur , in qua omnis habenda ratio & dili-
gentia est : hæc præcipue colenda est iis , qui Civita-
tem administrant: hæc studiosissime adhibenda: hæc
nihil est, quod ad arcendum tam immane monstrum,
tamque exitiosum malum, nōn assequatur. Sed verba
Viris , ut ille dicebat , virtutem non addunt : quippe
maximam ac pene incredibilem hujus rei curam jam
sustinent excellentissimi Civitatis Curatores: tantam
etiam Tu suscepisti, ut videaris non solum favere no-
bis , sed vehementer esse de nobis solitus. Perge igi-
tur , ut facis , Vir ornatissime , & in eam curam , in
qua es , incumbe ; ut & nobis incolumitati , & Tibi
supremo ornamento , & Reipublicæ conservationi esse
possis . Finem facio Epistolæ ; omitto enim superiora
illa , qualem Te præstiteris in advocationibus, qualem
in Aula Romana, qualem in Magistratibus . Sint hæc
in tuis laudibus prætermissa , non quia commemoran-
da non essent, sed quia intra unius Epistolæ cancellos
concludi commode non possent. Optime itaque fecisse
videbor, quod rerum majorum, quibus ceteræ obscu-
rantur , paulo longiorem sermonem habere potius ,
quam omnes ne primoribus quidem labris , & extre-
mis , ut ajunt , digitis attingere constituerim . Vale.
Prid.Kal. Septemb. M. DCC. XX.

TY-

TYPOGRAPHUS

A D L E C T O R E M.

EN alterum Tomum Commentariorum de variis Materiis ad Jus Civile spectantibus Viri per celebris Dominicici Aulissi Tibi exhibeo. Quanta fuerit industria, & quam improbus labor, ut ex Autographo eruerentur, & ad lucem revocarentur, nisi sciunt, qui Autographum viderunt. Te interim monitum volo, manicas esse quasdam ex Materiis, quas exhibeo, quod doctissimus Auctor ita manicas reliquerit, cum forte occasio dictandi non fuerit; ut quia eam Catbedram, ut ajunt, in Gymnasio Neapolitano non fuerit consequutus, cuius eadem materiae propriæ fuissent, si unquam obtinuisset. Is namque ob eximiam doctrinam primarius Antecessor non multo post evasit, quam ipsi Antecessoris manus in eodem Gymnasio fuerit delatum. Vale.

EMINENTISS. SIGNORE :

LO Stampatore Niccold Nasi supplicando espone a V.Ern. come desidera dare alla luce il *secondo Tomo* dell*Trattati Legali del su Domenico di Autio*. Ricorre per tanto da V.Ern. e la suppli-
ca ordinare la revisione a chi meglio le parerà, ut Deus.

R.D.Nicolaus Pollio U.J. & Sac.Th.B. Doct. & Mag. revident, & referat. Neap. 2. Nov. 1719.

EPISC. CASTELLANET. VIC. GEN.
D.Petrus-Marcus Gypius Canonic.Deputat.

EMINENTISS. DOMINE .

Opus, cui titulus (*il secondo Tomo* dell*Trattati Legali del su Domenico di Autio*), mira
eruditio, eloquentia, ac venustate concinnatum, magna animi alacritate Jussu Eminen-
tiss. Veitrix exolvi. Ecclesiaitice Jurisdictioni, bonis moribus minime contentaneum, mil-
prositus animadvertis. Typis igitur mandari poterit, si ita Em. Veitrix videbitur. Datum Nea-
poli die 13. Julii 1720.

Humillimus, & Obsequientiss. Famulus
D.Nicolaus Pollio U.J. & Sac.Th.Magister.

Attenta supradicta relatione D.Revisoris, Imprimatur. Hac die 29. Julii 1720.

EPICOP. CASTELLANET. VIC. GEN.
D.Petrus-Marcus Gypius Canonic.Deputat.

EMINENTISS. SIGNORE .

LO Stampatore Niccold Nasi supplicando espone a V.Ern. come desidera dare alle stampe il *se-
condo Tomo* dell*Opere Legali del su Domenico d'Autio Lector primario negli Studii di Napoli*.
Supplica pertanto l'Em. S. voglia degnarsi commetterne la revisione a chi meglio le parerà,
per poterne ottenere la solita licenza, ut Deus.

Magnificus U.J.D. Octavius-Ignatius Vitalianus videar, & in scriptis referat.

MAZZACCARA REG. ULLOA REG. ALVAREZ REG. GIOVENE REG.

Illust.Dux S.NICOLAI, & Illust.Dux CANNELONGÆ non interfuerunt.
Spect. REG. MIRO absens.

Provifum per S.Ern. die 9. Augusti 1720.
Mistellonus.

EMINENTISS. DOMINE .

EA, qua parerat, diligentia secundum Tomum Commentarium Juris civilis delliissimi Viri
Dominici Autio, te jubente perlegi: in iisque ficuti sum admiratus summam celeberrimi
Auctoris doctrinam, eximiamque in Jurisprudentia pertractanda peritiam, ita nihil inveni,
quod aut bonis moribus, aut Juri Regio ad certetur: proinde ut typis mandetur, dignum judico,
si ita Em. Tua videbitur. Neapoli Idib.Aug.M.DCC.XX.

Humillimus & Addictiss. Servus
Octavius-Ignatius Vitalianus.

Attenta supradicta relatione, Imprimatur, verum in publicatione servetur Reg. Pragmatica.

MAZZACCARA REG. ULLOA REG. ALVAREZ REG. GIOVENE REG.

Illust.Dux S.NICOLAI, & Illust.Dux CANNELONGÆ non interfuerunt.
Spect. REG. MIRO absens.

Provifum per S.Ern. 19. Augusti 1720.
Mistellonus.

DO-



DOMINICI AULISII

J. C. CLARISSIMI,

De Pignoribus, & Hypothecis;

Ad lib. XX. Pandectarum. Tit. I.

C o m m e n t a r i u s :



Uo sunt, quæ Pignoris, & Hypothecæ veluti parentes fuere, eorumque usui tam frequenti dedere causam & originem, perfidia, & paupertas, quarum illa est Animi vitium, hæc Fortunæ. Nam debitores alienam pecuniam recipiendo, cum eam deinde statuto tempore non redderent creditor, vel quia nolebant, vel quia non poterant, factum est, ut creditor, quo sibi alteri res suas non crederet, nisi vel pignus ab eo acciperet, vel certe fundos hypothecatos haberet. Quod postmodum observari cœpit, non solum cum viris, quorum fides, vel opes suspectæ, sed etiam cum ceteris omnibus, qui solvendo, vel spectatæ fidei essent. Unde illa Martialis querela:

*Quod mibi non credis veteri, Telefina, sodali,
Credis colliculis, arboribusque meis.*

Quinimmo facile fidejussoribus, aut sponsoribus fides non habetur, & vulgo dicitur, melius est rei incumbere, quam personæ. Cum ergo hodie ob magnam temporum infelicitatem, opes cuiusque mirum in modum attritis decrescant: & econtra perfidia quotidie magis magisque augescatur, consequens est, ut hujus tractationis de Pignoribus, & Hypothecis Magnus & frequens usus sit: quo enim morbi magis increbescunt, eo etiam remediis magis indigemus. Ex re nostra igitur futurum spero, si quæ difficultata in

A

hoc

hoc Pandectarum titulo occurunt, explanavero: premissis tamen iis, quæ ad Rubricæ majorem intelligentiam conducunt.

De nominibus, & definitionibus Pignoris, & Hypothecæ.

Plurima funt, quæ circa hæc nomina disputat Salmasius *de mode usurarum cap. 12.* Nos breviter dicimus vocabulorum significaciones vel ab usu Scriptorum, vel populi esse desumendas. Itaque cum res mobilis creditorū traditur, ut eam in crediti securitatem possideat, id Latinus dicitur *Pignus*, & Græcis ἐπέχεψε: si vero res soli ob eandem crediti securitatem obligatur, id Græcis, & Latinis vocatur uno nomine hypotheca, ὑπόθεκα, quod *suppositionem* significat. Vide Pollucem lib. 3. cap. 9. Et hæc distinctio patet cum alibi passim in Jure nostro, tum præcipue in hoc titulo, & in l. si rem alienam, §. nos solum, ff. de pign. art. 1. p. cbs. §. pignus, ff. de verb. sign. II. *Pignus* quandoque generatim sumitur prout ad res etiam immobiles adaptatur: nam *pignus* insulæ habetur in l. 1. ff. in quibus causis *pignus*: & *fundus* dicitur *pignus*, l. 39. ff. de pigneratio art. E contrario hypotheca etiam de re mobili solet accipi, ut apud Demosthenem in oratione contra Lacritum. Et hoc sensu nulla est differentia inter pignoris nomen & hypothecæ: unde in l. 16. ff. mandati, quod prius dictum fuit *hypotheca*, deinde vocatur *pignus*: & hoc demum sensu capiendus est Marcianus in l. 5. hoc tit. cum ait, inter *pignus* & *hypothecam* nominis sonum tantum differre: & in §. item serviana, Institut. de actionib. dicitur, inter *pignus* & *hypothecam*, quantum ad actionem hypothecariam attinet, nihil interesse, sed in aliis differentiam esse.

Quoniam vero hypotheca græce, ut diximus, suppositionem denotat, hinc in nostris legibus saepè verbum *supponere* usurpatum pro hypothecare, ut in tit. ff. de reb. eorum, qui sub tutela, vel cura sunt, sine decreto non alienandis, vel supponendis: quod Latini etiam opponere dicunt, ut cum Seneca lib. 7. de beneficiis, ait, *Rebus meis in securitatem creditoris oppositis. Notandum etiam in Jure feudali pignus dici gangeriam*, ut in cap. 1. de feudis, quæ vox Theutonica est, ut ibi gl. notat: unde apud nos *pignus*, seu obles dicitur *gaggio*, & *ingaggiare* est de re aliqua opposito pignore contendere, seu spondere.

Itaque *pignus* & *hypotheca*, quatenus res diversas sibi subjiciunt, diversas etiam sortiuntur definitiones. Nam Isidorus lib. 1. orig. cap. 25. ita hypothecam definit: *Hypotheca est, cum res aliqua commodatur sine depositione, postea, vel cautione sola interveniente. Ubi verbum commodatur perperam positum est; nam cum quid commodatur, tum ejus rei usus in aliud transfertur, ut patet in tit. DD. & C. de commodato: quod utique non accedit in hypotheca; nec melius idem Auctōr ibidem Pignus*

ita

ita definit: *Pignus est, quid præter rem creditam obligatur; ejus posse fessiōnem solam ad tempus consequitur creditor: ceterum dominium penes debitorem est.* Quæ definitiones præterea peccant ex eo, quod in hypotheca nulla rei stabilis, in pignore nulla rei mobilis mentio fit. Itaque ita melius definitur. Hypotheca est, cum fundus obligatur creditori, possessione, & dominio apud debitorem remanente. Pignus est, cum res mobilis obligatur, cuius possessionem solam ad tempus creditor consequitur, dominio apud debitorem remanente. Quæ definitiones sat is per se claræ ulteriorē explicatiōnem non exigunt.

Hinc tamen descendunt nonnullæ inter pignus & hypothecam differentiæ. I. est præscriptionis, nam hypothecaria actio temporis lapsu præscribitur a debitore, hoc est spatio 40. annorum, *i.e. cum notissimi, §. 1. C. de præscriptionibus* 30. actio vero, quæ pro pignore præstatur, a debitore nequit præscribi, cum ab ipso creditore pignus possideatur, *gl. in d. §. item Serviana, v. nibil interest.*

II. Ex nonnullorum opinione est circa cautionem. Nam si quis se idonee cavere promittat, quia illud, *idonee*, addidit, cavere obligatur datis pignoribus, ex *l. si mandato* 59. §. fin. ff. *mandati*, ubi dicitur, non videri mandati conditioni paritum, cum in mandato adjectum est; ut idonea cautio a debitore exigeretur, si neque fidejussor, neque pignora accepta sint. Concordat textus in *l. 4. §. si sub conditione*, ff. *de fideicommiss. libertatib.* Quærerit ergo *gl. in d. §. fin. v. neque pignora*, quid dicendum sit, si non pignus, sed hypotheca accipiatur? Et respondet per eam quoque idonee caveri, & probat ex hoc, quia si Jurisconsultus ibi ait idonee caveri etiam per fidejussionem, Decius *conf. 1. num. 3. & seq.* Surd. *dec. 3. 20. num. 8.* ergo etiam idonee, & multo magis cavebitur per hypothecam: quia per hypothecam incumbimus rei, per fidejussionem vero personæ.

At post alios Negusant. *de pign. par. 1. num. 6.* contra glossam putat, per solam hypothecam bonorum non idonee caveri, quia textus in *d. §. fin.* solum de pignore meminit. Sed facile respondetur ex jam supra notatis, nempe pignoris nomen quandoque generaliter sumi etiam pro rerum stabilium hypotheca, *l. i. ffin quibus causis pignus, l. 39. ff. de pign. act.* Quare hæc differentia, quæ hoc casu inter pignus & hypothecam statuitur, nulla est.

III. Distant in actionis exercitio; nam qui sui debitoris bona sibi habet hypothecata, non aget contra extraneum eorundem bonorum possessorem, nisi excusso principali debitore: quod secus est in creditore sub pignore, qui ad excusationem non obligatur, sed potest recta contra ipsum pignoris detentorem agere, Negusant. *loc. cit. num. 7.*

Tandem distant ob utilitatem, quia magis creditori cautum est ex pignore, quam ex hypotheca, cum pignus in ipsius manu sit; hypotheca vero persequi in judicio debeamus, & judiciorum incertus est even-

4. DE PIGNORIBUS;

tus, Mantica de tacit. lib. i i. tit. i. num. 3.

Hinc illa resolvitur quæstio , num scilicet statutum , seu nova lex , quæ de pignore loquitur, trahi possit ad hypothecam? veluti cum Hebræis conceditur , ut licet sub pignore mutuam pecuniam dent , possint tamen fœnerari : hoc est , ex pecunia sub pignore credita usuras exigere ; solet enim dubitari , utrum hujus legis vi etiam cum hypotheca adest , fœnerari possint , præsertim ubi Hebræis bona stabilia possidere interdictum non est , juxta extræ. Pauli III. & Pii V.

Et placet hoc & simili casu sub pignoris nomine etiam comprehendendi hypothecam , & speciatim de Hebræis , quod tunc Felinus in *cap.cum in aliquibus num.3.de sententia & re judic.* Rebuffus in *I.pl.bs. §.pignus, ff.de verb.signif.* Mantica de tacit.lib. i i. tit. i i: & post Negusantium, tenet Merlinus *lib. i. hoc tit. qu.3. & 16.* Et patet , quia , uti expositum est , sub pignoris nomine etiam hypotheca comprehendenditur : unde in *I.si creditor, ff.de distracti.pignoris* , cum creditor pignus vendiderit hoc. pæcto , ut liceat sibi reddere pecuniam , & pignus recuperare ; Julianus respondit , recte distractum esse pignus ; ceterum a debitore agi posse cum creditore , ut si quas actiones habeat , eas sibi cedat , quo facto , debitor ipsi emtori reddet pecuniam , & pignus consequetur . Quamvis autem Julianus id de pignore tantum tradidisset , Marcianus ait idem circa hypothecam esse ; ea quippe ratione , quia nullum his casibus videtur esse discrimin inter hypothecam & pignus . Ergo cum statutum in dubiis a Jure communi interpretationem accipiatur , recte sub pignore hypotheca comprehendendi dicetur . Ita licet consuetudo Neapolitana excludens a successione fœminas , loquatur de patre intestato , tamen in foro receptum est , locum habere etiam cum pater intestabilis decedit ; quia de Jure communi sub intestati nomine pariter intestabilis comprehendenditur , *I.4. ff. qui petant testores, I. qui duos, ff.de reb. dubiis, I. i. ff.de suis & legit.* Addere possumus , in statutis eadem ratione licitam esse extensionem de casu ad similem casum , Rolandus *conf.72. num.39. & seqq.* Mangilius *de imputat. qu.66.*

Contrarium tamen docuere Abbas in *d.cap.cum in aliquibus num.6.* Bartolus & Salycetus in *I.si rem alienam, §.proprie, ff.de pign. att.* Arctinus *conf.125. num.3.* ea maxime ratione moti , quod proprie loquendo pignus distinguitur ab hypotheca : constat autem in statutis stricte & proprie verba esse accipienda , Gratianus *discept. forens. cap.267. num.25. & cap.275.num.4.* Sed facile respondeatur , pignus in genere comprehendere etiam hypothecam , ut probatum est : ergo proprie dicitur etiam de ipsa ; nam genus proprie prædicatur , & dicitur de suis speciebus ad differentiam verbi analogi . Ita adoptionis nomen generaliter dicitur de arrogatione & adoptione in specie .

Id ipsum , quod de statuto diximus , est in ultimis voluntatibus ; nam si exempli gratia testator pignorari sua bona prohibeat , prohibita paritee cen-

censetur hypotheca sive tacita, sive expressa, Seraphinus decif. 757. num. 3.

De divisione Hypothecæ.

Hypotheca vel est generalis, vel specialis. At specialis pluribus modis concipi potest.

I. Si quidpiam in individuo obligetur, veluti oppignerō tibi fundum Sempronianum, *i.e. ff. hoc tit.* quandoquidem apud Jurisconsultos species dicitur, quod logici individuum vocant, sicuti genus ipsius est, quod aliis species: sic ergo fundus genus est, fundus Sempronianus species.

II. Specialis etiam dicitur, cum certum bonorum genus creditori supponitur, veluti obligo ædes meas omnes, vel servos meos; quamvis enim de individuis nulla expressa mentio habita sit; tamen ex fictione legis singula corpora enumerata intelliguntur, *Mantica d. lib. 11. tit. 2. num. 10. & patebit ex his, quæ jam sequuntur.*

III. Eadem ratione est etiam specialis, cum quis omnia bona *præsentia* obligat, nihil exprimendo de futuris, addendo tamen *præsentia*. Patet id ex *t. & que, §. 1. ff. hoc tit.* ubi generalis hypotheca dicitur, cum oppignerantur bona, quæ quis nunc habet, & quæ postea acquisierit: contra vero specialis hypotheca asseritur ea, qua quis bona, quæ nunc habet, obligat, ut ibi advertit *gl. v. specialiter*, Negus. in hoc trād. memb. 3. num. 1.

IV. Ex quorundam sententia inter speciales hypothecas habetur, cum omnia & singula bona debitor obligat, etiamque addat *præsentia* & *futura*: propterea quod verbum, *singula*, in singulis rebus specialiæ hypothecam inducit, *Cyriacus controv. 10. num. 68. Cravetta cons. 381. num. 4.* Unde illud, *singula*; habere vim specialis expressionis, potat post alios Barbosa de claus. claus. 96. & habere vim divisivam, prorsus ut singula divisiæ obligata censeantur, ait Gadriel *cons. 144. num. 69. lib. 2.*

Id tamen ita universaliter assertum, falsum mihi videtur ex his, quæ traduntur a Cajo in *d.l. & que, §. 1. ff. hoc tit.* ubi ait, quod si specialiter rebus hypothecatis, deinde addatur, & cetera bona debitoris teneantur, quæ nunc habet, & quæ postea acquisierit, intelligi *præsentia* specialiæ hypothecæ subjecta, *futura* non item. Et ratio est, quia cum futura speciatim, seu in individuo demonstrari non possint, neque etiam poterint specialiter hypothecari. Lex enim imitatur naturam, & ea, quæ possibilia sunt, ut patet in adoptione, quam non permittit, nisi ei, qui major aetate sit, quam filius adoptandus, & in retroactione, que conceditur in legato conditionali, locum vero non habet in legato in diem: ea ratione, quia sieri potest, ut conditio eveniat tempore, quo moritus testator: quod non est in legato in diem, ubi dies

fr.

fixa est : quare non nisi sub generalem hypothecam venient . Hoç etiam eadem de causa videtur dicendum in casu nostro , nempe cum omnia & singula bona præsentia & futura oppignerantur , ob verbum , *singula* , præsentia specialiter , futura vero generaliter hypothecata intelligentur . Quare nec Surdi sententiam *conf.331.* admittere possumus , qui etsi neget per verbum *singula* semper induci specialem hypothecam , concedit tamen quoties præcedit generalis dispositio , veluti dicendo , *Bona omnia immobilia , mobilia , & singula eorum* : quod etiam voluit Salycetus in *l. qui absenti , num.5. ff. de acq. poss.* Fusar. *quaest.674. num.12.* aliique . Quod falsum est , quia semper præcedit etiam in isto casu ratio *text. in d. l. & qua , §.i. ut consideranti patet.*

Generalis itaque hypotheca est , cum debitor eas etiam res , quarum dominium est adepturus , obligat . Nam postquam utilitas pignorum irrepit , multa in ipsis utilitatis publicæ gratia recepta sunt , que alioqui ex summa Juris ratione recipi non potuissent , *l. scd an via in fine . d. si Titio , ff. hoc tit.* Inter cetera & illud est , ut futurarum etiam rerum obligatio valeat ; ita enim fit , ut etiam illi , qui minus locupletes existimantur , facilius inveniant creditorem , si modo pro diligentibus patribus familias habeantur , quos sperari possit aliquid postea sibi acquisituros , ut bene semper de civibus suis legislator civilis sperare solet , *l. ip. bello , in princ. ff. de captiuis , l. de hereditate , §. filius fam. in fin. ff. de castr. pecunio.*

Geterum de Jure antiquo hæc generalis hypotheca solum contrahi intelligitur , cum expresse quis bona etiam futura obligat , *Faber ad l. i. ff. eod.* At de Jure Justinianeo , qui generaliter bona sua omnia pignori obligat , hoc ipso etiam futura obligasse creditur , *Lult. in fine , C. quaes res pignori* . Eo nempe rationis colore , quod ea generalis bonorum omnium tam præsentium , quam futurorum obligatio , solita esset , ac quotidiana , *d. l. ult. & l. quaes. sondum , §. quod dicitur , ff. eod.* Fuit enim hæc ratio familiaris & acceptissima Justiniano , ut constat ex *l. ult. C. de fiducijs* . Nam si verborum vim & potestatem attendimus , certum est , eum , qui dicit bona sua vel mea , non nisi præsentia significare , *l. si ita , ff. de auro & argento legato.* Unde est , quod DD. omnes fatentur , generali donatio ne bonorum omnium præsentia duntaxat , non etiam futura comprehendendi .

In rebus tamen postea quæsitis vinculum pignoris non prius incipit , quam earum dominium acquisitum sit debitori , *l. si qui mibi , ff. de Jure fisci , l. ult. C. qui potior. in pignore.* Fit enim utrumque in eodem instanti , quia fit potestate legis , quæ operatur in instanti , *l. ult. ff. de condit. inst. l. ventre , ff. de acq. hered. l. si filius , ff. de liberis , & postb. quamvis ordine naturæ & intellectus acquisitio dominii semper præcedat constitutionem vinculi pignoris .*

Sunt autem aliquot inter generalem & specialem hypothecam differentes . I. Creditor , qui ex speciali hypotheca agit super se aliquis , debet in

in judicio docere, eam rem tempore obligationis initæ in dominio debitoris fuisse: quod in generali hypotheca minime exigitur, cum bona omnia quocumque tempore acquisita a die obligationis incipiendo, comprehendantur, d.i. i. ubi DD.

II. Quia debitor magis in speciali ligatur, quam in generali: quare mancipia generaliter obligata manumittere potest, sed non ea, quæ sunt in speciali, l.3. C.de servo pign. dato, Bartolus in I.rom legatam, n.10. ff.de adimendis legas. Redoanus de reb. Eccl. non alien. q.2. c.6. num.14. & seq.

III. Rerum, quæ specialiter obligatae sunt, dominium in alterum non transfertur sed in generaliter hypothecatis secus est, Mantica d.tit.2. num.14.

Dividitur etiam hypotheca in legalem, & conventionalem. Legalis dicitur, quæ nullo contrahentium pacto, sed sola legis dispositione obprivilegium inducit: & hæc licet sit expressa in lege, dicitur tamen quandoque Tacita, respectu contrahentium, qui de ea, contrahendo, nihil expresse meminere, ut in tit. Pandect. & C. quibus modis pignus, & hypoth. tacite contrahabatur. E contrario conventionalis est, quæ contrahentium pacto initur, & propterea etiam expressa nuncupari solet.

Hæ autem hypothecæ in quantum ad effectus sepe æquiparantur, ut nimis sicuti conventionalis hypotheca comprehendit presentia omnia bona, & etiam futura, jura & nomina creditorum, ita quoque legalis, Salycketus in I.affidatis num.4. C. qui potior in pign. Ripa in I.dabismus, §. si quis cum tutor, num. 1. ff.de priv.creditorum.

Dubium tamen est, an hypotheca legalis sileat, & cesset, quando a contrahentibus expressa fuit apposita? veluti si quis habens hypothecam legalem generalem in bonis sui debitoris, deinde de novo acquirat ex pacto expressam specialem: quæri enim potest, num isto casu possit contra bona omnia debitoris agi ex privilegio tacite & legalis hypothecæ? Et Negus. in hoc tract. par.2. princ. membr.4. num.5. negat, quia hominis provisio cessare facit provisionem legis, ut patet in successionibus, ubi causa testamentaria tollit causam ab intestato.

Contrarium tamen verius est, quia cum contrahentes expressam superaddunt contractui hypothecam, non aliud in animo habuisse videntur, nisi ut plenius sibi providerent, & caverent, non etiam ut legis beneficiorerent, extinguendo tacitam legalem hypothecam: quare non est creditor privandus ea utilitate, quam ex tacita generali hypotheca consequi posset. Ita post alios Merlinus lib.1. tit. n. qu.8. num.3.1. Verum de hac re latius infra.

Quoniam vero tacita hypotheca a lege introducitur, ideo nullo causa esse intelligitur, nisi ubi lex eam expresse induxit, Bartolus in I.2. C.in quibus causis pignus, Surd.dec.271. & alii communiter. Tamen apud DD. receptum est, ut aliquando ex paritate rationis possit etiam tacita

induci sine lege expressa. Exemplum esto in Praelato, qui bona Ecclesiæ administrat; docent enim bona istius censeri Ecclesiæ tacite hypothecata pro administratione: quoniam in ipso eadem viget ratio, quæ in Tuto-
re, & Curatore, quorum bona pupillo & minori tacite hypothecata sunt, Muñoz de ratioc. cap.39. num.13. Grat. cons.60 i. n.9. & seq.

Datur præterea pignus, quod vocant Prætorium, cum Judex ob contumaciam Rei ex primo decreto mittit Actorem in possessionem bonorum ipsius Rei, ex *I. non mirum, ff. de pign. act.* & de hoc credunt loqui in *I. si is, qxi bona, §. 1. ff. hoc tit.* Quod crassus error est, ortus ex inscitia linguae Græcæ; nam in *d. §. 1.* legitur Græce *αὐτίχρονσις*, quod post Accurs. Bart. vertit in antiphonam, explicans, quod ut antiphona est id, quod canitur ante Psalmos, ita missio in possessionem ex primo decreto illa sit, quæ Jus Prætorii pignoris in bonis debitoris constituit, antequam ad secundum decretum perveniat, per quod vera possessio in creditorem, seu actorem transfretur. Quam interpretationem merito deridet Ant. Fab. in *Rational. ad d. §. 1.* siquidem ibi sermo tantum est de antichresi, quæ nihil aliud est, quam species quædam pignoris ita constituti, ut mutuum pignoris usum creditor habeat pro usuris crediti, & in vicem usurarum, *I. si pecuniam, ff. de pign. act.* Quod vel sola Græci verbi significatio aperte docet; nihil enim aliud est *αὐτίχρονσις*, quam *contrafructio*, ut quemadmodum debitor fruitur pecunia credita, ita & vicissim creditor fruatur pignore, sive fructus percipiendo per seipsum, sive locando, sive etiam habitando, *I. si ea pactione, I. si ea lege, C. de usuris, I. si servus, C. quod cum eo, qui in aliena potestate, Infist. lib.3. tit. quibus modis re contrahitur obligatio.*

Hoc primum decretum dupliciter sumitur. I. Quando creditor, citato Reo & non comparente in judicium, obtinet a Judice ut immittatur in possessionem bonorum Rei contumacis, causa custodie. Dixi causa custodiae, quia per istud decretum non tribuitur Actori vera rerum possessio, sed tantum detentio, seu, ut vulgo dicunt, tenuta, donec secundum decretum fiat, Bartolus in *I. si finita, § Julianus, ff. de damno infecto*. Vide Tuscum conclus. 283. lit. M.

II. Quando creditor sententiam pro se obtinuit, & vicit, pro cuius sententia executione mittitur a Judice in possessionem bonorum debitoris, tanquam in pignus, prorsus ut non fiat verus possessor, sed detentor tantum, nec fructus faciat suos, Rota apud Durandum dec. 364. Idem est, si a Judice contra debitorem creditori concedatur mandatum executivum, non modo personaliter, sed etiam realiter, quo stante, itur ad bona stabilia, & mobilia debitoris. His tamen casibus pignus potius dicitur *Judiciale*, Cujacius ad rubr. *C. si in causam judicati pignus captum sit.*

Distant hæc duo pignora invicem. I. Quia in Prætorio si debtor contumax in judicio se sistat, refectis expensis, & præstita cautione de stando Juri, & judicatum solvi, pignus resolvitur, nec ad secundum de-

cretum,

cretum , quo vera tribuitur possessio & dominium, devenitur . At vero in pignore judiciali non liberatur debitor , nisi solverit , Durandus d. de- r.ij.364. num.36. & seq.

Distant II. quia in judiciali pignore non transitur ad secundum de- retum , ut in Prætorio , sed proceditur ad ~~sue~~ hastationem , ut plus offe- renti pignus vendatur, Barbosa in *I.ad peremptorium, num.59. fide judicis.*

Ceterum in quantum ad Prætorium pignus quedam notanda sunt ex Guidone de Suzarra in *tract.de primo, & secundo decreto*, nimicum ut locum habeat in illis etiam bonis, in quibus debitor non nisi usumfructum obtinet , sic ut debitori remaneat Jus utendi fruendi , creditor vero fru- Etus colligat : item in bonis feudalibus : in præbendis , & aliis redditibus : tandem in nominibus debitorum , quibus jubet Judex ne solvant , sed deponant , Negus. par.3. memb.2. num.24.

Tandem creditor immisus , si ea possessione cadat , sive sua culpa ; sive aliena , sive fortuito casu , ager hypothecaria ad rem reciperandam ; licet enim debeat creditor incumbere suo pignori , ne aliquam patiatur inde jacturam : tamen si secus acciderit, non amare cum eo agendum est , sed benigne, dando ipsi actionem ad recuperandum, ut dicitur in *I.fin. C. de prætorio pignore* , Cyriacus *contr.77. num.19.* Quanquam ex hoc textu colligunt nonnulli huic creditori impetriri omnia interdicta , quæ vero possessori conceduntur , hoc est retinendæ possessionis, veluti Utrubi , & Uti possidetis : item reciperandæ, veluti interdictum, Unde vi ; nam quo imperio creditor adeptus est possessionem , eodem debet conservari , Ne- gus. d.par.3.memb.2.num.26. quod tamen negat Menoch. *de recuper. post- remed.3. num.170. & seq.*

An quandoque in re sua Pignus consistat?

D i s c u s s i o n e

Certissima Juris regula est, pignus rei sua consistere non posse, *I. neque pignus, ff. de reg. Juris, l. si rem alienam, ff. de pign. atq. Rationem esse putant, quia si fingamus creditorem ipsum esse dominum rei obligatae, necesse fit, debitorem, qui pignus dederit, dominum non fuisse, cum duo in solidum domini ejusdem rei esse nequeant, l. de hereditate, §. pater, ff. de ca- strensi peculio, l. si ut certo, §. si duobus, ff. commod. Quare nec pignus con- sistet, quia pignus rei alienæ non valet, toto tis. C. si res aliena pignori data sit. Vel ratio est, quia nemini res sua potest esse obligata: & ideo Paulus re- spondit, non posse pignus perseverare, cum creditor ipse rei dominus factus est, *I. ex sexta, ff. de except. rei judic.* Hinc etiam , si res aliena emta bona fide, mihi pignori data sit, definit pignus esse, quando dominus me here-*

dem instituit, *I. si rem alienam, ff. de pigner. act.*

Traduntur tamen a D.D. aliquot casus, in quibus volunt rei sue pignus consistere, quoties scilicet dominium Jure speciali acquisitum est sine traditio*n*e, Bartolus in *I. fin. num. 16. C. de Sacrof. Eccl. Castr.* in *I. num. 17. ff. de leg. I.* Decius in *d. l. neque pignus, n. 2. ff. de reg. Jur.* Afferunt ejus rei duo praeципue exempla, unum in legatario, alterum in pupillo. Volunt ergo, legatario competere hypothecariam actionem in ipsammet rem legatam, quia legatario acquisita est ex Juris censura, sine ulla rei traditione. Item si ex nummis pupilli tutor rem, sed suo nomine, emat, pupillus ex speciali Jure emit*re* rei dominium habet, & propterea pignus etiam in eandem rem potest habere. Ita Fachin. *12. contr. 32.*

Probant id *I. ex l. in bello, §. si quis servum, ff. de capt. ubi, si Caius servum Titii captum ab hostibus redemit, protinus servus fit ipsius Caii, qui eum sua pecunia redemit; quamvis sciat alienum fuisse: sed tamen si Titius offerat ipsi redimenti pretium, quod dedit, postliminio rediisse, aut receptor esse servus intelligitur, hoc est, iterum fit Titii, quasi nunquam ex ipsius dominio exisset. Schiferdegherus lib. 2. tract. 22. q. 2. ingenue fatetur, se legisse, ac relegisse hunc textum, ac nunquam potuisse comprehendere, quid haec lex ad rem nostram faciat, & praecipue ad pignus. Scilicet non advertit, ad rationem legis, ad quam tamen respexere DD. cum hunc textum allegant. Nam ideo Titius Jus habet offerendi pretium servi Cajo redemptori, quia ipse Titius, post redemtionem, habet in servo Jus pignoris ex legis beneficio. Quod palam constat ex L. Senatus, §. ult. ff. de leg. I. ubi haec verba leguntur: *Qui ab hostibus redemptus est, ligari sibi (hoc est redimenti) poterit, & proficiet legatum ad liberationem vinculi pignoris, quod in eo habuit, qui redemit.* Ecce, ut Caius redemptor habet quidem servi dominium, sed cum vinculo pignoris, hoc est, quasi pignoris loco detineat & possideat servum; loco inquam, pignoris pro pretio, quod in redemtione solvit, quodque sibi restituere debet Titius antiquus dominus, qui hic consideratur, tanquam debitor, ut Caius tanquam creditor. Itaque ex his jam duo constant. I. Redemptorem esse dominium servi, d. §. si quis servum, ibi, *Protinus est redimenti.* II. Eundem redemptorem in eodem servo Jus pignoris habere, donec a priori domino sibi pretium redemtionis restituatur, d. §. ult. Ergo datur pignus in re sua. Nec solum servus redemptus est loco pignoris, sed etiam quandoque homo liber redemptus, ut in *l. ult. C. de postlim. revers.* Nam si quis Civeni Romanum ab hostibus redimat, licet post redemtionem liber iterum fiat, tamen loco pignoris a redemptore detineri potest, donec sibi restituantur pretium redemtionis, vel nummis, vel laboris obsequio, vel opere quinquennii. Ita supradictas omnes leges intelligit, & explicat Acc. in d. §. si quis servum, v. oblatu.*

Verum haec nobis non arrident ex duobus capitibus. I. Quia ipsi DD. supracitati volunt, Jus pignoris tunc in re sua, seu propria, consistere pos-

posse, cum dominium speciali Jure acquisitum est, hoc est, ut ipsi expli-
cant, sine traditione: quod utique in casu nostro non accidit; nam qui
redimit servum habet justum titulum emtionis, ex qua per traditionem
ex manibus hostium in manum suam, dominium servi redempti acquirit,
ut patet. Ergo nullum hic jus speciale acq[ui]stendi dominii comminisci
potest: & licet servi alieni illicita sit venditio, l.i. C. pro emtore, itaue
emtore furti actione teneatur, Lancilla, C.de furtis, l.i. & l.sciens, C.
de usucapione pro emtore; tamen secus est, cum redimitur ab hostibus,
qui per occupationem impropriam, Jure belli, servi dominium ipsi sibi
acquisiverant, ut propterea amplius prioris domini non sit, §.item ea,
qua ex hostibus, Inst. de rer. divis. Quare neque ex hoc capite ullum
speciali Jus adest.

II. Non placet, cum credunt, ipsum redemptorem habere Jus pigno-
ris, ut ita dicam, activum in servo redempto: quod est falsissimum, cum e
contrario Jus istud activum pignoris sit apud primum, seu antiquum ser-
vi dominum, passivo tantum existente apud redemptorem. Nam antiquus
dominus est, qui habet jus & actionem contra redemptorem, ut codem
oblato pretio, servus sibi revendatur, ut in d. II. patet. Quare hic cre-
ditor est ipse antiquus dominus, qui pro hoc suo Jure habet oppignerat-
um servum; constat enim, res oppignerari non debitori, ut hic est
redemptor, sed creditori, ut est antiquus dominus. Et haec omnia aper-
te probantur in d.l.senatus, §.ult. ff. de leg. i. ubi dicitur utile legatum
esse, si antiquus dominus leget redemptori servum redemptum, quia re-
demtor consequitur liberationem vinculi pignoris: ergo fuit legata libera-
tio, ut propterea creditor sit ipse antiquus dominus, qui legat, non re-
demtor, cui legatur; nam creditor est, qui liberationem legat, L.i. cum
seqq. ff. de liberat. legat. Itaque, ut concludamus, Jus pignoris activum
in casu proposito est solius antiqui domini, & etiam in re aliena; nam
servus est redemptoris.

Probant II. Exemplo legati, cuius dominium per legis potestatem
etiam ignorantis legatario acquiritur, statim & recta via, a morte testa-
toris, sine ulla traditione, l.si tibi homo, §.cum servus, ff. de leg. i. l.leg-
atum 8 i. ff. de leg. 2. l.a Titio, ff. de furtis. Sed legatarius habet actio-
nem hypothecariam, l.i. C.comm. de leg. Ergo datur pignus in re sua.

Neque hoc argumentum quidquam urget. Nam cum Justinianus
tres legatario concedit actiones, personalem, realem, & hypothecariam,
sive utilem Servianam; concedit quidem pro re legata, sed non omnes su-
per re legata; ridiculum enim esset actionem personalem, seu condi-
tionem super re legata cadere. Quæ breviter explicanda sunt. Datur
ergo legatario condicatio. Sed qua ratione, cum sit dominus, & domi-
no condicione denegatur, §.sic itaque de testib.? Respondet Accursius in
§. nostra autem, de legat. concedi condicitionem contra heredem, ut pote
contra possessorem; quæ responsio recipi non potest, cum nusquam in toto Ju-

ris corpore reperire sit , domino licere contra possessorem rei proponere aliam actionem , quam realera : illud verum est , posse agere interdicto possessorio , ut in l.2. ff. de condit. trit. Aliud autem est interdictum , aliud conditio ; nam interdictum est de Jure Prætorio , ut in tit. de interdicti. in princ. Conditio vero est de Jure civili , ut patet in tit. de actionibus , §. sic itaque . Superest ergo ut dicamus , dari legatario actionem in personam contra heredem , quia heres audeundo ex quasi contractu legatariis obligatur , l.5. §. heres , ff. de actionib. Deinde actio realis , seu reivindicationis , cadit super ipsa re legata , ut quæ conceditur domino contra eum , qui rem suam possidet , ut ea sibi restituatur , §. Namque agit a Inst. de actionib. Et demum conceditur legatario hypothecaria actio , non quidem super re ipsa legata , hoc est , super re sua , ut Adversarii putant , sed super reliquis rebus hereditariis a testatore relicitis , quæ tacite legatario oppigneratae consentur ex beneficio Justiniani , ut patet ex l.1. §. rectius , C. commu. de leg. ibi : *Et insuper utsilem servianam , id est bypotbecariam super iis , quæ fuerint derelicta , in res mortui præstare & rursus in fine : Sed tantummodo earum , quæ a testatore ad cum pervererunt . Ex quibus verbis apparet , hypothecariam concedi in rebus aliis , quæ fuerunt defuncti , ut recte docet Accursius in d. §. nostra autem , v. bypotbecariam , de legat.* Itaque cum in argumento Adversariorum dicitur . Sed legatario datur hypothecaria , si intelligunt dari pro re legata , concedimus : si super re ipsa legata , negamus .

Quod ulterius probamus ex pluribus aliis . Nam Justinianus in eadem l.1. C. communia de legatis constituit , ut hæc hypothecaria actio sit dividua , immo inter plures heredes ipso Jure divisa . Ita enim sunt verba legis : *In omnibus autem hujusmodi casibus in tantum & hypothecaria nonnunquamque conveniri volumus , in quantum personalis actio adversus eam competit .* Faber in C. lib.6. tit.2 l. def.1. 7. & 8. Ergo si proponamus , rem legatam ad unum ex heredibus pervenisse , non poterit legatarius actione hypothecaria rem legatam auferre contra unum ; & consequenter in ipsa re legata non competit . Nam si competere , totam rem legatam ab uno ex heredibus auferet , quia legatum in partes dividi nequit , l. cum filius , §. variis , ff. de leg. 2. cum tamen heres ille in tantum hypothecaria conveniatur , in quantum heres sit , hoc est , ut ait Justinianus , in quantum actio personalis in ipsum datur ; ita ut si ad unum res legata pervenerit , non possit tota ipsi auferri , cum hypothecaria actio in ipsum non detur in solidum , sed pro ea parte , pro qua heres est .

Præterea , hypotheca tacita , quam Justinianus induxit pro legatis & fideicommissis , non habet locum in iis rebus , quæ alii sunt legatae , & tantum est constituta in iis rebus , quæ ad heredem pervenerunt , d.l.1. C. communia de legat. Sed res legata ad heredem non pervenit , quia recta transit in legatarium , ut diximus . Ergo hypothecaria hujusmodi non competit super re legata .

Pro-

Probant III. Quia si a tutori a nummis pupilli, sed suo nomine, res emta sit, pupillus tamen habet dominium rei emtae. Jure quodam speciali, & præterea pignus habet in eadem re: idem est in Curatore. Probant utrumque: primum ex *I. si tutor, ff. quando ex facto tutoris*, ubi si tutor vel curator ex pecunia ejus, cuius negotia administrant, prædia in suum nomen emerit, utilis actio ei, cuius pecunia fuerit, datur ad rem vindicandam. Quod quidem ex speciali Jure est, quia regulariter res emta non succedit in conditionem pecuniae, ex qua res comparata est, & ideo res ex pecunia mea per alium emta, non fiet mea, *I. si ea, C. de revind.* nec res ex nummis pigneratis emta, erit pignori obnoxia, *I. idem que, ff. qui patior in pignore*: nec quod ex re furtiva redigitur, furtivum erit, *I. qui vas, in fine, ff. de furtis*. Faber 5. conjec. 9. Itaque pupillus & minor domini fiunt, & speciali Jure, rerum, quæ ex ipsorum nummis, sed alieno nomine comparatae sunt, utpote qui vindicationem in rebus illis habent. Sed super rebus iisdem habent & pignus, seu hypothecam tacitam ex beneficio legis, ut in *I. idemque, ff. qui patiores in pign.* quod ex constitutione Imp. profectum esse dicit Ulpianus in *I. sed si pecunia, in princ. ff. de reb. eorum, qui sub tutela, juncta I. si tutor, C. de servo pignori dato*.

Hoc privilegium de acquirendo dominio rei, quo suis nemmis, sed alieno nomine emta sit, notant habere locum etiam in aliis personis, præter pupillum & minorem. Nam idipsum est in milite, *I. si ut propositis, C. de rei vindicat*. ubi si pecunia militis quoddam quis suo nomine comparaverit, obtentum, seu privilegio militiae utilis reivindicatio militi impertitur: immo mandati quoque seu negotiorum gestorum actio. Quæ mandati actio etiam pupillo & minori, præter utilem reivindicacionem, conceditur in *I. si curator, C. arbitrium tutela*, in illis verbis minori directis: *Elige utrum malis in emtione negotium tibi cum (scilicet curatorem) gessisse*. Quod notandum est, nam perperam DD. ea verba de reivindicacione capiunt, etiam Schiferdegherus, cum palam loquantur de actione negotiorum gestorum. Habet & locum in muliere, quando maritus ex pecunia sibi ab uxore donata emerit rem aut mobilem, aut soli; nam si mulier revocet donationem, & res extet, mulier vindicabit utili in rem actione, *I. uxor marito, ff. de donationib. inter vir.* Extendunt etiam in Ecclesia, quæ Jure pupilli utitur, Gl. in d. *I. si ut propositis, & d. I. si tutor*.

Huic argumento respondetur I. ex Schiferdeghero *loc. cit. g. 3. negando majorem propositionem*, hoc est pupillum intelligi factum dominum rei, quam tutor ex ejus nummis, sed suo nomine comparavit; nam si intelligeretur ejus rei dominus factus, utique lex ei directam vindicationem concederet, quod tamen non facit, sed concedit tantummodo utili, ut habetur ab Ulpiano in *cit. I. si tutor, ff. quando ex facto tutoris*: constat autem directam vindicationem nulli alteri dari, quam domino

utilem etiam aliis, *i. fin. C. de reivind. l. in rem, in princ. ff. eod. tit.* Conceditur vero pupillo utilis actio, quia non aliter posset pupillus indemnus servari, cum tutor solvendo non est, deficiente directa vindicatione. Quare si non est ipse pupillus verus dominus, proximum est, ut dicamus, verum dominum esse tutorem, qui suo nomine emit, *juxta reg. text. in l. si ca, C. de reivind.*

Sed huic responsioni videtur obstare Paulus in *d. l. uxor marito, ff. de donationib. inter virum*, ubi uxori in rem a marito suo nomine, sed uxoris pecunias emtam, duplex conceditur reivindicatio, utilis, & directa. Nam primo dicitur: *Vindicare directo potest: additur: Sed nihil prohibet etiam in rem utili malieri in ipsas res accommodari.* Ergo licet ab Ulpiano in *d. l. si tutor* concedatur pupillo utilis vindicatio, non tamen dicendum est, propterea eidem directam actionem negare, quae ei omnino concedenda est: quia favorabilior est causa pupilli, quam mulieris, cum in *d. l. uxor marito* de dote non agatur, sed tantum de donatione. Sed haec nihil obstante; nam respondeo Paulum in *citata lege* non concedere uxori, nisi utilem actionem reivindicationis, de qua in fine loquitur: nam cum de directa vindicatione antecedenter meminit, id dicit, solum ut innuat casum, quo res extet, & consumta non sit. Verba enim legis sunt: *Quod si res malieris permaneat, & vindicari directo potest: & subdit eo casu mulieri utilem in rem actionem accommodari, ut facile consideranti patet.*

Respondeo II. negando minorem argumenti propositionem, in qua Adversarii volunt, etiam minorem habere Jus pignoris in rem, quam testator ex pecunia ipsius minoris emit, cum hoc nullo Jure constitutum reperiatur. Non negaverim tamen, id verum esse in pupillo, qui ex privilegio Imperatoris Alexandri hoc habet, ut non solum a tutore vindicare rem ita emtam, ut diximus, utili in rem actione possit, sed praeterea in ea Jus pignoris habet, *l. si tutor, C. de servo pignori dato.* Quod privilegium, cum nominatum indultum sit pupillo, utique ad minorem non est trahendum, ut recte Schiferdegherus *loc. cit. qu. ult.* advertit. Verum esto, quod de minore etiam intelligi possit, non tamen inde fit, pignus in rem suam dari, quoniam jam ostendimus, minori, sicut nec pupillo, non acquiri rei emitæ ex sua pecunia dominium.

In re autem ex pecunia pupilli, vel minoris emta, sciendum est ex Cyno in *d. l. sicut proponit, C. de reivind. & ex Fabro in Jurisprudencia Papin. tit. 12. princ. 6. illat. 33.* hanc distinctionem adhiberi, ut aliud sit inter personam tutoris, aut curatoris, & personam extranei. Etenim quando tutor, vel curator ex pecunia pupilli, vel minoris, rem in nomen suum emerit, tum datur utilis ad rem vindicandam actio, aut etiam Jus pignoris, ut haec tenus explicatum est. Secus autem est in extraneo, qui non sit tutor, aut curator, si ex pecunia pupilli vel minoris, rem suo nomine emerit. Hoc enim casu pupillus, vel minor utilem

ad

ad rem vindicandam non habet actionem; nam textus in d.l. si tutor; ff. quando ex facto tutoris, & in l. si curator. *C. arbitramur tutela*, nominatim hanc utilem reivindicationem contra tutorem ipsum, vel curato-rem impertinentur: quocirca eam non habebit minor & pupillus contra extraneum; quo casu lex eis tantummodo concedit Jus tacite hypothecæ in rem alieno nomine, sed sua ipsorum pecunia emtam, l. idemque, ff. qui potiores in pign. l. sed si pecunia, in princ. ff. de reb. coram, qui sub tutela, juncta l. si tutor, C. de servo pignori data.

Non est demum in hac controværia omittendum, perperam ab Ad. versariis dici dominium, quod sine traditione acquiritur, Jure singula-ri acquireti, veluti cum legatarius sit rei legatae dominus ipsa Juris potesta-te. Nam illud dicitur fieri Jure speciali, quod est contra regulas Juris: at vero contra regulas Juris non est, ut dominium sine traditione acqui-ratur; quare nullum in hac re speciale Jus comminisci, aut considerare possumus. Nam inter modos communes, & ordinarios acquirendi re-sum dominium est, quod fit per legem, ut constat ex Ulpiano in fragm. tit. 19. & in usucapione, adjudicatione, cessione in Jure, occupatione, specificatione, confusione, commissione, aditione hereditatis nulla fit tra-ditio, & tamen omnes hi modi ordinario Jure nituntur, non etiam speciali, ut patet ex tit. de acq. rer. dom. Fab. 14. conject. 20. & in Juris-prudentia Papin. tit. 12. princ. 5. illat. 3.

De Hypotheca expressa.

D I S C U S S A I O N I I .

HÆc hypotheca solo & nudo consensu contrahitur, seu per pactum conventionem, ad instar contractuum, qui consensu perficiuntur; quare nec scripturam exigit, dummodo per testes probetur ita placuisse; sunt enim de his conventionibus scripturæ, ut quod actum est, per eas facilius probari possit, quod tradit Cajus in l. contrahitur, ff. hoc sit. Estque hic unus ex casibus, in quibus dat actionem Prætor ex pacto, l. si tibi, §. de pignore, ff. de pactis: quod videtur introductum ad similitudinem constitutæ pecunie, que quia accedit ad aliam obligationem principalem, ideo ipsa pacto recte contrahitur, l. i. §. debitum, ff. de constituta pecunia; constat autem hypothecam pariter principali obliga-tioni accredere; quare non immerito Prætor in ipsa ex pacto actionem oriri voluit, ut notat Fab. in Ration. ad d.l. contrahitur.

Est præterea alia ratio; nam hypotheca maxime propter res im-mobiles inducta videtur, que quoniام non ita præsentes semper sunt, ut tradi possint, hinc sit eas vix aliter, quam nudo pacto posse obliga-ri, maxime si, ut quotidie sit, bona omnia & præsentia & futura obliga-tentur,

rentur, *i.e. quæ pondum, in princ. & §. i. hoc sit.* Nec moveat, quod etiam olim non erat incognitus usus clausulae constituti, qua debitor constituit se suas res, quas suo nomine possidet, alieno nomine possidere, ex quo debitor desinit possidere, & alium possessorem ministerio suo facit, *i. quod meo, ff. de acq. poss.* non tamen inde fit, non fuisse necessarium inducere, ut hypotheca nudo pacto contrahatur; nam clausula constituti non potest locum habere, nisi in rebus iis, quas actu debitor possidet; cum e diverso hypotheca extendatur etiam ad res futuras, quas nondum possidemus, *d. L. & quæ noxdum.*

Illud mirum est, ex hypotheca nudo pacto contracta non oriri Jus personale, sed reale ad rem ipsam persequendam; quod tamen ex necessaria ratione factum est; si enim hypotheca Jus reale non produceret, inanis esset, & nullius effectus, cum Jus personale insit ex contractu jam ante initio, cui demum hypotheca adjicitur. Cum ergo hypotheca non pariat personalem actionem, merito parit realem. Secus se res habet, cum agitur de dominio; nam per conventionem oritur personalis actio contra promittentem, qui propterea cogitur dominium per traditionem demum transferre, *juxta text. in l. traditionibus, C. de patulis,* ut recte observant ibidem Bald. Salyc. & Jason.

Maximam tamen dubitationem facit Ulpianus in *l. i. ff. de pign. et c.* ubi non modo hypothecam, sed pignus etiam contrahi nudo pacto, & sine traditione docet. Ita enim ait: *Pignus contrahitur non solum traditione, sed etiam nuda conventione, et si traditum non est.* Quod est falsum, cum pignus sit inter eos contractus, qui re geruntur, hoc est nisi re tradita initum non censetur, *§. creditor quoque, tit. quibus modis re contrahitur obligatio.* Insuper haec est distinctio inter hypothecam, & pignus; nam pignoris appellatione eam proprie rem contineri dicimus, quæ simul etiam traditur creditori, maxime si mobilis sit. At eam, quæ sine traditione, nuda conventione tenetur, proprie hypothecæ appellatione contineri dicimus, ut verba sunt Justiniani in *§. Serviana autem, de actionib.* Non ergo pignus aliter contrahi potest, quam traditione.

Neque dicas, ab Ulpiano pignus capi pro hypotheca. Nam etsi hoc fieri solere concedemus, tamen clare Ulpianus in *cit. l. de pignore in re mobili,* & quod pugno traditur, sermonem habet. Nam ita subdit: *Si igitur contractum sit pignus nuda conventione, videamus si quis aurum ostenderit quasi pignori datus, & as dederit, an obligavit aurum pignori?* Tum respondit: *Et consequens est, ut aurum obligetur, non ostendit as, quia in hoc non consenserunt.* Ex quibus verbis palam est, Ulpianum loqui de pignore proprie sumto, veluti cum obligatur aurum; & tamen vult id pignoris etiam sine traditione contrahi. Nos tamen dicimus, ex istis ipsis Ulpiani verbis solutionem difficultatis patere; nam hic sermo est de pignore, non quatenus contractum significat; eum enim concedimus esse realem: *acc de ipsa re obligationi supposita, quæ etiam*

etiam pignus appellari solet, l.39. ff. de pign. ait. sed de eo pignore sermo est, quod ipsam obligationem significat, ob quam deinde res ipsa traditur; nam Ulpianus prius dicit esse contractum pignus nuda conventione, non subdit aurum dari: ubi prius istud est obligatio, posterius istud est datio, seu realis contractus, qui initur ut fiat satis ipsi obligationi nudo pacto initæ; adeout, si quis ostendat aurum, quasi in satisfactionem pignoris, hoc est obligationis datus, usque deinde in dando subjiciat, non videtur se ab obligatione inita liberasse, immo turpiter fecisse videtur, ut extra ordinem stellionatus crimine plecti possit: at vero si quis jam aurum dedit, & eo dato ex subjiciat, furti tonetur, l.36. ff. cit. tit. Errat itaque Salmasius de modo usurarum, cap. 12. pag. 510. cum putat, verba Ulpiani in d.l. i. corrupta esse per Tribonianum in illis verbis, *Et aes dederit;* nam ait, ibi questionem non esse de pignoris datione, sed de sola conventione. Verum facilis responso est, si animadvertiscas, hic loqui quidem de pignoris conventione, sed ita, ut ex ista deinde detur actio ad pignus creditori tradendum; que omnia ex jam dictis manifesta sunt. Separandus erat contractus perfectus ab impleto. Perficitur pignus nuda conventione: impletur per traditionem. Simile habet de venditione Fab. dec. 22. err. 4. num. 4. His ita positis, nonnullæ circa hanc expressam hypothecam questiones sunt discutiendas.

**An pactum de retrovendendo pariat hypothecam,
sic ut re alienata, possit contra tertium
possessorem agi.**

D I S C U S S I O III

Non una hic est Doctorum opinio. Primo Alex. cons. 10. lib. 1. ait, si emtor rem, quam venditori pretio restituto, revendere potest, est, in alium distrahat, tunc venditori non succurri, nisi per actionem personalem, qua contra distrahentem agatur ad id, quod interest: certum recte in tertium translatum esse dominium, neque tertium istum inquietari posse obtentu hypothecæ. Nam in eam rem venditor ex parte retrovendendi nullam acquisivit hypothecam. Quod Alexandri consilium aurecum vocat Ferdinandus in l. filius fam. §. Divi, n. 172. ff. de leg. 1. Curt. senior cons. 12. Anch. junior q. 13. Fab. in C. lib. 4. tit. 36. de paciis inter c. s. & vendit. def. 3. & de error. pragm. dec. 22. err. 10. & dec. 24. err. 1.

Probatur I. a simili. Nam pactum de non alienanda re, quam donavi tibi, aut vendidi, aut alio titulo transtuli, non impedit, quin si eam alienes, in alterum dominium transferatur; nam nemo paciendo effi-

cere potest, ne predium alienetur, *i.nemo, ff.de pactis*: quod etiam prohibari volunt ex *l.ea lege, C.de condit. ob causam*, circa quam tamen magna est inter Gujacum, & Forcatulum dissensio, ut Gothofredus ibidem notat; communiter tamen receptum est, alienationem non obstante pacto factam sibi constare, & dominium intelligi translatum in eum, in quem facta est alienatio, *Boer. dec.49. Gama dec.356.* Hinc fit, quod post alienationem nulla ad rem a tertio recuperandam competit actio, sed solum agatur ad id, quod interest, *i.si ita quis promiserit, §. ea lege, ff. de verb. obl.* quod locum pariter habet in fideicommisso per contractum constituto cum alienandi prohibitione; nam alienatione facta, fideicommissario non actio in rem, sed solum contra alienantem ad id quod interest, concedetur, *Rota. dec.284. num.39, par.6. in noviss. Surd. consil.331. num.33. & 36.* Ex quibus omnibus patet, pactum de non alienando non inducere hypothecam in favorem ejus, in cuius gratiam pactum initum est. Ergo a pari, immo multo fortius, non inducit hypothecam pactum de retrovendendo, quod solum tacite videtur comprehendere, ne res in alterum distrahitur ..

Ubi & illud notandum est, quod aliquando pactum de non alienando, impedit dominii translationem, hoc est, quando praeter ipsum pactum, adjecta est specialis hypotheca pro ipso paciente; tunc enim ob Jus in rem ipsam quæsumus, impeditur dominii translatio, ut observat Angelus in *d.l.ea lege*, & probat ex Martiano in *l.si creditor, §.fin. ff.de distract. pign.* cuius verba sunt: *Quæritur, si pactum sit a creditore, ne liceat debitori hypothecam vendere, vel pignus, quid Juris sit, & ase pactio nulla sit talis, quasi contra Jus sit posita, ideoque veniri possit?* Et certum est nullam esse venditionem, ut pactiani stetur. Ex quibus apparet etiam quod supra dictum est, pactum solum de non alienando non prohibere alienationem, nisi hypotheca addatur, cum ex se pactum illud hypothecam non inducat, & consentit *Covar.2. var.15.* Quare id ipsum erit in pacto de retrovendendo, ut scilicet pactum hoc hypothecam non comprehendat, sed opus sit eam omnino addere, ut in alium distractio impediatur.

Probatur II. ex eo, quod qui emit sub pacto de retrovendendo, non cogitur retrorevendere. si possit, nec velit, sed ob non impletam a se contractus legem tenetur tantum ad id, quod interest venditoris. Ergo solum ad id quod interest agere poterit etiam in eo casu, quo res revendi sibi non potest. Quod ut plene intelligi queat, altius repetendum est. Cum quis obligatus est, ut vendat, vel ut retrovendat (hæc enim idem sunt, cum retrovenditio aliud non sit, quam secunda venditio), nondum perfecta venditio est, at ne quidem inchoata; nam venditio tunc dicitur perfici, cum consensus præsens est, hoc est, cadit super rem, quæ fiat, non super rem, quæ facienda sit, ut accidit in promissione de vendendo. Unde multum distat, an quis vendiderit, an pactus dum-

dumtaxat sit de vendendo, quod fatetur Bartolus, quem communiter loquuntur in *l. ult. ff. de condic. quaes. data*. Cum ergo quis obligatus est ut vendat, vel retrovendat, quia nondum perfecta venditio est, immo potius nec inchoata, ideo eam implere promissor non cogitur, sed praestando id quod interest, liberatur, ut disputat *Fab. dec. 22. err. 4.*

Adde quod venditio est facti, *l. consilio*, §. ult. ff. de curat. furioso. Nemo autem praeceps cogi potest ad factum, quia id non potest fieri sine vi & impressione, quam semper exosam lex habet. Unde illud Jure civili comparatum est, ut in omnibus faciendi obligationibus, si non fiat id, quod promissum est, in locum facti succedat obligatio ejus, quod interest, *l. si quis ab alio*, §. ult. ff. de re judic. Quare si qui vendere promisit, rem deinde vendere nolit, ad praeceps vendendum cogi non potest.

Quod si dicas, qui vendidit rem, quam tradere possit, obligatus est ut praeceps tradat, nec liberatur, si quanti emtoris interest praestare malit, adeo ut si per contumaciam nolit unquam tradere, licet per meram coactionem cogi ad tradendum non possit (nam ipsa traditio facti est) tamen praeter id quod interest, dolus ejus aestimari debet, non quidem per jusjurandum in litem, sed officio Judicis, *l. si traditio*, *C. de actionibus emti*, juxta *l. si cum fundum*, §. i. ff. de contr. emti. *Fab. 6. conject. 17.* Ergo idem in pacto de vendendo, seu retrovendendo. Sed respondemus negando paritatem; nam in venditione bona fides non patitur, ut contra-etu jam perfecto in potestate sit alterutrius contrahentium non implere contractum, quem implere commode possit; ubi separamus contractum perfectum ab impleto. Perficitur emtio solo consensu: sed non impletur, nisi secuta traditione; per quam non solum possessio, sed etiam dominium rei venditæ, si quod penes venditorem fuit, aut nunc est, in emtorem transferetur, *l. si quis alienam*, ff. de actionibus emti. Hoc autem non habet locum in pacto de vendendo, ubi, ut diximus, venditio adhuc perfecta non est: & in pacto de vendendo bona fides non consideratur, cum non sit contractus, sed pactum: quod si huic pacto accedit stipulatio, nec etiam bona fides locum habebit, cum stipulatio sit contractus stricti Juris, non bonæ fidei.

Quod si iterum dicas, durum videri, adeoque iniquum, venditorem, qui non nisi hac lege rem suam venditurus fuerit, privari commodo sua conventionis, & pro re sua pecuniam recipere compelli, *l. non enim*, ff. rerum amot. nam certum est pactiones valere, quas quis adhibet in rei sua alienatione, *l. ult. C. de rer. permis.* præsertim quia credere oportet, venditorem non aliter suis alienatum, *l. ei fundo*, ff. de servit. *l. vendor*, ff. communia prædiorum. Respondeatur tamen concedendo utilem esse pactionem, ut ex ea agi posuit nulla etiam interveniente stipulatione, cum scilicet pactum in ipso contractu, & venditione appositum est, quo casu non censetur nudum, sed venditionis jam contractæ cohærentia vestitum, ut propterea pactum ipsius contractus

par^s quedam existimetur, quare non potest non esse efficax ad agendum; verum enim vero non inde statim consequitur, ut qui promisit se retrovenditum, retrovendere præcise compellatur, ut nec compellitur, si per stipulationem ita convenerit: nam pacti utilitas illa sufficit, ut ex eo competat actio præscriptis verbis, aut ex contractu ipso ad id, quod interest, quæ aliqui ex pacto nudo competere nulla posset.

Itaque, ut concludamus, sicut quoties revendi potest, sed reverdere emtor nolit, non datur actio ulla in rem ipsam, adeoque nec hypothecaria, sed solum personalis contra ipsum emtorem ad id, quod interest: ita pariter non competit hypothecaria, cum res ipsa ab emtore in alterum est distracta, nec reddi potest, etiam si velit. Illud notandum, in hac personali actione ad id, quod interest, haberi etiam rationem fructuum, qui post moram percepti sint, arg. text. in l.2. C. de pacticis interest emtor. juncta l.1. ff. de act. emti, & l. si traditio, C. ad.

Probatur III. quia si eadem res pluribus separatim, & quod est consequens, diversis temporibus vendita sit, non præfertur prior emtor, cum res posteriori prius tradita proponitur, sed hic posterior omnino rem retinebit, l.15. C. de rei vind. adeout prior emtor non habeat ullam actionem sive realem, sive personalem, contra secundum emtorem, sed solum actionem personalem contra venditorem ipsum, ut coerceatur poena falsi, l.21. ff. ad l. Cornel. de falsis. Ergo multo magis in nostro casu, is qui vendidit sub pacto de retrovendendo, non habebit actionem hypothecariam super re in alterum distracta, eique tradita, sed solum actionem personalem in distrahitentem. Dixi multo magis, quia hic res eadem non est duobus vendita, sed solum priori promissa retrovenditio est, sed posteriori actu vendita, immo tradita.

Hæc sententia vera est, eti alii in contrarium nitantur, alii varie distinguunt de quibus jam est videndum. Itaque nonnulli contendunt, ex pacto de retrovendendo nasci hypothecam contra tertium possessorum, ut primus omnium docuit Paulus Castrensis in l. si cum venderet, ff. de pign. act. quem sequuntur Bald. conf. 201. s. 2. lib. 4. Jas. conf. 128. lib. 4. Capyc. dec. 182. n. 7. latissime Fontanella dec. 79. & alii apud Merlinum lib. 2. tit. 2. q. 98. ubi n. 1. q. de æquitate hanc opinionem prævalere post alios testatur.

Moventur I. ex Ulp. in d. l. si cum venderet, ff. de pign. act. ubi sermo est de pacto interposito a creditore pignus distrahitente, ut debitori quan- docunque pretium offerenti emtor id restituere teneatur: & concluditur, dandam ipsi debitori actionem non solum pigneratitiam adversus creditorem, ut cedat eam actionem, quam ex pacto sibi quæsivit contra emtorem, sed habere etiam ex pacto ipso adversus emtorem in factum actionem, immo etiam utilem reivindicationem. Ergo id ipsum dicendum est de eo casu, quo quis vendidit sub pacto de retrovendendo eam rem, quam postmodum emtor in alium alienaverit; sive ante, sive post oblatum a priore venditore pretium, posterior alienatio facta sit; hoc est,

ut

ut venditor ex eo pacto acquirat in rem non modo actionem hypothecariam, sed etiam utilem reivindicationem. Ex quibus ita positis concludit **Castrensis**, pacti de retrovendendo eam vim & potestatem esse, ut utile dominium transferat in ipsum venditorem, in cuius gratiam pactum est appositum, utpote cui inde utilis reivindicatio queratur. Docet ulti-
rius, pactum istud in eo differre a lege commissoria, & a pacto addic-
tio-
nis in diem, quod ex pactis illis non utile dumtaxat, sed etiam dire-
ctum dominium ipso Jure, & citra ullam traditionem transferatur, quia
tendunt ad contractum resolvendum, ex quo directum illud dominium
fuerat translatum.

Ergo sicut re non alienata per emtorem, venditor in eam obtine-
bat utilem reivindicationem, ob utile dominium, quod ex pacto retro-
vendendi acquiescerat; ita id ipsum est contra tertium possessorem, quoties-
sus distracta, & alienata proponitur: propterea quod non potest aliena-
tio fieri, nisi cum sua causa: & apud Nostros dicitur, quod resoluto Ju-
re datoris, resolvi etiam necesse sit jus acceptoris, *I. lex vestigali fundo, ff.
de pignor. I. debitor, §. ult. ff. de pign. act.*

Verum haec nihil urgent. Negamus enim paritatem; nam conver-
tio illa, quae inter creditorem pignus Jure suo distrahentem, & pigno-
ris emtorem facta proponitur in *d.l. si cum venderet, ff. de pign. act.* ut sci-
licet liceat debitori quandocunque pretium offerenti, rem recipere; haec,
inquam, conventio non tam personam emtoris afficiere videtur, quam
rem ipsam alienatam. Solerter enim attendenda sunt verba Ulpiani, qui-
bus hujusmodi pactum initum proponit, & haec sunt: *Si solverit debitor
pecuniam pretii emtori, liceret ei recipere rem suam.* Utique verba illa,
Recipere rem suam, nullo modo possunt innuere actionem personalem,
sed solum actionem, quae detur in rem. Propterea recte Ulp. concludit,
debitorem, oblato pretio, posse ex vi pacti vindicare rem, utpote quae
sua, hoc est debitoris in pacto fuit appellata; præsertim, cum illud,
sua, referatur non ad tempus venditionis a creditore factæ, sed ad tem-
pus redemptionis, quae a debitore facienda erit. Quocirca conventio ita
concepta eam hic vim habet, ut pignus, quod venditum fuit, oblato
postea per debitorem pretio, pro non vendito habeatur, ut accidit in
lege commissoria, in pacto addictionis in diem, & etiam in specie *I. se
a te, C. de partibus inter emtorem*. Porro nihil ex his est in casu nostræ
questionis, ubi omnia diversa sunt; nam cum inter emtorem & vendi-
torem convenit, ut eandem rem venditori quandocunque, aut intra
certa tempora pretium restituenti, retrovendere erator cogatur, haec ver-
borum formula non dirigitur directo ad ipsam rem, nec eam ita afficit,
ut pro inenita haberi debeat; id enim tantum agitur hujusmodi pacto
ita concepto, ut emtoris persona obligetur ad retrovendendum. Propter-
ea nulla venditori dari potest reivindicatio ad venditionem rescinden-
dam, sed ea subsistet, nec resolvetur.

Hic

His ita explicatis, apparet decipi omnino Fabr. *dec. 22. err. 9.* cum putat textum Ulpiani in *d.l. si cum vendret*, esse turpiter fœdatum & corruptum a Triboniano, a quo scilicet putat adjectam de suo fuisse integrum hanc clausulam. Sed & ipse debitor aut vindicare rem poterit, aut in factum actione adversus emtorem agere. Ait ergo Faber, hanc decisionem a certissimis & notissimis Juris regulis abhorrente; nam quod ad vindicationem pertinet, hæc nullo modo debitori in hoc casu dari potest, quia creditore pignus utiliter distrahente, hoc est servatis soleminibus, & nihil sit, quod prohibeat, aut vitiet distractionem, statim dominium pignoris transit in emtorem, licet creditor, qui alienavit, non fuerit dominus, §. i. *Institutionib. quib. alienare licet, l. quia credito-re, C.de pignor.* Ergo non potest debitor contra emtorem habere actionem realem; nam absurdum est, ut vindicatio ulla sive directa, sive utilis, adversus dominum detur, contra quem nec Publiciana datur, nisi certis casibus, *l. pen. ff. de Publ. in rem act.* Nec movetur Faber, quod conventione addita sit, nimirum ut debitori oblato pretio liceat pignus recipere nam ait, hanc passionem non posse nisi actionem personalem producere.

Sed jam ex dictis patet quid Fabro respondendum sit, qui dum Triboniani errores deprehendere conatur, ipse errat, & mentem Ulpiani non assequitur: quandoquidem pactum in *d.l. si cum vendret*, eo tendit, ut pignus pro memto habeatur ipso Jure, cum debitor pretium obtulerit: nam dictum fuit, *Ut liceret ei recipere rem suam: ubi illud, recipere rem, & illud, suam, aperte innunt, pacientes egisse de actio-ne reali, seu vindicatione, quæ quidem post pignoris distractionem per creditorem factam a debitore acquiri non potest, nisi pignus dicatur in-emptum.*

II. Moventur Adversarii ad asserendum, ex pacto de retrovendendo induci hypothecam, ex responso Papin. in *l. creditor*, §. post divisionem, *ff. qui potior in pignor.* unde colligere nituntur, pactum de retrovendendo eam vim habere, ut pignoris conventionem, & obligationem per æquipollentia verba inducat.

Quod omnino falsum est, ut recte observat Fab. *dec. 24. er. 1.* nam pactum de vendendo, de quo Pap. eo loco tractat, non illud est, quo quis promittat se alteri venditum, sed quo quis alteri permittat, ut ipius promittentis rem distrahat; nam species ita habet, quis cum fratre suo in judicio familie erciscundæ ita pactus est, ut nisi frater pignus contractum liberasset, liceret alteri fratri partem rerum, quæ priori ex divisione pervenerant, alienare. Itaque hic de alio non convenitur, nisi ut quis permissu domini, rem alienam vendere possit, quæ permissio multum distat a permissione vendendi; nam missio personam promittentis obligat, missio vero non tam personam afficit, quam rem ipsam, cuius distrahendæ Jus creditor manciscitur. Quod probatur ex eo, quia ali-

aliter creditor rem alienam distrahere non potest, nisi antecedenter pignus contractum intelligeretur: non enim nomen solum, aut Jus creditoris in eam rem satis esset, ut ex eo constat, quod tum etiam cum debitor jam condemnatus est, non prius a creditore ejus bona in judicati executionem distrahi possunt, quam in iis jus pignoris in beneficium creditoris statutum sit per primum decretum, sive per capionem judiciali auctoritate factam, *la D.Pio, ff.de re judic.*

III. Moventur ex l. *credidores*, C. *de pignor*: Quæ nihil ad rem facit, nam ibi agitur solum de pacto, quo convenit, ut creditor ingredi possit propria auctoritate possessionem bonorum debitoris; quod nihil commune, aut simile habet cum pacto de retrovendendo: nam hoc in personam, illud in rem videtur conceptum: nec proinde mirum videri debet, ex illo pacto induci hypothecam, non etiam ex isto. Nam utique creditori non licebit ingredi possessionem bonorum debitoris, nisi prius ea bona habeat obligata.

Superest nunc, ut examinemus opinionem eorum, qui distinguunt. Ajunt enim videndum esse, utrum secunda venditio facta sit ante moram a primo emtore in retrovendendo admissam, an post moram. Dicitur mora ab emtore commissa, si venditor jam obtulit ei pretium, insistando ut retrovendat: iste autem non modo non retrovendit, sed rem in alterum distrahit: quo casu docent, primo venditori competere actionem contra secundum emtorem. At si ante quam primus venditor premium offerat, hoc est ante moram, emtor rem distraxerit, volunt tunc nullam actionem contra secundum emtorem dari. Atque eo modo has discordantes opiniones conciliant, præcipue ut Castrensis sententiam tueantur, quæ rei vindicationem contra tertium possessorem concedit.

Hæc distinctio parvi facienda, & rejicitur a Fabro dec. 22: err. 10. num. 5; nam sive ante moram, sive post moram, facta secunda venditio sit, semper verum est, translatum esse dominium a primo venditore in primum emtorem, rursusque a primo emtore in secundum: nec a secundo emtore ad primum venditorem unquam rediisse: nec proinde ei, qui dominus non sit, competere posse vindicationem. E contrario semper verum est, ex pacto de retrovendendo, nasci tantummodo actionem personalem, quæ ejus naturæ est, ut non competit, nisi contra eum, cum quo contractus, seu pactum initum est; nec unquam datur contra tertium rei possessorem, ut notissimæ juris regulæ statuunt; nimil ut action personalis nunquam sequatur singularem successorem, *l. ult. ff. de contr. emt.* L. 1. §. *si heres*, ff. ad *Tribell.* mora enim unius efficeri non potest, ut contractus a persona ejus, cum quo initus est, in personam alterius transferatur. Ergo neque illud faciet, ut personalis obligatio, quæ primum emtorem obstrinxit, extendatur ad obstringendum eodem vinculo secundum emtorem.

Nec sane mora secundi venditoris nocere potest secundo emtori, ut

patet ex eo, quod supra innuimus, scilicet, quod licet venditor ille eandem rem retrovendidisset primo venditori, ne cum tamen tradidisset, potior tamen in causa dominii haberetur secundus emtor, cui res tradita sit, ex reg. in *l. quoties, C. de reivindic.* Nemo enim dixerit, plus Juris habere debere primum venditorem ob moram a primo emtore in retrovendendo commissam, quam si revenditio ipsa facta esset.

Ita pariter rejicienda est distinctio illa, quam nonnulli proferunt, an secundus emtor pactum illud de retrovendendo cum primo emtore initum sciverit, an potius ignoraverit. Nihil enim commune habet illius scientia cum Jure dominii, aut actionis personalis, aut hypotheca; & semper verum erit, dominium esse translatum in secundum istum emtorem, & pactum esse personale, cum solo primo emtore initum. Quare advertendum est, scientiam, adeoque malam fidem, & dolum, non afficere rem, sed personam dumtaxat, & quidem ejus folius, qui dolo malo quid admisit, non etiam illius, qui a dolo comparavit, quam in rem est textus apertissimus in *L. dolas, C. de rescind. vendit.* vide Fabr. dec. 7. err. 3.

Tandem in quantum ad proxim, pro evitandis his omnibus controversiis, illud observari solet, ut in venditione cum pacto retrovendendi addatur expressa bonorum obligatio & hypotheca; tunc enim putant communiter ex ea agi posse a venditore adversus tertium bonorum possessorem, Magon. dec. 80. num. 30. Borgninus dec. 16. num. 10. Cyriac. contr. 308. num. 61. cum seq.

Utrum bona fideicommissio subjecta possint hypothecari.

D I S C U S S I O IV.

Duo omnino sunt casus, qui in hac controversia generaliter distinguuntur. Prior est, si ab eo, qui onus fideicommissi injunxit, non est expresse addita alienandi prohibitio, ita ut haec prohibitio tacite tantum inficit ex onere restituendi heredi injuncto in favorem fideicommissarii: quod quidem onus inducit legalem alienandi prohibitionem. Ita erit si testator simpliciter dicat, Heredis mei fidei committo, ut bona mea restituat Cajo. Alter casus est, quando praeter hanc tacitam legis prohibitionem, adest expressa testatoris prohibitio, qui bona fideicommissio subjecta alienari vetet. Ex hac casuum distinctione varie respondendum est; sed praे omnibus advertendum est, questionem non esse de fideicommissio puro, quod statim restitui debeat, in quod hypothecam nullam contrahi posse certum est: sed esse de fideicommissio, quod ex adventu diei, vel conditionis pendeat, veluti si dictum sit, Rogo ut

ge:

restituat post mortem suam , vel si navis venerit ; tunc enim pendente die , aut conditione , inquitur , an liceat gravato hypothecam in iis bonis contrahere , quæ tamen duret ad id scilicet tempus , quo dies advenerit , vel conditio purificetur , & non ultra , ex regula , Quod resoluto Jure datoris , resolvitur Jus acceptatoris , *l. lex vestigali* , *ff. boc tit.* Sit ergo .

Conclusio I. Quando adest tantum fideicommissum sine ulla expressa alienandi prohibitiōne , licitum est pendente die , aut conditione , res fideicommissio subiectas pignori , vel hypothecæ dare . Ita Soccinus junior *conf. 198. num. 5. lib. 1. Fusar. de subst. qu. 693. num. 18. & q. 703. num. 1. Peregr. de fidicicom. art. 40. num. 112. Negat. boc tit. par. 2. membro 2. num. 31.*

Probatur I. ex *d. l. lex vestigali* , ubi sermo est de fundo vestigali alteri concessio sub ea lego , ut si post certum tempus vestigal solutum non esset , is fundus ad dominum rediret ; & tamen Scævola ait , fundum hunc pignori dari posse , sic ut pignus consistat , donec fundus ob non solutum vestigal ad dominum redat . Facit etiam textus in *l. si sit cui, §. beres, ff. quemadmodum serv. amitt.* ubi si heres fundo sub conditione legato imponat servitutem , servitus tenet , & non extinguitur , nisi legati conditio existat ; idque ex regula , quæ ait , Plerumque sit , ut etiam ea , quæ a nobis possunt abire , perinde in eo statu sint , atque si non essent ejus conditionis , ut abire possint , *l. plerumque, ff. de reg. juris.*

Probatur II. quia res fideicommissio subiectæ possunt vendi & donari , antequam fideicommissum existat : ergo multo magis poterunt hypothecari . Probatur antecedens ex *l. servo legato* , §. 1. ff. de leg. 1. ex *l. fin. §. fin. ff. de leg. 2. & ex l. generaliter* , §. si cum legatum , ff. de fid. libertatib. ibi : *Si sub conditione sit ei libertas relata* , & pendente conditione alienatus sit , attamen eum sua causa alienetur ; hoc est alienatio valet , ita tamen ut conditione existente , servus libertatem consequatur . Unde communiter docent , hanc alienationem pendente conditione non posse interim per substitutum revocari . Immo & censem valide super bonis fideicommissio subiectis constitui , probat Cencius de censib. par. 1. c. 2. q. 1. art 6. num. 1. Duardus in *cod. tract. tit. de re censi subjugata* , §. 1. q. 7. num. 54. Ita posse in solutum dari creditori , tradit Fusar. qu. 696.

Probatur III. ratione , quia pendente conditione nullum Jus fidei commissario videtur quæsumum , cum conditio nihil ponat in esse , idem est si dies pendeat . Unde quatenus sit nulla obligatio & alienatio , nullitas non oritur , seu resultat ex nunc , hoc est ex tempore factæ distractio- nis & pignoris , sed ex tunc , nimirum ex tempore adventus conditionis vel diei : quare interim actus habet implicitum statum validitatis ex tex- tu in *d. l. lex vestigali* .

Objicies ex textu in autb. res quæ , C. commun. de leg. ex quo res ,
D quæ

quæ subjacent restitutiōni , prohibentur alienari , vel obligari , ex §. quamobrem , adib. de restit. & ea quæ parit . Ex quo textu permotus Angelus ibid. in princ. num. 2. generatim tradidit , bona fideicommissio subiecta non posse neque etiam conditione pendente hypotheca , vel pignori dari , quem sequutus est Alex. in l. si constante , n. 28. ff. sol. matr. & alii , qui docent , per illum textum corrigi reliqua omnia Jura , quæ in contrarium adducuntur . Confirmant idipsum ex l. fin. §. fin autem , C. commun. de leg. in illis verbis : Melius quidem faciet , si & in his casibus caveat ab omni venditione , aut hypotheca .

Pro responsione sciendum est , in d. §. quamobrem nullum legi expressum verbum , quo prohibeat alienatio vel obligatio eorum bonorum , quæ restitutiōni , seu fideicommissio subiecta sint ; tantum ex mente legis id collegisse Irnerium , cum hanc prohibitionem expressit in d. auth. res quæ . Collectionis ratio est , quia Justinianus impertitur alienationem aut obligationem , cum agitur de dote , & de donatione propter nuptias ; quia ergo exceptio firmat regulam in contrarium , & inclusio unius est exclusio alterius , ideo his duobus casibus exceptis , in reliquis omnibus vetita hypotheca , & distractio intelligetur . Quæ quidem verissima sunt , sed nihil contra nos ; quia ex his responsis ad argumentum patet ; nam cujus generis est exceptio , ejusdem est regula ; quæ propter cum Justinianus ibi sermonem habeat de alienatione , vel hypotheca irrevocabili , ut est ea , quæ fit ex causa dotis , vel donationis propter nuptias restituendæ , & (ut Doctores addunt) etiam constituedæ : propterea prohibitio cadet etiam in distractione , & pignorazione irrevocabili , quæ nimirum per casum restitutiōnis non revocatur . Quod nos quidem ultra concedimus : cum enim dicimus pendente fideicommissio posse bona oppignerari & distrahi , id ita capimus , ut hæc omnia in fideicommissi restitutiōne evanescant , ut jam notavimus ex d. l. ix. vestigali , ff. hoc tit. cum aliis supra citatis . Ita Merlinus lib. 1. tit. 3. q. 6. num. 4.

Quod vero spectat ad text. in d. l. fin. §. fin autem , respondemus verba ita esse concepta , ut consilium tantum innuant , veluti dicendo , Melius quidem faciet , &c. quod utique non necessitatē legis , sed consilii arbitrium demonstrant ; eo præsertim , quia Justinianus in ead. l. ge. hæc subdit : *Sciat quod conditione impleta ab initio causa ad irritum revocetur* : quæ verba satis docent , interim pendente fideicommissi conditiōne aut die , hypothecam & distractiōnem substineri , cum dicatur ad irritum revocari tunc , cum restitutiō facienda est .

It. Conclusio , si præter fideicommissum , adsit expressa alienandi prohibitio , tunc non solum alienatio prohibita dicitur , sed etiam hypotheca , ut plene ex communi opinione , Fusar. qu. 554. Alciat. in l. alienationis , in princ. ff. de verb. signif. Redoanus de reb. Ecclesiæ non alien. q. 1. Peregr. de fideic. art. 40. num. 118. Ratio conclusionis aperta est ,

est, quia etsi olim stricta fuerit alienationis appellatio, tamen hodie ex *I. sancimus*, *C. de reb. alienis non alienandis*, statutum est, porrigi non solum ad translationem, seu desitionem dominii, sed etiam ad ususfructus dationem, hypothecam, pignoris nexum, servitutis impositionem, & emphyteusis contractum; idque sive alienationis nomen prolatum proponatur a lege, sive a testatore, sive pacto contrahentium, ut latius deduximus ad *I. i. C. de bonis maternis, par. 3.* Unde ajunt, prohibita alienatione, intelligi prohibitum omnem actum, per quem ad ipsam perveniri possit, etiam mediate, *DD. in I. filius fam. §. divi*, *ff. de leg. 1.* & in *d. I. sancimus*. Propterea neque etiam fideicommissi die, aut conditione pendente, hypotheca valebit; quia statim initio ipso Jure est nulla, ut recte notat Seraphinus *dec. 757. num. 3. & seq.*

Verum perplurima sunt, quæ hic DD. cumulant pro restrictione hujus conclusionis, quæ breviter examinanda sunt. Quæritur ergo, an bona prohibita alienari veniant sub generali hypotheca.

I. Sunt qui generaliter affirmant venire, ex *cap. nulli, de reb. Ecclesiae non alien.* ubi alienationis nomine continetur specialis hypotheca, ut propterea videtur innui generalem hypothecam sub eodem nomine non comprehendendi, neque prohiberi; maxime quia in generali hypotheca minus præjudicium infertur domino, quam in speciali, ut patet ex eo, quod qui specialiter servum hypothecæ supposuit, nequit deinde servum de manu mittere: quæ tamen manumissio non denegatur ei, qui generalem hypothecam contraxit, *I. si quis obligatus, ff. qui sine manu. ad libertatem, I. 3. C. de servo pignori dato*, & notat Gles. in *cap. quamquam, dist. 23.* Ita post alios Covar. 2. var. 16. Redoanus *de reb. Eccles. q. 2. cap. 6.* Molina *de contract. disp. 466. num. 2.* & communiter Can. in *d. cap. nulli.*

II. Alii distinguunt inter prohibitionem alienationis sub pena, veluti si substitutus, seu fideicommissarius statim alienatione facta vocatur, & inter prohibitionem citra penam; itaut velint hoc casu bona in generalem hypothecam venire ex rationibus jam adductis; secus vero in illo primo casu: quod probant tum ex mente testatoris, qui penam addendo videtur strictissime ligare gravatum heredem, ne ullo pacto alienet: tum etiam ex mente alienantis, qui in dubio, hoc est universaliter loquendo, non est censendus se ad penam obligare voluisse; itaut non videatur generaliter hypothecare, quæ specialiter non hypothecasset. veluti non comprehenduntur in generali mandato ea, quæ quis in specie non concessisset, *I. 1. ff. de muncr. & bonor. I. uxorem, §. scilicissime, ff. de leg. 3.* Quæ distinctione est ex mente Bart. in *I. codicillis, §. instituto, n. 3. ff. de leg. 2.* qui ait, sub generali hypotheca non comprehendendi bona prohibita alienari, ne pena contrahatur; quare videtur sentire, ea bona comprehendendi, quoties nulla pena apposita est. Sequitur Gabriel *tit. de reg. jur. concl. 12. n. 38. Peregr. conf. 50. lib. 4. Cyriac. latissime contr. 222. num. 56. cum seq.* Merlinus *loc. cit. quæst. 7. num. 14.*

Id tamen restringunt, cum qui generali hypothecæ sua bona subjecit; non habet, nisi ea, quæ alienari prohibita sunt; tunc enim ne verba sint inania, censeretur illa ipsa obligasse, & poena committeretur, ut præter Gabr. & Peregr. supracitatos, docet Petralaneta *sag.35.* et si Thesaur. *decis.193. num.3.* æquitate motus, ne hæc poena committatur, dicat generalem hypothecam hoc casu cadere non super bona ipsa alienari prohibita, sed super fructus, & super bona, quæ quis deinceps acquisitus sit, ut etiam decidit Rota *decis.489. num.7. par.4. in noviss.*

III. Alii generatim ajunt, bona alienari prohibita, sive poena adjecta sit, sive non, non posse ullo modo obligari, neque etiam si generalis hypotheca sit, ut docet post alios Steph. Quaranta in *summa bullarum. v.alienatio.* Quæ sententia verior est, & non obscure colligitur tum ex *d.l.sancimus.C.de reb.alienatis*, tum etiam ex *Extr.ambitiose*, in quibus generatim nulla facta distinctione, sub nomine alienationis, sive a Jure, sive ab homine prolatu, semper comprehenditur hypotheca: & ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. Id ipsum affirmat ratio ex definitione alienationis desumpta, quæ est, ut sit dominii, vel Juris translatio, aut desitio, ut latius a nobis dictum est in *d.l.i. C. de bonis maternis*: sed hujusmodi est hypotheca quæcumque, etiam generalis; quare sub prohibitione alienationis contingebitur.

Neque in contrarium opposita refragantur; nam conjectura desumpta ex *cap.nulli, de reb.Eccles.* excluditur, & elevatur per alias Juris constitutiones, in quibus, ut diximus, sineulla distinctione hypotheca quæcumque prohibetur, ut prohibetur quæcumque alia Juris impositio & onus. Quod vero ajunt de servo, generali hypothecæ subjecto, & valide manumissio, respondetur hic duo esse consideranda: primo id introductum esse favore libertatis, ob quam multa in Jure nostro specialia permituntur; quare non idem esset, si debitör servum illum vendat: secundo id intelligi, quoties in fraudem creditoris manumissio non cedat, quod est, si debitör etiam manumissio servo reperiatur solvendo, & adsint alia bona, super quibus creditoribus fieri possit satis, ut patet ex *l.i. C.cod.tit.de serco pignori dato.* Hoc tamen concedimus, per hypothecam generalem permitti venditionem, quæ tamen tendat ad augendum patrimonium per commercium; non etiam tam, quæ diminuat: nam qui generaliter omnia bona obligavit, potest vendere fructus & pecudes, ne impediatur rem suam agere, Myns. in *§.item Serviana, Institutionibus de a.7. per text.in l qui tabernas, ff.hoc tit. Afflict. dec.6. Merlin. lib.1. qu.45. & lib.2. q.46.*

Ex quibus ieficitur Leonini opinio, qui distinguunt inter hypothecam odiosam, & favorabilem. Odiosam vocant eam, quæ fiat in peñam & in odium certæ personæ, quo casu sub nomine alienationis hypothecam nolunt comprehendendi: quare licet accusatus de crimine capitali, ex quo bona sint confiscanda, nequeat alienare, tamen oppignerare & specialiter

cialiter sua bona poterit. Favorabilem e diverso appellant, quæ privilegio in alterius favorem tendat, veluti substituti, aut fideicommisarii, creditoris, & similium: tunc hypothecam non posse contrahi docent. Unde in *I. si pupillorum*, §. *si pater*, ff. *de reb. eorum*, prohibito alienandi comprehendit etiam hypothecam, ut post Gl. tradit Cyn. Bald. & alii id *d. l. sancimus*, *C. de reb. alien.* Alex. *conf. 29. num. 5. i. lib. 2. Ant. Fanensis de pignor. par. 2. msmb. 3. num. 69.* Tiraqu. *i. de retract. §. i. gl. 18.* ubi tamen alios refert, qui hanc distinctionem impugnant, docentes semper hypothecam prohibitam censeri, quia semper verbum alienationis generale est, & ad omnes hypothecas se extendit, uti diximus. Vide Alciat. in *I. alienationis*, ff. *de verbis signif.* & Quaranta loc. cit.

Rejicitur II. sententia eorum, qui distinguunt inter prohibitionem alienationis in contractu factam, & inter factam in ultimis voluntatisbus, ut in istis alienationis nomen etiam hypothecam comprehendat, in illis non item. Pro qua tamen re clarius percipienda, sit.

Utrum alienationis nomen in contractu appositum & hypothecam comprehendat.

D I S C U S S I O V.

Quoniam hæc questio maxime pro emphyteusi proponitur, præterea sciendum est, in Jure nostro emphyteutæ non omnem prohibiti alienationem, sed tantum venditionem domino irrequisito, ut in *Lexum dabit abatur*, *C. de Jure emphyteutico*: ideo fundum concedentes, ut sibi plenius caveant, solere in emphyteusis contractu expresse apponere, ne alienarj possit. Questio modo est, utrum hoc casu licet emphyteutæ fundum oppignerare. Etsi enim Alex. in *I. lex vestigali*, ff. *eadem*, Angelus in *autb. de restitutionibus* & ea, quæ parit, Berous *conf. 1. 27. num. 12. & seq. lib. 1.* aliquie voluerint, ex legibus etiam, emphyteutæ pignus, vel hypothecam prohiberi; hæc tamen opinio falsa est: movent enim ex *autb. boc jus*, & ex *autb. quæ res*, *C. de Sacros. Eccl.* in quibus apertis verbis Justinianus vetat, pignori, aut hypothecæ res emphyteuticas concedi; qui tamen textus palam de Æconomio Ecclesiæ loquuntur, cui non ea administrandi facultas conceditur, quæ emphyteutæ; propterea ex illo ad hunc trahi nullo modo possunt: quare certum sit, ex legum dispositione licitam esse emphyteutæ oppignationem, quando aliter pacto convenutum non est. Solum ergo dubium est, cum patto eidem alienatio prohibetur.

Et quidam distinguunt duos casus. Primo si simpliciter alienatio prohibita sit, quo casu emphyteutæ hypothecam permittunt. Secundo si generaliter omnis alienatio prohibetur; nam tunc etiam oppignationem

rationem illi prohibitam volunt. Ita post alios Merlinus lib. i. tit. i. q. 8. n. 7. & 36. Quæ distinctione nullo modo ferri potest, cum notissimum sit, propositionem indefinitam equipollere universaliter: quare tantundem est dicere, Prohibeo alienationem, quam Prohibeo omnem alienationem; quocirca si hoc casu hypotheca non permittitur, neque etiam illo permittenda erit.

Alii vero generatim affirmant, emphyteutica bona, prohibita alienatione, posse hypothecari etiam irquisito domino, Bart. & Castr. in *I. tutor*, §. ult. de *pign. act.* Alex. in *I. si constante*, num. 25. cum seq. ff. sol. matr. ibique Crotus in *lett. num. 94*. Fachin. 3. *contr. 98*. Menoch. *con. fil. 66. 2. num. 2*. aliisque communiter. Itaque circa verbum alienandi distinguunt, monentque strictius sumi, cum in contractibus appositum est, ubi hypothecam non comprehendit, latius vero accipi in ultimis voluntatibus, in quibus ad eam quoque extenditur; quia scilicet lex majori favore voluntates mercantium prosequitur, quam contractus, in quibus stricta interpretatio fit, Covar. 2. *variar. 16. num. 7*.

Proabantur I. ratione, quia pacta prohibentia alienationem debent regi a sua causa, ob quam sunt apposita, quæ causa hic esse non potest, nisi Jus directi dominij, cuius gratia domino, cum agitur de emphyteusis alienatione, debetur aut prælatio, si etiam ipse emere velit, vel certe laudem, si nolit emere. Sed hypotheca emphyteutis nullum omnino præjudicium infert aut prælationi, aut laudem. Ergo pacta prohibentia alienationem hic non comprehendunt hypothecam, sed solum eos actus, ex quibus transfertur dominium. Præfertim cum hypotheca hoc casu non deserviat creditoribus, nisi ad perceptionem fructuum, qui existent ipsius emphyteutæ: nec duret, nisi ad id usque temporis, quo emphyteusis ad dominium directum revoleretur, ut ex Rota divers. decif. 426. num. 4. par. 1. Franch. dec. 226. num. 3. Surd. dec. 286. sub num. 12. Osasch. dec. 156. num. 9.

Proabantur II. ex legibus, quia in *d. I. tutor*, §. fin. ff. de *pign. act.* expresse dicitur, vectigale præmium pignori dari posse, hoc est, usque cum revertatur ad dominium, ut in *d. I. lex vectigali*, ff. hoc tit. Præmium autem vectigale est, ex quo solvitur census Principi, sicut ex emphyteusi solvitur annuus canon homini privato; quocirca a fortiori emphyteusis poterit oppignerari, non obstante prohibitione alienationis.

Hanc conclusionem varie explicant, & producunt. I. ut hypotheca contrahi possit etiam domino non requisito, quod est contra Bart. in *d. I. tutor*, §. ult. idque ex duplice ratione: primo, quia cum consensus domini obtinetur, nullum est dubium, posse emphyteusim non solum oppignerari, sed etiam vendi, ut in *d. I. cum dubitabatur*, C. de *Jure emphyt.* Deinde, quia tunc dominus directus requiri, & rogari debet, cum est timor caducitatis, ut vocant, hoc est, ne ob poenam emphyteusis devolvatur ad dominum: quæ poena nunquam incurrit per hypothecam,

pothecām, sed solum per venditionem. Unde communis opinio est, quod si emphyteūsis fuerit concessa sub expresso pacto, tunc hypothecetur, & eonon obstante emphyteuta hypothecet, non propterea incurritur pœna caducitatis, sed solum hypotheca est nullius momenti, Corbula de privatione ob alienationem, lim.33. Amic. de Jure emphyt. qu.14. Negus. boc. tit. par.2. memb.3. num.79. cum seqq. Itaque cum in hypotheca de pœna caducitatis non agatur, non opus est, ut requiratur domini consensus, nisi forte ob majorem cautionem, ut ait Specul. de Jure emphyteute. et recti, q.122.

Producunt II. in meliorationibus, quæ sicut in emphyteusi, quas ἡ μητρία ποτα Græce vocat text. in d. l. cum dubitabatur, & in l. si quos, C. de decurionibus, lib. 10. etiam si in casu devolutionis ex pacto ad directum dominium pertinerent, cum non debeat melior esse conditio accessorii, quam sit ipsius rei principalis. Quin etiam emponemata vendi interim posse, docet Rota dec. 294. num.7. par.1. in noviss. quod sequitur Merlinus loc. cit. num. 29. Sed hoc, quod de venditione dicunt, nullo modo recipi potest, cum aperte aduersetur text. in d. l. cum dubitabatur, ubi aperte nec emphyteusim, nec emponemata vendi posse statuitur.

Producunt III. etiam in emphyteusi Ecclesiastica, quæ nullum in quantum ad hanc rem privilegium habet, Mantica de tacit. lib. 11. tit. 4. num. 25. Cyriac. contr. 205. num. 220. Gratian. discept. cap. 43. nam. 8. cum sequ.

In quantum vero ad extinctionem hujus hypothecæ, notant nonnulla, nimirum quod licet extinguatur, ut diximus, quando emphyteusi devolvitur ad dominum, vel ob canonem non solutum, vel ob lineam finitam, aut quavis alia de causa; tamen creditoribus salvum Jus remanet super meliorationibus, quæ ut a domino refici debent ipsi emphyteutæ, ita peti a creditoribus possunt, qui habent hypothecam in emphyteusa bonis; dummodo excipias eum casum, quo meliorationes ex pacto ad dominum directum pertinerent post devolutionem, Rota dec. 502. par. 3. in noviss.

Sed si emphyteutis redeat ad dominum, non Jure devolutionis, sed ex aliquo contractu, puta emtionis, permutationis, donationis, utique pignus non dissolveretur: nam tunc non venit ad emphyteusim ut directus dominus, sed ut quilibet alias contrahens, Franch. d. decif. 226. num. 4. ubi etiam notat, quod si dominus veniret ad emphyteusim Jure prælationis, licet eo casu renierat, tamen quia veniret Jure dominii, ideo docet resolvi pignus, ut etiam post alios tradit Osachus. dec. 156. num. 14. Quod satia notabile est.

Hæc est communis opinio circa questionem ab initio propositam, posse scilicet emphyteusim hypothecæ supponi, quoties ejusdem alienatio est prohibita; tamen si meminerimus ea, quæ supra deduximus in

in discussione antecedenti *conclus.* 2. palam falsam esse comperiemus; demonstravimus enim alienationis nomen semper hypothecam comprehendere etiam, si in contractibus appositum sit. Ecce tibi verba Justiniani in *I. sancimus*, *C. de reb. alienis non alienandis*: *Sancimus sive lex alienationem inhibuerit, sive testator id fecerit, sive pactio contrahentium hoc admiserit, &c. vel hypothecam, vel pignoris nexum penitus prohiberi.* Quia ergo fronde dicere possumus alienationis nomen in contractibus appositum hypothecam non complecti? cum hic expressissimis verbis dicatur, hypothecam penitus prohiberi alienatione prohibita, etiam quando pacto contrahentium facta alienationis prohibitio est.

Ad rationes vero Adversariorum facilis responsio est. Cum enim dicunt, ex hypotheca rei emphyteotica nullum sequi præjudicium contra dominum directum, quia nec prælatio, nec laudemum eo casu locum habet; respondemus hic non agi de præjudicio, sed de voluntate domini concedentis emphyteusim; dominus enim potest rei suæ quamcunque conditionem, legem, seu pactum apponere, etiamsi conditio illa, lex, seu pactum, nullam utilitatem domino allaturum sit, & contraventio nullum præjudicium, *I. ult. C. de rerum permis. l. ei fundo, ff. de servit. l. venditor, ff. communia prædior.* Hinc est, quod potest quis jubere, bona in mare dejici, et si ex projectione nullam utilitatem percepturus sit; satis est enim ita voluisse, *I. Maevius, ff. de condit. & demonstr.* Sed ut Stratius cum Adversariis agamus, proferemus exemplum in feudo, ex cuius hypotheca certum est nullum præjudicium Regi, aut alii domino directo inferri, ut nullum etiam infertur ex hypotheca emphyteusis; & tamen certum est in feudo hypothecam non substineri, cum in eo quecumque alienatio prohibeat, ut expressum habetur in *cap. i. tit. de prohib. alienat. per Lorbarium, cap. licet vasallus, in fine, tit. si de fuedo defuncti, Afl. in constitut. nostri Regni, quo incipit, Constitutionem divæ memoriae, num. 81.* Et ratio est, quia in his casibus, ut diximus, voluntas attendenda est, non præjudicium, aut utilitas. Voluntas autem prohibendi hypothecam in emphyteusi aperte patet ex prohibitione alienationis, quando sub hoc nomine etiam a contrahentibus expresso hypotheca comprehenditur, *d.l. sancimus*. Nec obstat, hypothecam devolutione emphyteusis ad dominum dissolvi; nam etiam quæcumque alia alienatio eodem casu dissolveretur, & nihilominus alienatio fieri non potest: ergo nec hypotheca.

Neque iterum obstat, fundum vestigalem posse hypothecari; nam respondemus *I. in d.l. tutor, & d.l. lex vestigali*, nihil constare de fundi vestigalis prohibita alienatione: potest enim fieri, ut fundus vestigalis naturam habuerit fundi emphyteotici, in quo ex lege non est prohibita omnis alienatio, sed solum venditio, ut diximus ex *I. cum dubitatur, C. de Jure emphyt.* quare sicut emphyteusis ex lege etiamnum potest hypothecari, ita etiam olim potuerit fundus vestigalis. Quæstio-

ye-

vero natura est, cum expresse ex contrahentium consensu additum est, ne emphyteusis alienetur, quod ipsum fuisse in vectigali fundo conven-
tum non appetat.

II. Respondemus, olim Jure Digestorum alienationis nomen strictius accipi solitum, nec comprehendisse hypothecam, ut patet ex *l. alienationis, ff. de verb. sign.* Justinianum vero ejus significationem ampliasse etiam ad pignus & hypothecam, patet ex *d.l.sancim.*, quae privatim pro hypotheca lata ab Imperatore videtur; & certe ea nova sanctio non fuisset opus, si etiam Digestorum tempore alienationis significatio ita late patuisset, ut a Justiniano ibi in Codice disponitur. Propterea nihil mirum est, si olim fundus vectigalis, etiam posito, quod ex pacto alienari prohibitus fuerit, potuerit tamen hypothecari. Hodie vero secus esset ex nova Justiniani lege. Proinde Adversariorum argumentum nullum est, dum inde concludunt, emphyteusim alienari prohibitam posse hypothecæ supponi, ex quo etiam generalem regulam faciunt, alienationis nomen in contractibus ad hypothecam non extendi, quod est, ut diximus, contra expressa Imperatoris verba in *d.l.sancim.*

Illud tamen non inviti admittimus, quod tradunt de hyporheca sive etiam alienatione inter comprehensos. Dicuntur comprehensi, qui cunque ad emphyteusim vocati sunt, veluti si concessa sit tibi, & descenditibus usque ad quartum gradum, isti descendentes videntur comprehensi. Docent ergo, possessorum emphyteusis posse comprehensis istis cum fundum non modo hypothecare, sed etiam in ipsis alienare, non obstante quacunque prohibitione. Ita communiter Doctores post Menoch. *conf. 1894. num. 16.* & Rotam diversorum dec. 284. num. 2. par. 1.

De lege Commissoria pignori adjecta.

D i s c u s s i o VI.

Vulgo DD. post Gloff. in *l. 1. C. de partis pignorum; 4. creditoribus,* docent legem commissoriam in pignoribus, proprie loquendo, intelligi, cum verba ita concipiuntur, ut intra certum tempus, pecunia pro luendo pignore a debitore non soluta, pignoris dominium ipso Jure censeatur in creditorem translatum, veluti dicendo, pignus sit creditoris Jure dominii, intelligatur ei venditum, cedat ei in solutum, aut simili alio modo. Nam si haec translatio dominii in creditorem non fiat ipso Jure, sed facto ipsius debitoris, tunc dicetur lex commissoria improprie, puta si pignus intra diem statutum non relatur, res detur in solutum a debitore ipsi creditori. Sequitur Bartol. in *l. quamvis num. 1. ff. de solut.* *Surd. dec. 248. num. 1.* & alii communiter.

Pignus ita contractum appellabatur Fiducia, & a Cujacio ad sententiarum Pauli, tit. 13. ita definitur. Est Fiducia pignus, quod creditor i mancipatur, aut in Jure ceditur, ea lege, ut soluta ad diem pecunia, remancipetur, non soluta, creditor i pleno Jure committatur.

Ita per pignus non transit dominium, per fiduciam transit, Isidorus 5. orig. Et probatur ex Paulo loc. cit. §. debitor, ubi Debitor creditor i fiduciam vendere non potest, sed aliis, si velit, vendere potest, ita ut ex pretio ejusdem pecuniam offerat creditor i, atque ita remanicipatam sibi remancipatori praestet. Et ex eodem Paulo 3. sent. tit. 6. ubi legatis ancillis non veniunt, quae fiduciae datae sunt. Nempe quia debitoris non sunt, ut ibidem Cujacius ait. Ceterum servi pignori, vel hypothecae dati, debentur, l. suos autem, ff. de leg. 3.

Olim tamen lex commissoria in pignore erat, cum pignus mancipatur, vel quod effectu idem erat, cedebatur in Jure creditor i per debitorem; his enim modis pignoris dominium statim in creditorem transferbatur: verum addebatur pactum, quod lex commissoria dictum est, ut soluta ad diem pecunia per debitorem, creditor teneretur vel remanicipare pignus, vel in Jure retrocedere: pecunia vero non soluta, creditor i pignus pleno Jure commissum intelligeretur. Unde legis commissoria nomen perfluxit: quippe lex hic non nisi pactum significat, quod idcirco lex dictum est, quia pactum legem dat contractui, l. i. §. si convenit, ff. depositi, l. contractus, ff. de reg. Juris, l. legem, C. de partis. Commissoria vero dicitur ex illis verbis, Creditori pignus pleno Jure commissum intelligeretur. Itaque legem commissoriam dicere debemus, nunquam vero pactum legis commissoriae, quod perinde esset, ac si pactum pacti commissorii diceres, quod est absurdum; et si ita loquatur Innocentius in cap. significante, de pignoribus.

Id quod diximus manifeste patet ex lege commissoria, quae in venditionibus adhibetur; nam vendo tibi praedium, & trado, hoc est statim in te praedii dominium transvero, at si pretium a te mihi certo tempore non fuerit solutum, praedium sit inemtum, l. i. ff. de lege commissoria. Ita ergo in pignore statim creditor i conceditur pignoris dominium per mancipacionem, quae olim habebatur ut venditio, vel per cessionem in Jure, at pecunia ad certam diem soluta, pignus remaniciparetur, vel retrocedeatur. Idque etiam dicebatur Fiducia, ut dictum est, quia fidem habebat debtor sibi dominium pignoris restitutum iri, Cujacius ad Paulum lib. 2. sent. tit. 13. qui inscriptus est de lege commissoria, §. i. Fab. 21. err. 1.

Hec vero lex commissoria in pignoribus improbata fuit ab Imperatore Constantino in l. fin. C. de part. pign. quia creditores facile pelliciebant debitorem, ut rem magni pretii pro exiguo debito manciparet, proposito fiduciae, seu remanicipationis remedio, quo deceptus debtor, si bi persuadebat, parum sua interesse, plurisne, an minoris pignus esset, quip-

quippe quod tanto facilius redhibitum iri speraret , quanto minor foret pecuniae quantitas , pro qua pignus datum fuisset . Et licet accidere posset , ut pignus quandoque se pecuniae creditae æquet , lex tamen adaptatur ad ea , quæ frequentius accidunt , *I.nam ad ea , ff.de legib.* Adde , quod creditores olim non facile mutuo pecuniam suam credebant , nisi mancipatio intercessisset . Et id est , quod ait Constantinus , *Crescente legis commissoria asperitate .*

Hæc de vera lege commissoria , ut olim erat . Ea vero , quæ hodie in usu est , nimurum , nisi debitor pignus luat intra certum tempus , pignus sit creditoris Jure dominii , est quoque improbata ab Innocentio III. in *cap.significante , de pignorib.* ibi: *Cum igitur pactum legis commissoria sit in pignoribus improbatum .* Idque verum est , sive lex ista commissoria sit propriis verbis concepta , sive similibus priorum , Surd. decisi. 247. n. 11.

Quæritur tamen I. quid Juris sit , cum lex commissoria est jurejmando munita? Et Abbas in *d.cap.significante* 3. notab. n. 4. Negat. par. 4. num. 3. aliisque apud Seraphin. *de juram. priv.* 131. docent , jusjurandum esse servandum ; quia Jusjurandum etsi de ea re interpositum fuerit , quæ legibus non probetur , tamen quia sine dispendio & detrimento salutis æternæ violari non potest , propterea servandum est : quod patet ex eo , quia conventiones illas omnes , contra Senatusconsulti Macedoniae , aut Vellejani , aut legis Julianæ prohibitionem factas , & alias hujusmodi sexcentas a Jure civili improbatas , Jus tamen Pontificium passim tuetur , ratione illa generali , quod hujusmodi juramenta non vi , pon dolo , sed sponte præstata , nec in alterius præjudicium redundant , nec observata vergant in dispendium salutis æternæ , *cap.cum contingat , de jure jur.cap.quamvis pactum , de pactis , in 6.* Volunt itaque supracitati DD. legem commissoriam juramento firmari , & juramentum esse observandum , quod etiam probant ex *d. cap.significante* , in illis verbis : *Juramenti debitum adimplevit.*

Alii vero magis communiter tradunt , legem commissoriam non confirmari , utpote quæ odio creditoris & usurarum sit prohibita , ut propterea juramento firmari non possit , quod non est vinculum iniquitatis , *cap.non est obligatorium , de reg. Jur. in 6.* valere tamen Jusjurandum , & omnino servandum esse , ad perjurii crimen evitandum , nisi impetrata sit absolvio , Covar. in *cap.quamvis pactum , 2. parte relectionis , §. 3. n. 3.* & 3. var. 2. num. 7. Merenda 1. contr. 3. n. 4. Guid. Papa qu. 6. Hi ergo ita generaliter circa materiam jurisjurandi distinguunt , quod si pactum est quidem a lege prohibitum , tamen non est iniquum , tunc ipsum pactum , alioquin nullum & illegitimum , juramento confirmatur , ut in fundi dotalis obligatione aut alienatione per mulierem facta , de qua in *d.cap.cum contingat , itemque in pacto de non succedendo , de quo in d.cap.quamvis pactum .* At quando pactum est legibus odiosum , est ini-

quum, aut fovet peccatum, tunc peccatum istud jurejurando non confirmatur: at vero jusjurandum prodest ad perjurii exceptionem inducendam, hoc est, si qui juravit, veniat contra suum juramentum, possit a conuento opponi illum esse perjurum, ut accidit in lege commissoria pignoribus adiecta.

Hujus distinctionis praecipui effectus duo sunt. Prior est, quia cum Jusjurandum non firmat contractum, sed solum perjurii exceptionem inducit, ad id vitandum satis est, quod obligatus impetraret absolutionem a vinculo Jurisjurandi, quae concedi solet ab Episcopo aut ejus Vicario facilime, nec citata parte, nec adhibita ulla causa cognitione: impetratur autem ad finem agendi. Post vero hanc impetrationem, nulla ad contractum rescindendum opus est in integrum restitutione, quia quod nullum prorsus est, rescindi nullo modo potest, l.5. §.1. ff. de iusjusto rupto, l.2. C. de pradiis minorum. Secus est, quando religio Jurisjurandi contractum alioquin prohibitum, confirmat; neque enim tunc satis est absolutionem impetrasse, sed necessarium praeterea est auxilium restitutionis in integrum ad contractum rescindendum, quae restitutio nunquam concedi potest, nisi causa cognita, vocatisque omnibus, quorum interest.

Posterior est, quod cum contractus Jurejurando firmatur, non tantum is, qui juravit, tenetur ex eo contractu, sed ipsius quoque heres, & successor: quia vinculum contractus est reale, & a propter obligat omnes, qui in contrahentis Jura succedunt, nec ob id solum fieri irritum potest, quod deceperit is, qui juravit. At vero, si jusjurandum solum vinculum perjurii inducit, tunc quia Jurisjurandi vinculum mere personale est ex parte jurantis, nec nisi jurantem obligat, ut si contra faciat, perjurus esse videatur; ideo ad successores non translat, cap. veritatis, de jurejur. Vasquez de success. creat, lib.3. §.28. n.14. Coras. in k. frater a fratre, num.73. ff. de condit. indebiti; et si isti putent nunquam Jusjurandum actum Jure invalidum firmare, sed solum perjurii exceptionem patere, quod est contra textus in d. cap. cum contingat, & dicto cap. quamvis partum, ut in Institutionibus Canonicis lib.3. tit. de pactis, & transact. notavimus.

At vero Faber dec.21. err.8. num.4. singulariter putat, in lege commissoria pignori adiecta, Jusjurandum neque etiam perjurii exceptionem inducere. Quod probat ex eo, quia improbandae hujus pactionis, & legis commissoriae ratio alia non est, quam quod implicat contradictionem, cum fieri nequeat, ut ejusdem rei pignus & venditio simul contrahatur, aut contracta unquam intelligatur. Sed Jusjurandum non obligat ad impossibile, & ad ea, quae contradictionem implicant: ergo hoc casu Jurisjurandi nulla est auctoritas. Probat etiam, quia, at DD. volunt, lex commissoria continet usurariam pravitatem: ergo Jurisjurandi observatio in hoc casu non est crita prejudicium & dispensarium.

dium salutis æternæ : & per consequens nullo modo obligat : nam tunc observari Juramentum debet , cum ejus violatio animæ periculum inducit , ut ip^s citat. capit. patet : maxime , quia in numero impossibilium ea quoque ponuntur , quæ tametsi de facto impleri possint , facta tamen vel bonos mores kederent ; vel leges , l. conditiones , cum. seq. ff. de condit. Institut. Inio. Faber ipse dec. 41. er. 5. num. 2. putat Jurejurando non confirmari contractus , nisi in casibus expressis in d. cap. cum contingat , & d. cap. quamvis partam , quas constitutiones ad alios diversus casus extendi posse negat , ne inde captetur occasio legum omnium violandarum , prætextu exhibiti Jurisjurandi : unde supra er. 4. idem Faber docuerat , donationem a patre factam filiofam. etiam causa matrimoniī non valere , nihil Jurejurando obstante ; nam inter patrem & filium donatione impeditur ob vinculum patris potestatis , quod obstat , ne qua inter patrem & filium fam. obligatio contrahatur , l. sc̄e emancipati , C. de donat. l. 2. C. de inoff. donationib. nec etiam , si alioquin justissima contrahendat obligationis causa intercedat , ut in specie textus in l. Imperator , ff. ad Trebell. Ideo autem Jus patris potestatis afferit hoc impedimentum , quod faciat ut patris & filii una eademque persona esse existimetur , l. ne cum filiofam. ff. de furtis : fieri autem nequeat , ut idem sibi ipsi obligetur , vel qua alia ratione debitor simul fiat , & creditor , l. heres a debitor , & servus suo , & seq. l. debitor , ff. de fidejuss. l. Sticbum , §. aditio , ff. de solut. Hinc ergo Faber concludit , juramentum facere non posse , ut donatione filiofam. collata valeat , faceret enim impossibile , & quod implicat contradictionem , ut scilicet idem sibi ipsi obligaretur , idem est in eadem re debitor , & creditor , seu debitor sui ipsius . Constat autem Jus patris potestatis esse venerabile non solum legibus civilibus , sed etiam Pontificiis , quæ nunquam statuunt hoc Jus per Jusjurandum tolli . Habet ergo in hoc casu locum regula Juri Pontificii , quæ negat impossibiliū ullam esse obligationem , nec si nullies Jurata proponatur . Verum de hac quæstione latius diximus in tract. de donationib.

Hic tamen minime obstantibus , non est recedendum ab eorum opinionē , qui docent , legem commissoriam eti. Jurejurando non firmetur , tamen parere exceptionem perjurii , nisi impetrata prius fuerit absolutio . Id patet evidentissime ex Innocentii S. Pontificis rescripto in d. cap. significante , de pignor. ubi habetur , ideo Civem Pisanum non teneri ex lege commissoria quia Quantum in eo fuit (verba textus sunt) juramenti debet tam adimplerit , hoc est , quia per debitorem Pisanum non stetit , quomodo in tra dictam diem pecuniam solveret ; dederat enim eam certo nuncio deferendam , quam tamen nuncius infideliter agens non persolverat . Inde ergo habetur , tanquam si Jurijurando fecisset satis . Quod aperte demonstrat , Jurisjurandi religionem in lege commissoria obligare . Et quamvis deinde S. Pontifex subiungat , Paſto tali , vel Juramento ne quaque obſtante ; tamen id dicit , non quia Jurisjurandi nulla ibi ratio .

tio habeatur , aliter enim sibi contradiceret textus ; sed quia debitor jam videbatur , quantum in ipso erat , Jusjurandum adimplesse : & propterea ejus exceptio Jurisjurandi amplius non obstabat .

Neque in contrarium facit , quod contractus iste sit usurarius ; nam respondemus usuras ipsas , si cum juramento promissæ sint , solvendas esse , ne juramentum contemtum videatur : verum tamen est , postmodum usuras esse restituendas ipsi debitori , qui solvit , ut aperte disponitur in cap. *debitores , de Jurejur.* Quæ duo docent ; primo usurarium contractum , quo nihil est odiosius , juramento non confirmari , cum peccatum foveat ; secundo ipsum juramentum esse servandum , nisi absolutio petatur : quod si absolutio non petatur , usuræ solventur quidem , ut juramentum impleatur , sed eo impleto repetuntur , quasi solutæ sine causa , ut ex d. cap. *debitores ,* advertit Portius in §. *extraneis , Instit. de heredum qualitate .* Ergo multo magis servandum est Jusjurandum . in casu legis commissoræ pignori adjectæ , quæ non nisi per similitudinem quandam videatur gravitatem usurariam complecti : nam usuræ proprie in solo mutui contractu esse intelliguntur , ut in tit. *de usuris .*

Neque iterum obstat , quod implicet contradictionem pignus simul esse cum venditione , ut velle videtur lex commissoria ; nam etsi ultro concedamus , Jusjurandum nihil omnino operari , ubi rei impossibili additur , cum hullo modo fieri possibile , quod per rerum naturam impossibile est , possit ; negamus tanien legem commissoriam quidquam , quod impossibile sit , continere . Nam aut loquimur de Jure antiquo , aut de Jure novo , & in neutro casu hanc implicantiam reperiri dicimus : quippe olim lex commissoria non erat , nisi venditio , seu mancipatio rei pigneratæ , quæ venditio concipiebatur sub conditione resolutiva , hoc est eam resolvi , cum pecunia creditori intra statutam diem persolverebatur : nullo autem modo erat pignus , nisi nomine tenus . Quod probatur ex eo , quia si contradictionem implicasset , ut quidem vult Faber , nunquam lex commissoria fuisse permissa : nam quod est impossibile ex sua natura , nullo tempore potest esse possibile ; & nihilominus certissimum est , quod ante constitutionem Constantini in *l. ult. C. de patellis pignorum ,* lex commissoria fuit permitta & licita ; quocirca non est impossibilis . Neque verum est , ab eo Imperatore fuisse deinde prohibitam , quod implicaret contradictionem , cum id falsum ex ipso textu appareat , ubi aperte dicitur , fuisse prohibitam , crescente asperitate ; hoc est , quod quicunque suas mutuo dabant pecunias , sub alia conditio ne nollent eas dare , quam lege commissoria , ut ita pignus lucrarentur , pro minori aut etiam minima summa pecunia creditæ , ut supra explicatum est .

Quod si de Jure novo sermo sit , neque etiam ulla apparet contradictionis implicatio : nam sunt distincta tempora pignoris , & venditionis : nam pignus purum est usque ad certani diem inter contrahentes

sta-

statutam: post vero diei adventum, & creditum non solutum, pignus transit in puram venditionem: hoc est, contractus pignoris resolvitur, & novus contractus venditionis initus intelligitur. Itaque etsi verum sit, pignus, & venditionem, si simul & eodem tempore fiant, implicare contradictionem: tamen aliud est, cum pignus uno tempore, venditio alio tempore fiat, ut clare patet.

Cuni vero Faber addit, donationem paternam Jurejurando non confirmari, quia per Jusjurandum patria potestas non tollitur, id quoque falsum est; nam in rebus spiritualibus patria potestas negligitur, quod patet ex cap.fin. §.fin. de judicis, in 6. ubi in causis beneficiorum, aliquo, quæ spirituales sunt, filiusfam. in judicium venire, & agere potest etiam sine patris consensu, qui consensus alioqui Jure patriæ potestatis exigetur. Ergo etiam negligenda est in casu nostro, ubi agitur de jurejurando, quod spirituale est, & vinculum animæ, cap.ctsi Christus, de Jurejur. Neque facit, quod Portius loc.cit. ait, hic agi de donatione, quæ spiritualis non est; nam quam facilime respondetur, donationem, de qua tractamus, non esse simplicem, sed juratam; & satis est ipsum Jusjurandus illi adnexum esse spirituale: ut etiam Jus patronatus, quia est spiritualitati adnexum, spirituale censemur, cap. quod autem, de Jure patronatus. Præterea Jusjurandum est de Jure divino, ex quo servandum est; patria potestas est de Jure civili: sed Jus divinum est potentius, Jus civile debilius: ergo hoc illi cedere debet; ut propterea in casu donationis paternæ filius habendus sit tanquam emancipatus, & non solum valebit & servandum erit Jusjurandum, sed præterea ipsa donatio confirmabitur, ex regula superius tradita, quod quæ peccatum non fovent, etsi Jure prohibita, tamen Jurejurando confirmantur.

Hinc colligitur, non esse audiendum Fabrum, cum ait, Jurejurando non confirmari contractus, nisi in casibus a Jure expressis, qui duo omnino sunt, hoc est, cum filia dote recepta hereditati paternæ renunciat, & cum mulier bona dotalia alienat & obligat; nam etsi textus in d.cap. cum contingat, & d.cap.q[uam]vis pactum, illos duos tantum casus exprimant; tamen ratio, quam addunt, universalis est, nempe jura menta sine vi & dolo sponte præstata, cum in alterius præjudicium non redundant, tunc observari debere, ne perjurium vergat in dispensarium salutis aternæ, eoque inde contractus ipsos confirmari.

Quæritur II. de lege commissoria adjecta pignori, quod datur ob causam dotis, utrum valeat? Puta, vir factio casu restitutioñis soluto matrimonio, pignora uxori tradit, addito pacto; ut nisi ad certam diem reluat, cedant in solutum uxori: aut contra, uxor pro dote, quam viro promisit, pignora tradit, sub hac lege, ut viri fiant, dote intra certum tempus non soluta.

Et communis responsio est, etiam in his casibus legem commissoriam improbari, ut nullum sit in hac parte dotis privilegium, Negus.

par.4.

par.4. num.2. &c.7. Covar.3. variar.2. Surd. dec.243. num.13. Et probatur ex l. quamvis, ff. de solutionib. ubi maritus pro restitutione dotis, quam acceperat, prædia obligavit, hac lege, ut diremto demum matrimonio, dōtem non restitueret uxori, sed pro ea, prædia obligata in solutum daret; & respondet Ulpianus virum ad hanc dationem in solutum non teneri, & satis esse, si vir offerat dotis quantitatem. Ex quo apparet, dotem hoc casu nullo privilegio frui, sed haberi instar reliquarum rerum, in quibus datio in solutum hoc modo concepta non valet, l.i. C.de pæctis pignoratu.

Posset tamen dici, hæc procedere, quando pæctum istud est interpositum favore uxoris, nec habere locum quando est favore ipsius mariti, ut scilicet non soluta sibi dote promissa, pignus sibi acquirat; ita ut hic favorabilior sit causa viri, quam uxoris, ex eo, quod ille portat onera matrimonii, quæ ut plurimum excedunt fructus dotis. Nam et si usuras sint generatim prohibitæ, & propterea fructus pignoris, quod est apud ipsum creditorem, computentur in sortem, cap. conquestus, de usuris; tamen id cessat in marito, qui fructus prædiorum pro dote pignori sibi obligatorum, non tenetur in sortem computare; cum frequenter dotis fructus non sufficient ad onera matrimonii substinenda, ut loquitur textus in cap. salubriter, cit. tit. de usuris. Ergo a pati, & ex eadem ratione idem videtur dicendum in lege commissoria. Et ita sunt intelligendi, qui dicunt legem hanc favore dotis valere apud Manticam de tacitis, lib. i i. tit. 10. num.37. Sed pro majori intelligentia.

Quæritur III. an datio in solutum, vel pro soluto, in pignore sit prohibita, & habeatur pro lege commissoria? Et post alios Bursat. consil. 320. num. 114. cum seq. lib. 3. Crav. consil. 327. Hencedeus consil. 3 i. lib. 1. contedunt, id omnino licitum esse. Quod probant primo, quia datio pro soluto est a Jure permitta, veluti si tibi quantitatem debeam, puta 100. & pro his accipias a me speciem, ut Sichum, aut frumentum, id datio pro soluto dicitur, & Jure permitta est, eleganter, ff. de pigner. act. Ergo id ipsum in pignore non debet censi prohibitum, aut legi commissoria exæquari.

II. Quia datio pro soluto comparatur venditioni, ejusque vicem gerit, d. eleganter. Ergo etiam dato hanc dationem in pignore haberi pro lege commissoria, licita erit censenda: propterea quod in venditione lex commissoria licite apponitur, tot. tit. ff. de lege commissoria; qui titulus licet sit generalibus verbis conceptus, non tamen adeo generalis est, ut ad quamlibet speciem legis commissoriae pertineat, sed ad eam dumtaxat, quæ venditionibus accommodatur. Ita non debet censi prohibitum, cum dationi in solutum adjungitur, ut quæ instar venditionis habetur.

III. Quia in datione pro soluto cessat ratio, ex qua lex commissoria fuit in pignore prohibita; nam hæc fuit, quia pignus pro non iusto pretio creditori plerumque assignatur; cum e diverso datio pro soluto

to plerumque pro justo pretio fiat. Ergo cessante prohibitionis ratione, etiam prohibitio ipsa cessare debet.

IV. Quod non est prohibitum, id debet censeri permisum, cap. *inter corporalia, de translat.* Cum ergo nullo Jure pactum, de quo agimus, legatur prohibitum, opus est, ut permisum omnino censeatur.

His tamen minime obstantibus, verius est, dationem in solutum in pignore legi commissoriarum conjunctam reprobari. Ita Mantica de *tacitarris lib. 11. tit. 9. num. 8. cum seq.* Purpurat. *conf. 349. num. 5.* Surd. *d. 2. c. 248. num. 12. & 19.* ubi id magis communiter a DD. probari testatur, quibus accedit Merlinus *lib. 4. tit. 4. q. 121. a num. 42.* Et patet expresse *ex cit. l. quamvis, ff. de solationib.* ubi palam dicitur, pignus ita contrahendum, ut non soluta ad certam diem pecunia debita, pignus ipsum cederet in solutum; & statuuntur, debitorem non obligari pacto, sed debitam quantitatem solvendo, liberari. Id ipsum habetur in *l. Titius cum matuos, ff. de contr. emt.* Debitor enim pro mutuata sibi pecunia, dedit pignori seu hypothecae praedia, & fidejussorem, cui prouisit intra triennium proximum se eum liberaturum; quod si id ita non fecerit, & ipse fidejussor debitum creditori solverit, conventum est, ut ipsi fidejussori praedia emta essent. Jam fidejussor intra diem scriptam non fuit liberatus, sed ipse creditori solvit; quæsum est, an erata habeat superdicta praedia? Et respondet Scævola distinguendo, posse fidejussorem sibi habere ea praedia, si ut ex contractu emtionis ea petat, non item si velit ut ex causa principalis obligationis. Hæc enim verba Scævole sunt: *Respondit, si non ut in causam obligationis, sed ut emta habeantur, sub conditione emtio facta est, contractam esse obligationem.* Itaque eatenac valet pactum, quatenus capitur pro venditione conditionali, veluti si dictum esset, *Vendo tibi praedia, si debitum pro me solveris.* Differencia inter utrumque casum est; quia cum pignora intelliguntur vendita pro obligatione rei debitæ, etiamsi pignora pluris sint, id omne tamen sibi lucratur creditor; & hic est casus legis commissoriae, & non tenet. At vero, cum ut simpliciter vendita intelligantur pignora, præcisa causa obligationis, tunc quia venditio justo pretio facienda est, ideo si pignora pluris valeant, superest debitori hypothecæ repetitio, hoc est superflui: propterea id licitum est, nec cum lege commissoria ullam affinitatem, aut similitudinem habet, Bart. in *d. l. quamvis, in princ.* Abbas in *d. cap. significante, num. 7.* Faber in *C. lib. 8. tit. 22. de partibus pignorum, diff. 2.* aliisque communiter.

Probatur etiam rationale, quia non minus locum habet ratio deceptionis, cum pignus datur in solutum, ac cum simpliciter dicitur, ut creditori Jure dominii acquiratur; ita ut inter utrumque casum verba differant, res vero eadem sit, nam semper pignus, sive hoc, sive illo modo, in totum creditor iuris queritur, etiamsi pluris sit; quæ deceptio est, & asperitas legis commissoriae, quas damnat Constantinus in *d. fin. C. de partibus pignorum.*

Ex his quam facillime contrariorum argumenta solvuntur. Nam cum ajunt primo, dationem pro soluto esse a Jure permisam, id quidem verum, cum agitur de alio contractu, puta venditionis, non etiam eum agitur de pignore, in quo ob captionis & usurariae pravitatis suspicionem est omnino prohibita. Neque hoc nos singimus, sed utrumque in legibus expressum est. Nam datio pro soluto in venditione permittitur in *d.l.eleganter*, *ff.de pign.oſſ.* at vero in pignore prohibetur in *d.l. quamvis*, *ff.de ſolutionibus*, & in *d.l. Titius*, *ff.de contr.ems.* Idque ob disparitatem rationis in uno, ac in alio casu. Neque hoc mirum, nam ita pariter lex commixtoria est in venditione concessa, vetita in pignore, ut diximus.

Ad secundum, cum docent dationem pro soluto haberi ut venditionem, concedimus id ita esse, at enim nihil inde colligi potest, quod cum Adversariis faciat; nam venditio si fiat pro justo pretio, contractus licitus est; id nihilominus non accidit in pignore, ubi pignus ex datione in solutum intelligitur creditori venditum, etiamsi ejus valor quantitatem debitam excedat. Id enim asperitas, captio, & usurarium est; nam si datio pro soluto ita conciperetur, ut hyperochæ repetitio esset, utique permissa foret legibus, ut ex Bart. Abbe, & aliis notatum est, qui etsi de vera venditione pignoris loquantur, tamen id ipsum in datione pro soluto esse, non potest dubitari, ut consuluit Hondeodus *d.conſil.31.* & post alios docet Cyriac. *contr.393. num.8.* Guttierex *de jyram. confirm. cap.33. num.3.*

Quæ tertio & quarto loco objiciunt, nempe cessare in nostro casu captionis suspicionem, & hanc in solutum dationem non esse a legibus prohibitam; hec omnia jam per se evanescunt ex iis, quæ nos in nostris probationibus deduximus, ubi & leges id prohibere, & captionem inesse demonstravimus.

An in venditione pignoris liceat purgare morari.

DISCUSSIONE VII.

Puta, conventum est, quod si pignus certa die debitor non luat, censatur creditori venditum justo pretio cum obligatione reddendi hyperocham, quo casu pactum valere jam diximus: quod adeo verum est, ut fructus post lapsam diem statutam perceptos sibi creditor lucretur, nec in creditum imputet, quamvis adhuc premium pignoris statutum non sit: quod etiam adversus pupillum habere locum, docet Menoch. *de acq.poſſ. remed.5. a num.160.* Jam queritur, an ante sequentiam estimationem, sed elapsa jam die, liceat debitori offerre quantitatem

tem debitam , & pignus luere ; id enim dicitur purgatio moræ .

Id ut recte intelligatur, sciendum est I. propositam a nobis speciem longe diversam esse ab eo casu , quo pignus alteri vendendum est ; tunc enim certum est , moram purgari posse, adeout si debitor ante distractio- nem pigneratæ possessionis pecuniam offerat , quam creditor nolit recipere , pignoris distractio , quæ deinde fiet , nullius momenti sit , I. si priusquam , juncta l. si residuum , C. de distract. pign. facit etiam textus in l. fundas , ff. de rescind. vendit. Sic quoque diversam esse ab alia specie, in qua jam ab initio contractus statutum esset pretium , pro quo pignus creditor i intelligendum foret venditum ; tunc enim quia venditio statim post elapsam diem scriptam dicitur perfecta ex pretii determinatione, amplius rescindi non potest : & pretium statutum in dubio præsumitur juxta præsumptione Juris , ut consuluit Hondeodus d. cons. 31. num. 51. cum seq. licet aliter senserit Surdus dec. 248. num. 21.

Sciendum est II. regulam esse, ut ex dandi, solvendique difficultate reus evadat moram ; re integra , seu possit illam purgare , cumprimum solvere paratus est , & offert; quia difficultas excusat, adeout nec perjurus dicatur , qui pro difficultate promissa non implet , I. fin. ff. qui satisfare cogantur , cap. brevi , de Jurejur. : puta si Capuam ire promiserim , vel si in judicio me Judge juss erit , & tempestas præpediat , I. fin. §. pen. ff. ad l. Rhod. l. 2. §. si quis judicio , ff. se quis cautionibus , ut latius in tract. de mora a nobis disputatum est. Ab hac tamen regula excipiuntur sex omnino casus. I. si quis difficultatem affectavit, procurando e.g. ut a Magistratu retineretur : nam quedam licet prosint , tamen desiderata , seu affectata non præsunt ob dolum , d. l. 2. §. fin. juncta l. item bi , & l. qui dote , ff. quibus ex causis major. II. si difficultas alia via poterat effugi , nempe itinere pedestri commode vitans procellas maris , d. l. 2. §. pen. III. si temere se in difficultatem conjectit , & causam præstitit ; unde dicitur , quod non videtur iniurum si infirmitas culpe adnumeretur , si intelligat , vel intelligere debeat , infirmitatem suam alii periculosam futuram , l. idem Juris , §. fin. ff. ad l. Aquil. IV. si quis rem difficilem sibi esse certo sciens , promittat tamen , l. pen. ff. de Jure dotium ; propterea quod talis culpa in dolum inclinat , & propterea contumaciam non excusat , l. 1. §. si cum duobus , ff. de collationibus . V. si facta sit difficultas , & terror vanus , qui solet dici terror Panicus , l. 3. §. si quis autem , ff. de vi arm. VI. si qui difficultatis se prætextu tuerit , potuit se ab ea extricare , saltem per æquipollens , l. quemadmodum , §. item Labeo , ff. ad l. Aquil. l. in testamento , ff. de condit. & demonstr. l. inter , §. sacram , ff. de verb. oblig. Forçatulus de mors , par. 3. in princ.

Sciendum tandem, inter plures causas, ex quibus mora contrahitur, esse diei præscriptæ lapsum, quæ debitorem pro homine interpellare dicitur , ut impletat id , ad quod tenetur : eo non implente , mora dicitur commissa , quam non inultam leges dimittunt , l. vinum , ff. de reb. cre-

ditis, l. pecunia, §. fin. ff. de usuris, l. si fundus, §. fin. l. post diem, ff. de lege commissoria. Conceditur tamen quandoque debitori, ut emendare eam moram possit, offerendo, vel implendo id, ad quod tenetur. *Eſe enim, ait Celsus adolescens, banc quæſionem de bono & aequo: quo in genere plurimque sub auſtoritate Juris ſcientia, pernicioſe erratur, quod refert Paulus in l. ſi ſervum Stichum, §. ſequitur, ff. de verb. oblig.*

Hia ita poſitis, ad quæſionem veniamus. Et arridet eorum ſententia, qui moram emendari, ſeu purgari poſſe docent. Ita Covar. 3. var. 2. *Mantica de tacitis, lib. 11. tit. 10. Menoch. de acq. poſſ. remedio §. num. 46. & voluit Angelus in l. cum dominam, in fin. C. de pignor.*

Quod probatur I. quia etſi conventum fit, ut bona pignori obli-gata poſt lapsum certæ diei intelligentur vendita juſto prelio; tamen poſt diei adventum non ſtatiſt dicitur perfecta venditio, que erit fu-ſpensa donec res aſtimetur, & pretii quantitas certo ſtatuantur. Sed cum contractus perfectus non eſt, datur locus pœnitentia, propterea quod tunc actus ex voluntario tranſit in neceſſarium, cum perfectus eſt, DD. in l. fin. C. de contr. emt. Ergo ſi datur locus pœnitentia, poterit moram purgari, & emendari. Probatur major propositio, ex eo quod ad perſciendam venditionem non ſatis eſt prelium, ſed præterea requiri-tur, ut prelium ſit certum, §. prelium, Inſt. de emt. & vendit. Cum itaque in noſtro caſu prelium adhuc certum non eſt, conſequens eſt, ut nec venditio dicatur perfecta. Cavendum tamen ab illis eſt, qui dicunt ulterius, hanc venditionem haberi pro conditionali, ut probent dari locum moræ purgandæ: quod falſum eſt, nam venditio tunc dicitur con-ditionalis, quando prelium expreſſe collatum eſt in arbitrium alterius, ut vendo quanti Titius aſtimabit, d. l. fin. C. de contr. emt. quod certe in caſu noſtro non eſt.

Probatur II. quia hic contraetus, vendo quanti juſtum eſt, non eſt niſi contraetus innominatus, ſeu praescriptis verbis, DD. in l. 1. ff. de praescriptis verbis, & in caſu noſtro ita expreſſe ſentiunt etiam Ad-versarii ipſi, ut Bald. in d. l. fin. num. 8. Ripa in l. ita ſtipulatus, num. 20. ff. de verb. oblig. & alii infra citandi. Sed in contraetibus innominatis, re-integra, licet uni pœnitere, & a conventione recedere, etiam altero in-vito, l. 5. ff. de conditione cauſa data. Ergo potest mora emendari, non ſolum de aequitate, ſed etiam de rigore.

Probatur III. a pari, quia in lege commiſſoria venditioni adjecta, cum dicitur, ut res ſit inemta, ſi non certa die prelium perſolvatur, licitum eſt poſt lapsum diei moram ex bono & aequo purgari, d. l. ſi ſervum Sti-chum, §. ſequitur, ff. de verb. oblig. l. ſed. etſi alia, ff. de conſtit. pecunia, quamvis ſtatiſt a tranſitu diei videatur ab emtione diſceſſum, l. ſi fun-dus, §. fin. l. poſt diem, ff. de lege commiſſoria, & notat Forcat. loc. cit. n. 4. Ergo etiam cum diem eſt, ut pignus intelligatur venditum, ſi intra diem certam non luat, potest purgari mora, etiſi eſſet venditio perfecta.

In

In contrarium pugnant, præter Bart. & Ripam supracitatos, etiam Fach.2. *contr. i.* & Merlinus lib.4. tit.4. qu.121. a num.52. qui nituntur in eo, quod etiam ante factam pretii declarationem, cum dictum est, vendo pro justo pretio, venditio dicatur perfecta, cum premium ex hoc videatur jam esse certum. Ut id probent, utuntur textu Ulpiani in *I.bac venditio*, §. *bujusmodi*, ff. *de contr.emt.* ubi habetur: *Hujusmodi emtio, quanti tu emisti, quantum pretii in arca habeo, valet;* nec enim incertum est premium in tare evidenti venditione: magis enim ignoratur, quanti emutus sit, quam in rei veritate incertum est. Ita ergo, licet ante declarationem non constet de pretio, tamen de eo constare dicitur, quia dictum est, pro justo pretio; quod semper est certum, etiam ante declarationem.

Moventur etiam, quia in contractibus onerosis, cum quid sub certa die, & pena, vel commodo alteri ex contrahentibus querendo, promittitur, non sit locus emendationi moræ ob interesse actoris, aut creditoris, Alex. Jason, & Bart. in *I.s insulam*, ff. *de verb. obl.* atque ita volunt esse in quæstione proposita.

Sed ad utrumque facilime respondetur. Ad primum enim negamus, venditionem esse in nostro casu perfectam, aut premium esse certum. Nec facit in contrarium textus in *d.I.bac venditio*; nam eatenus ibi premium dicitur certum, quia refertur ad tempus præteritum, vel præsens: & quidem ad tempus præterium refertur illud primum exemplum, quanti tu emisti, tanti vendis? ad tempus præsens refertur secundum, quantum pretii in arca habeo. Constat autem, quæ hæc tempora resipi ciunt non posse ex se, & ex natura sua esse, nisi certa, quamvis a nobis ignorentur, quod textus idem declarat in verbis illis: *Magis enim ignoratur, quanti emutus sit, quam in rei veritate incertum est.* Alia omnia in casu nostro, ubi agitur de pretio, quod tempus futurum respicit, nimur post lapsum certæ diei determinando, & declarando per peritos. Omnia autem futura incerta sunt, nisi sint necessaria, & proinde incertum erit premium ipsum. Nec obstat, quod dictum fuit premium justum: nam id non consistit in individuo, sed plus & minus recipere potest, itaut sèpe accidat eodem tempore eandem rem pluris estimari ab uno perito, quam ab altero. Similia his, quæ diximus, habentur de conditionibus, quæ incertæ dicuntur, & suspendunt actum, quod ad futurum contingens referuntur; nam si præsens, vel præscriptum tempus inspiciant, certæ sunt, & aut statim debetur, si veræ, aut nunquam debitur, si falsæ. Cujus rei rationem affert Justinianus in §. *conditiones*, *Institut.de verb.oblig.* in hæc verba: *Quæ enim per rerum naturam sunt certa, non morantur obligationem, licet apud nos incerta sint.* Itaque in casibus propositis a Jurisconsulto in *d. I.bac venditio*, premium est certum in se, sed incertum apud contrahentem: in casu autem nostro utraq[ue] incertitudo versatur.

Ad

Digitized by Google

Ad secundum, quod dicunt ob interesse actoris moram non purgari, respondetur ex communis distinctione, quam sequitur Forcatulus loc. cit. xxm. 10. Nempe interesse hic dupli modo capi; nam primo denotat lucrum cessans, vel damnum emergens ratione moræ, ut in l. i. ff. de att. erati, & in l. si commissa, ff. rem ratam baberi; quo casu ejusmodi creditoris interesse non patitur moram emendari posse, propterea quod id ipsius moræ partus & effectus est: quod verum est, nisi una cum interesse res ipsa principalis commode præstetur. Finge, mutuo tibi centum dedi sub hac lege, ut nisi ad certam diem reddas, ob lucrum cessans, vel damnum emergens, usuræ debeantur; lapsa jam die ne quis moram purgare, nisi pecuniam debitam una cum pactis usuris restituas, DD. in l. mora, ff. de usuris. II. Interesse comprehendit solum rem ipsam principalem, vel ejus estimationem: quod non modo in faciendo promissione, & in dandi contractibus in nominatis, sed etiam in contractibus nominatis omnibus accidere potest, l. naturalis, §. 1. ff. de prescript. verbis, §. alteris, Institut. de iustit. stipul. Et in hoc mora purgari potest, dummodo omnia adhuc integra sint. Itaque si colonum dominus fundo frui prohibeat, & post paucos dies pœnitentia, ita ut omnia integra sint; ex hac mora obligatio coloni non minuitur; dicetur vero res non integra, si colonus expulsus ex conductione, in aliam se colonizationem contulerit, ut cum dominum pœnitit, duobus fundis colendis satis non sit; tunc sera pœnitentia dicetur, & moram non emendat, quia coloni damnum Emerget, l. si in lega, §. colonus, ff. locati, l. illud, ff. de peric. & com. rei vendita.

In specie ergo nostra questionis, cum lapsa jam dies est, redemtioni pignoris apposita sic, ut creditoris pignus intelligatur justo pretio emtum, versatur quidem interesse creditoris, sed id scilicet ipsam rem principalem respicit, hoc est, ejus venditionem: at nullum lucrum cessat, vel damnum emergit; propterea re integra, hoc est non statuto jam pretio, licet debitori moram emendare; ex regula, quod mora purgatio permittitur, cum creditoris, aut actoris non interest, l. eis post, ff. si quis cautionibus. Cum autem Adversarii dicunt, pœnam in contractu appositam impedire mora purgationem, id verum est, cum pœna lucrum producit, vel damnum: secus vero, ubi de sola contractus rescissione in pœna actum est; nam ut diximus supra, si rem vendam sub lege commissoria, nempe ut non soluto ad certam diem pretio, res sit incerta, utique hæc contractus resolutio pœna est, nec tamen impedit moram emendari, d. l. si servum Stichum, §. sequitur, ff. de verb. oblig. d. l. sed et si alia, ff. de const. pecunia. Par omnino est casus noster, in quo alia pœna apposita non est, nisi ut resoluto pignore fiat venditio. Ergo & hic pœna non obstat, quando mora purgetur.

De Hypotheca tacita.

Quoniam hypotheca tacita non ex hominis provisione & facto descendit, sed ex legis beneficio, ideo in iis tantum casibus locum habere debet, in quibus lex expresse eam conredit; nam quod ex lege est, sine lege haberri non potest, Gl. in l.z. *in fine, ff. de priv. creditor.* Hi casus admodum pauci erant, ut patet ex tit. ff. *in quibus causis pignus vel hypotheca tacite contrabatur,* additis nonnullis aliis, qui sparsim leguntur in Jure antiquo. Deinde aucti fuere per Imp. in C. ubi præsertim inducta hypotheca tacita est pro dote; verum non tot sunt, ut hæc materia brevis videri non possit. Nihilominus hodie secus est auctoritate Doctorum, qui in multis, & pœne infinitis casibus, hanc tacitam hypothecam introduxere: quod factum est contra omnem rationem, quia, ut diximus, hæc hypotheca nisi lege loquente & statuente nulla est. Nos vero, ne quid in hoc nostro tractatu merito desideretur, etiam de casibus istis, a nostris Jurisconsultis inductis, agemus, eos feligendo, qui nobiliores, & usu frequentiores sunt. Sit ergo.

De Hypotheca alimentorum.

D t s c u t t o I.

Plures hic casus distinguendi sunt, in quorum aliis certum Jus est, in aliis dubium. Primo, si alimenta debeantur ex legato, puta si quis filio naturali, vel etiam alicui extraneo, annua tot pro alimentis reliquit; certum est, legatio in bonis testatoris concedi hypothecari, sive hæc ab herede possideantur, sive in extraneum transierint: non propterera quod alimenta ipse legatarius petat (nam hoc nomine Jus dubium esset) sed quod petat legatum, pro quo a Justiniano non modo personalis actio, sed etiam reivindicatio, & hypothecaria concessa est in l.zt. C. *communis de leg.* & nos diximus supra. Itaque cautio datur legatario agenti, ut ad vitandas lites, non veniat in judicium, nisi ut legatarius, Covar.4. *decret. par.2. cap.8. §.6. n.2m.24.* Negus. *par.2. mcm-* bro 4. *sub num. 164.* & alii communiter.

II. Casus est, cum filius fam. petit alimenta ex bonis adventitiis; in quibus pater habet usumfructum, filius proprietatem. Si ergo vivo patre bona ea in concursu creditorum, ipsis creditoribus assignentur, ut sibi fructus percipient, quoad ipse pater in vivis maneat; tunc filius, saltem in subsidium, cum alia bona desunt, censemur in ipsis habere tacitam hypothecam pro alimentis, quæ cum antiquior sit, præferenda.

ferenda est creditoribus aliis. Itaque licet pater sit fructuarius, & de fructibus pro arbitratu suo disponat, *i.e. C. de bonis maternis*; tamen id cum aliquo temperamento orto ex naturali æquitate, intelligendum est, cummodo scilicet salva sint alimenta filiis proprietariis, Rota *cif. 125. par. 4. in noviss.*

Quod si dicas, filium non alia patre ob peculium adventitium; sed propter naturæ obligationem, & vinculum, *i. fin. §. ipsum autem, C. de bonis quæ liberis*, ut propterea nullam filius in ipsis adventitiis actionem habeat ad alimenta sibi consequenda; respondetur distinguendo, obligationem alendi filium in quantum ad originem esse de Jure naturæ, & concedimus: in quantum ad subsidium, non esse in bonis adventitiis, & negamus; non enim verisimile videtur, legem ita patri usumfructum adventitiorum voluisse concedere, ut filio fame sit per eundum, dum habet bona, quibus potest vitam tolerare. Id enim nimius esset rigor, vel iniquitas potius. Itaque DD. hoc casu imperiuntur filio hypothecam, vel saltem personalem actionem in rem scriptam, quæ nimis persequatur rem quocunque transeat, et si pverniat in manus creditorum: ut in quantum ad effectum nihil poene distet ab hypothecaria. Hoc tamen privilegium non transit in cessioparium filii pro præteritis alimentis, Pacificus *de Jav. interd. inspect. 3. cap. 2. num. 924.*

III. Est, si patre dilapidante bona, fuerint a Judice bona quedam filio assignata pro alimentis; tunc ex vi talis assignationis filius veluti hypothecam in eis bonis consequitur, & præferetur creditoribus patris hypothecariis, qui deinceps post assignationem contrahent, Merlinus *lib. 3. tit. 1. q. 1. num. 14.*

IV. Est, si alimenta sint tantummodo promissa ex contractu, vel debita ex obligatione naturali, vel Judicis officio. Et varia opinio est; quidam enim etiam hic hypothecam locum habere opinantur, Felinus in *cap. ad audientiam 2. num. 6. de rescript. Surd. de alim. priv. 52. Pacificus loc. cit. n. 924. cum seq. Afflct. ad constitut. Regni in aliquibus, n. 35. Molfesius ad consuet. Neap. par. 5. de alim. præstand. q. 6. num. 23.*

Moventur I. ex *l. i. C. de donationib. quæ sub modo*, ubi si præmium tibi donavi, ut certa mihi alimenta præberes, si legi non obtemperes, duplex mihi actio conceditur, primo condicō ob causam, ut reddatur præmium, quod quidem ex regulis Juris procedit: nam datum ob causam, & causa non sequuta, repetitur, *l. si ut propositis, C. de conditione ob causam*. II. vindicatio utilis, idque est contra regulas Juris, quæ docent ex pacto nudo non acquiri dominium, *i.e. lege, C. cit. tit. l. tradit. nibus, C. de pactis*: tamen in hoc casu speciale est favore alimentorum, ut docet Gl. in *d. l. i. v. condicō*. Sic ergo argumentantur DD. Favore alimentorum conceditur vindicatio, cum quis jam rei dominium habuit ergo debet concedi hypotheca, cum quis dominium super re nunquam habuit.

Sed

Sed pro pleniori intelligentia, hæc altius repetenda sunt. Si donatio ob rem facta proponatur, tunc donatarius ad eam rem implendam cogi potest per alteram ex duabus actionibus, hoc est vel per actionem ex stipulatu, si modo stipulatio fuerit interposita; vel per actionem præscriptis verbis, si nulla stipulatio intercessit, *I. legem, I. cum res, C. de donationibus*. Cur vero detur hæc actio præscriptis verbis, patet, quia hæc donatio non mera est, sed ei admixtum est negotium; hoc est contractus innominatus, *Do ut des, vel Do ut facias*, pro cuius implemento actio præscriptis verbis competit, *I. naturalis, ff. de præscript. verbis*. At si accidat, quod donatarius nolit, aut nequeat rem ipsam implere, eo casu, quia res non sequuta est, conceditur donatori una actio, quæ dicitur condic̄tio ob causam, & est ad rem donatam repetendam; nam ob causam datum, causa non sequuta, repetitur, ut diximus, *I. Senatus, §. I. ff. de donationib. casu mortis, I. quoies, C. de revoc. donat.* Ex quo colligitur, in donatione ob rem, seu causam, statim dominium transfire in donatarium; quoniam non competit condic̄tio, nisi ei, qui dominus esse desiit; regula enim est, ut rem suam nemo condicat, præterquam a fure, & malæ fidei posseffore, *§. sic itaque, Institutionib. de donationib.*

Verum sunt quædam specialia circa eam donationem, quæ alteri fit, ut nos ipse alat, vel ut menstruum, seu annuum præstet. Nam in *d. l. I. C. de donationib. quæ sub modo*, habetur, posse donatorem revocare rem donatam non modo actione in personam, seu condic̄tione ob causam, sed etiam actione in rem, seu reivindicatione. Ceterum impossibile videtur, posse has duas actiones simul conjungere & unire; nam condic̄tio datur non domino: reivindicatio e contrario soli domino conceditur; quocirca si donator utramque habet, fiet, ut simul dominus sit, & non dominus, quod est absurdum; & nihilominus in hac donatione ob causam alimentorum, ita benignitate Principum statutum est. Ratio est, quia alimenta sine magno vitæ periculo, aut incommode, nequeunt differri; ut propterea providendum sit, ut quam citissime consequamur eas res, quæ nobis alimenta præbent: citius autem ad hoc pervenitur reivindicatione, quam condic̄tione. Ita Connarus 5. comm. 10. num. 1.

Hæc ideo latius explicui, quia ex hoc fonte promanant quamplurimi eorum privilegiorum, quæ licet in Jure non expressa, a Doctoribus tamen alimentis conceduntur; & præsertim clarius patet vis argumenti propositi; si enim providendum est, ut quis alimenta, quanto citius fieri potest, consequatur, utique consequens est, ut pro eis tacita hypotheca concedatur; nam hypotheca habet viam expeditam ad consequendum id, quod nobis debetur: quod non accidet, si sola personali actione uti possimus, ut manifestum est. Nihil ergo mirum, si contra regulam, quæ ait, hypothecæ tacite non esse locum, nisi ubi

lex eam statuit; si, inquam, contra hanc regulam fiat privilegio alimenterorum.

Hoc argumentum unam difficultatem habet, quod ea *I. i. C. de donationib. qua sub modo*, est introducta privilegio Principum, contra regulas Juris, ut patet in illis verbis: *Vindicationem quoque divi Principes in hoc casu dandam esse sanxerunt*. Ergo non potest inde argumentum desumi ad inducendam tacitam hypothecam favore alimenterorum; nam notissimi Juris est, privilegia neque etiam ex paritate, aut majoritate rationis extendi de uno in alterum casum, §. *num 3 quod Principi, Institut. de Jure naturali*. Et hac sane de causa in *d. I. i.* apposita sunt verba illa, *In hoc casu*, quæ tantundem valent, ac si dictum esset, *In hoc & non in alio casu*; sunt enim restrictiva, ut DD. loquuntur.

Moventur II. quia alimenta debentur ex bonis obligati: ergo bona ipsa censentur obligata, seu oppignerata. Probant id ex *I. si quis libertis, ff. de alim. leg.* ubi si alicui fuerint legata alimenta, ea quia ex bonis testatoris debentur, præstanta sunt a quocunque successore, etiam ficto, ad quem bona ea fuerint devoluta, tanquam si fuissent hypothecata. Quod argumentum nullius momenti est; nam plus probat, quam velit, & propterea nihil probat; nam inde sequeretur pro quocunque debito dandi oriri hypothecam tacitam, veluti si promisisti dare 100. equum, vestem, aut quid tale: quippe hoc debitum ex bonis promisoris persolvatur necesse est; & tamen nemo dixerit, hic bona ut oppignerata haberi. Falsa est ergo consequitio. Nec obstat textus Marcianni in *d. I. si quis libertis*, quoniam ibi sermo est de successore ultimi, ad quem constat transire onus solvendi legatum, ut ibi recte notat Gloss. *v. præstanta sunt*. Et hinc est, ut etiam fiscus teneatur, si ad eum Jure devolutionis bona transeunt; fiscus enim in his casibus utitur Jure privati, & tanquam heres habetur, ut teneatur inventarium confidere, & facere satis creditoribus defuncti, DD. in *I. i. & 2. C. si adversus fidicium*.

Huc adde, quod neque certa rerum designatio inducit super rebus illis hypothecam, cum ad singularem transeunt successorem, ut recte docuit Gomez. *variar. resol. tit. de contractib. cap. 15. n. 22. ex I. Titius cum mutuos, §. Lucius Titius, ff. de contr. emt. ubi qui promisit de fundo suo aliquot modios frumenti annuos præstare, fundum vendidit: & Scævola ait, emtorem ad frumenti præstationem non teneri, quamvis in venditione fuerit dictum, Quo Jure, quave conditione ea prædia Lucii Titi bodie sunt, ita vaneunt, itaque babebuntur*. Et frustra Accursius putat, in eo textu emtorem personali actione conveniri non posse, posse vero reali. Quæ interpretatio inepta est; non enim poterat ullo modo apud Scævolam queri, & dubitari, utrum emtor teneretur actione personali, cum clarissimi Juris sit, hanc actionem non dari, nisi contra eum, qui nobiscum contraxit, aut quasi contraxit, non item con-

contra emtorem, contra quem sola realis actio locum habere potest. Itaque quæstio apud Scævolam fuit de actione hypothecaria, non quidem tacita, cum nullum hic beneficium legis locum habeat, sed de expressa, orta ex provisione contrahentium, utpote qui designaverant fundum, ex quo frumentum deberetur; ut propterea orta dubitatio sit, an ea fundi designatione pro hypotheca fuerit habenda. Id negat Scævola.

At vero Accursius tandem videtur concedere, Scævolam negare prædium intelligi obligatum; tamen addit aliud esse in specialibus, & favorabilibus præstationibus, utputa alimentis vel Republicas. Probat id ex *I. bætēnus*, ff. *de usufr.* quæ nihil ad rem facit; nam ibi tantummodo dicitur, usumfructuarium, qui legato usumfructum consequitus est, teneri ad alimenta præstanda ei, cui testator jussierit; certum est enim posse a legatario legari, ut nostræ leges loquuntur, hoc est, posse legatario injungi, ut legatum solvat, dum ne plus quisquam gravetur, quam ipse ex testamento cœperit, §. *potest autem, Institutionib. de singulis reb.* quare non tenebitur fructarius ad alimenta præstanda, nisi cum expresse testator ei, ut legatario, id oneris injunxerit, ut clare in eo textu patet.

Itaque stet, quod diximus, certam loci designationem non parere hypothecam, nec etiam pro alimentis, nisi expresse de hypotheca actum sit, ut præterea evidenter probatur ex *I. Lucius Titius*, ff. *de alim. legatis*, ubi qui cibaria, & vestiaria annua libertis suis reliquit, diserte addidit, velle eis ob eam causam obligatos esse fundos. Ex quo sit, multo minus hypothecam intelligi in alimentis, cum nulla loci, seu rei designatione intervenit, ut docuit Alex. in *I. qm absentis*, §. 1. num. 9. ff. *de acq. poss. Rom. cons. 474. Negus. par. 2. membr. 4. num. 164. Gabriel comm. opinion. tit. de alim. concl. 2. Cyriac. contr. 18. Thes. a. qq. forens. 67.* aliique apud Merlinum lib. 3. tit. 1. q. 1. n. 5.

Quando ex pecunia pro re data, contrahatur in rem hypotheca.

D I S C U S S I O N I.

Quoties res aliqua ideo extat in bonis debitoris, quia ei a certa persona mutuo pecunia data est, tunc super ea re ipse creditor tacitam acquirit hypothecam. Itaque si quis pecuniam credat ad extrendum ædificium, beneficio Senatusconsulti sub Marco Imperatore facti, tacitum pignus in ædificio habet, *I. 1. ff. in quibus causis pignus vel hypotheca tacite contrahatur*, ibique Glos. v. *datum*. Id verum est, cum nominatim pecunia data fuerit pro ædificio excitando; nam si simpliciter data sit, quamvis deinde ad hoc erogata sit a debitore, & id probetur, tamen privilegium hypothecæ locum non habet, ut patet ex *I. procuratoris*.

zoris , §. plane , ff. de tributoria act. ubi merces emtas a servo Titii negotiatore , pecunia mea , veniunt in tributum , quia scilicet non fuit pecunia nominatim ad eas merces comparandas credita , ut notat Negus . par.5. membr.2. num.15. Exigitur etiam , ut pecunia vere a debitore sit expensa in ædificio extruendo ; aliter cessat ratio legis , nempe creditorem ideo hypothecam habere , quia ejus beneficio res extat , Guttierrez præt. gg. lib.5. q.98. num.2.

Quod si dubium fuerit , utrum pecunia credita vere in rem , pro qua data est , sit erogata , eo casu satis est probare , statim post creditam pecuniam sequutam fuisse ædificationem domus , ex regula Bartoli in *I. Aristoteles , num.5. ff. qua res pignori , Martius Medices d.c. 19. exam. 11.* & aliis communiter adducti in hanc opinionem etiam ex textu in *I. Luccius Titius , ff. de exercit. act. ubi qui mutuat pecuniam servo magistro navis pro refectione navis ipsius , non tenetur deinde in instituenda actione contra exercitorēm probare pecuniam in ref.ctionem navis esse consumtam , sed satis est , si quatuor concurrant . I. si cuī pecunia crederetur , navis in ea causa fuit , ut refici deberet . II. ut credat , seu mutuo det pro ipsa navi , cui quis magister præpositus est . III. ut non major pecunia credita fuerit , quam ad eam rem fuerit necessaria ; aliter enim in solidum adversus dominum navis actionem non habebit . Tandem , ut in eo loco pecunia credita sit , in quo id , propter quod credebatur , comparari potuerit . Concludit demum Africanus ibidem : *Et in summa aliquam diligentiam in ea re creditorem debere præstare .* Sic ergo in casu nostro creditor , qui mutuo dat pecuniam pro domus ædificatione , non debet adstringi , ut ipse ædificii curam suscipiat , & rem alienam gerat , quod certe futurum esset , si necesse habeat probare pecuniam in ædificationem domus erogatam esse : & pro magna conjectura , & præsumtione habebitur , si ædificatio contractum sequatur . Ex hoc etiam textu patet , quod si pars tantum in ædificium sit erogata , pro parte etiam beneficium competit , ut colligit , præter Medicem loc.cit. *Caroc. de locato , par.7. concl.49.* Nihilominus Africanus , si recte expendatur , non hoc dicit , nisi eo casu , quo major , quam necessaria sit , pecunia credatur : quocirca insuere videtur , quod si non major , sed quantum est satis , pecunia mutuetur , ut competit beneficium hypothecæ pro integra quantitate , non aliud opus est , nisi , ut afferantur præsumtiones & conjecturæ supra positæ ab Africano . Sic pro superfluo tantum hypotheca non dabitur , Negus . par.5. membr.2. num.15.*

Quod diximus de ædificio extruendo , non est dubium porrigi ad similes casus , in quibus pecunia datur pro re comparanda , vel conservanda , veluti si detur pro pabulo pecudum , pro meliorationibus fundi ; immo datur hypotheca hæc tacita etiam pro salario advocati , & procuratoris , quorum opera dicitur res conservata , ut propterea habeant etiam , ut retinere possint loco pignoris scripturas , donec eis fiat satis ,

Surd.

Sard. dec. 50. Duran. dec. 53. qui notat, id etiam locum habere, si advo-
catus causa cadat.

Sed ambigitur, utrum simul cum hypotheca concedatur etiam prælatio. Et cit. DD. communiter docent, eam concedi, prorsus ut ex pecunia data pro rei conservatione vel acquisitione tria orientur privilegia. I. quod in actione personali præfertur creditoribus omnibus chirographariis. II. quod in ea re tacitum pignus acquiritur. III. quod ex tacito pignore præfertur anterioribus. Addunt & quartum, ut competat rei ipsius retentio, ut modo diximus de Advocato, & procuratore. Verumtamen nobis contrarium arridet, & dicimus, leges omnes, quæ ab adversariis citantur, duo tantum probare: primo, creditorem istum in conditione præferri creditoribus aliis personalibus, fitco excepto: secundo, tunc tantum in hypothecaria actione præferri, cum per expressam hypothecam sibi cavit, non etiam per tacitam.

Itaque quod diximus primo de prælatione in actione personali, patet ex l. quod quis, ff. de priv. credit. ubi hæc verba leguntur: *Quod quis navis fabricanda, vel armando, vel instruenda causa, vel quoquo modo crediderit, vel ob navem venditam petat (hoc est, si eimenti navem pretium credidi) habet privilegium post fiscum.* Quem textum recte Gloss. ibid. in fin. intelligit de actione personali, non etiam de reali; nam in actione reali fiscus nullum habet privilegium, & solum inspicitur tempus, ut qui prior in tempore est, potior sit in Jure, ut expresse habetur in l. ff. fundum, C. qui potiores in pign. Sermo itaque est solum de actione personali, in qua non habetur ratio temporis, sed causæ, ut ijs præferatur, cuius causa potior est: quod patet etiam ex tit. qui est de privilegiis creditorum: privilegia enim ea proprie sunt, quæ pro actione personali conceduntur; ut ibidem dicitur in l. privilegia, in hæc verba: *Privilegia non ex tempore astimantur, sed ex causa;* quocirca in casu proposito si plures chirographarii credores super navem, ut sibi faciant satis, concurrant: primum omnium solvitur fisco, quia ut publica causa præfertur private, ita ipse anteponitur reliquis creditoribus ex causa concurrentibus: deinde creditorū, cuius pecunia res comparata, vel conservata fuit. Verum tamen est, hodie ex Justiniano huic creditori præferri etiam mulierem agentem pro restitutione dotis, §. his consequens, aut. de aequalitate dotis.

At vero ad prælationem inter hypothecarios, non est satis sola hypotheca tacita creditoris, sed præterea exigitur expressa hypotheca rei, pro cuius comparatione, vel conservatione, pecunia data est. Ita probatur ex l. licet, C. qui potiores in pignore, ubi expressis verbis habetur: *Eura, cuius pecunia prædium comparatum probatur, quod ei pignori esse specialiter obligatum statim convenit, omnibus anteferri;* quæ verba palam docent, prælationem non competere, quoties res non est expresse, immo specialiter obligata. Neque obstat, quod hic sermo sit de comparatione.

tione rei; nam idem est, si de rei conservatione loquamur, ut in *l.i.* *terdum*, cum seq. ff. qui potiores in pignore, illis verbis: *Item si quis in merces sibi obligatas crediderit, vel ut salvæ fiant, vel ut nauum exol- vatis, potior erit, licet posterior sit;* ubi eodem modo ad prælationem duo exiguntur, hypotheca expressa, & specialis. Et ratio est, quia de Jure ordinatio lex nunquam duo simul privilegia concedit, ut dispu-tant DD. de dote, ob quam mulier contra regulas Juris, habet tacitam hypothecam, & prælationem; quod adeo durum visum est Antonio Fa-bro 8. *conject. 11. & 12.* ut Justinianum nimis uxorie se gessisse dixerit; quinimmo addit, id factum malitia Theodoræ uxoris suæ, quam ad Rei-publicæ consilia Justinianus advocare solitus erat, ut in *novella* 8. Itaque alterutrum huic creditori privilegium lex impertitur: aut enim nulla hy-potheca sibi cavit, & ex beneficio legis ei tacita conceditur: aut sibi cavit expresso & speciali pignore, & eo casu conceditur prælatio.

De Hypotheca tacita ejus, qui emphyteusim concessit.

D i s c u s s i o n e III.

DE duobus hic queritur, de annuo canone, & de laudemio, utrum scilicet eo ab emphyteuta non persoluto, dominus directus tacita hypothecam acquirat? Et non acquirete, late tuetur *Caldas de emphyteus. lib. 4. cap. 3.* *Valasquez de Jure empbyt. qu. 4.* Merlin. *Pignatellus controvers. cap. 36.* Roderic. *de annnis redditib. lib. 2. qu. 22.* & ita decisum refert Guid. *Papa decif. 9.*

Quod probatur I. ex regula generali, quæ docet, tacitam hypo-thecam, nisi lege expresse jubente, non induci, ut supra notavimus, & monet Glos. in *l. 1. in fine*, ff. *de priv. creditorum*, & alii passim; si enim in ceteris erubescimus sine lege loqui, quanto magis id erit, ubi de privilegiis sermo est, quæ sola lex ex munificentia sua impertitur? Jam nulla adest lex, quæ caveat, bona emphyteutica pro canone, aut laudemio censeri oppignerata.

II. Probant, tum quia pignus nemo in re sua habet, *l. neque pignus, ff. de reg. Juris*, *l. si rem alienam, ff. de pign. eti.* ut supra in I. discussione probatum est; tum etiam quia nemini res sua servit, & hypotheca praeservitute habetur, *l. si rem alienam, ff. de pignorib.* Ergo concessor emphyteusis in ea re, quæ sua est, pignus nancisci non potest.

III. Qui obligatur ex fundo annuam præstationem dare, non dicitur constituere in eo fundo hypothecam, *l. fin. §. Lucius Titius, ff. de contr. emt.* quem textum supra explicavimus, loquendo de hypotheca alimen-torum: quapropter cum emphyteuta se obligat ad præstandum ex fundo

an-

annum canonem, nullam in favorem domini videtur in eo tacitam hypothecam constituisse, sed solum erit ipsi domino personalis actio quæsta contra debitorem emphyteutam, heredemve illius.

Contra tamen tendunt alii, & præcipue Baldus in *aut b. si quas rui-*
nas, num. 9. in fine, C. de Sacros. Ecl. Ias. in l. 1. n. 70. C. de Jur. empbyt.
Roman. cens. 311. post alios Pacificus de Salviano inspect. 3. cap. 4. n. 114.
qui omnes docent, pro annuo canone non persoluto acquiri domino hy-
pothecam tacitam. Idem de laudemio Frauch. dec. 430. Gratian. cap. 272.
num. 5. cum aliis pluribus. Eorum rationes videamus; habent enim mul-
ta notata digna, docentque tacitam hypothecam non solum ex lege
provenire, sed etiam ex præstationibus, & ex contrahentium tacita vo-
luntate: quæ tria omnia in proposito casu concurrere volunt.

Primo ergo pro eo, quod ad legis dispositionem attinet, proferunt textum in §. scire autem, aut b. de non alienandis, vel permutandis rebus Ecclesiasticis, ubi cum Imperator dixisset, ob canonem Ecclesiarum bienium non solutum, emphyteusim devolvi ad Ecclesiam, nec meliorationes reddi, hæc addit: Sed siquidem deterius fecerit prædium suburbanum, aut domum, qui emphyteusim percepit, cogit eum de suo diligenter, ac restitucionem prisci status facere, & obligatos esse ad hoc ipsum, & heredes eius, & successores, ejusque res, insuper & debitos omnes redditus sine dilutione exigiri. Hic duo sunt, quæ notari volunt; primo, præter cetera, sermonem haberi de redditibus debitis, hoc est, de annuo canone non soluto; hic enim est redditus domino debitus; deinde agi non modo de actione personali, sed de hypothecaria etiam, cum dicatur. Ejusque res; quæ verba & ad antecedentia & ad subsequentia referri debent, ut etiam pro redditibus debitis intelligentur res emphyteutæ tacite hypothecatæ. Itaque negant quod Auctores prioris sententiae dicebant, nulla lege hic tacitam hypothecam induci, cum eam concedat textus in d. §. scire autem.

Verum respondetur, in hoc textu non agi de emphyteusis tacita oppigneratione, sed solum de reliquis rebus debitoris, quæ ex beneficio legis censentur tacite hypothecata non quidem cuicunque, sed Ecclesiarum, de cuius favore apertis verbis ibi loquitur Imperator; ut sit quid simile legatario, qui pro legato obtinet super re ipsa legata dominium, super reliquis bonis hereditariis hypothecam, ut diximus. Ita ergo Ecclesia pro canonibus sibi debitis habebit bona debitoris tacite oppignerata, at in ipsa emphyteusi solum obtinebit dominium, non etiam pignus, ut legatarius pignus in re legata non habet. Ratio utriusque rei est, quia in re sua pignus consistere nequit, ut dictum est. Falsum est ergo, legem ullam tacitam hypothecam in emphyteusim ipsam introducere, quæ est nostra disputatio; sed solum in reliquias debitoris res; quod ipsum tantummodo locum habebit in emphyteusi Ecclesiastica, de qua textus loquitur, non etiam in aliis; plura enim sunt, quæ lex concedit Ecclesiarum

eleſia ex ſpeciali favore, quæ ad alios non porrigitur; ut in hac ipſa emphyteuſi, quæ ſi fuerit Ecclesiastica devolvetur ob canonem biennio non ſolutum, cum in aliis triennii ceſſatio exigatur, d. §. ſcire autem.

II. Volunt, hypothecam tacitam etiam induci, quoties ſuper re aliqua penſio annua perſolvenda eſt: immo volunt, hanc hypothecam eſſe ſpecialē, & privilegiatam, Cencius de censibus par. I. cap. 2. qu. 3. art. 1. nam. 5. ex l. pen. §. iſtituto, ibi, *Neque fenerari ſuper eas, ff. de leg. 2.* Jam ita argumentantur. Quæ dicuntur de prälatione annua, trahuntur ad canonem debitum ex re emphyteutica, Abbas conf. 30. col. 1. Ergo ſicuti ex illis oritur tacita hypotheca, ita etiam ex iſto.

Sed neque hæc quidquam urgent; falſum enim omnino eſt, ex annua prälatione ſuper fundo oriſi fundi hypothecam, ut probavimus ex d.l.fin. §. *Lucius Titius*, ffide contr. emt. Neque in contrarium facit textus d.l.pen. §. iſtituto; nam licet verum ſit, fenerari ſuper ædes, inducere hypothecam ædium, tamen hæc hypotheca non eſt tacita ex beneficio legis, ſed expreſſa ex voluntate contrahentium; quia fenerari ſuper re aliqua eſt obligare rem illam creditori; non modo pro forte, ſed etiam pro uſuris. Quare exiguitur, ut expreſſe debitor obliget eam rem. Quod non eſt in caſu noſtro, ut patet.

III. Afferunt, tacitam hypothecam non modo legis auctoritate induci, ſed etiam voluntate contrahentium. Quod probant ex l. item quia, ff. de paſtis, ubi quia conventiones etiam tacite valent, placet in urbanis habitationibus locandis invecta illata, pignori eſſe locatori, etiamſi nihil nominatim convenerit. Ex hac ergo generali regula deducitur, ut cum contrahentes volunt, ut canon ex prædiſ fructibus ſolvatur, etiam voluſiſ videantur, ut ipſi fructus pro eo canone ſint tacite oppignerati, quaſi plus dictum ſit, & minus ſcriptū, argumento ex l. cum avus, ff. de condit. & demonſtr.

Tamen facilis reſponſio eſt, diſtinguendo: tacita voluntas & conuentio inducit hypothecam, lege accedente, concedimus; lege non accedente, & negamus. Dicimus enim, tacitam hypothecam ſemper ex lege induci, que tamen lex aliquando ſolo favore & ſpeciali ratione ad id movetur, aliquando ex tacita contrahentium voluntate; ita tamen, ut ſi huic voluntati expreſſa lex non accedat, ea ſola per ſe ad tacitam hypothecam ſatis non ſit. Quod probatur ex ipſa l. item quia, ubi invecta illata in fundum urbanum ab inquilino tacite oppignerata censentur, quia ita legi placet, ut ibi dicitur, favere tacite conventioni locatoris, & conductoris. At vero hæc eadem tacita voluntas videtur eſſe in locatione fundi rufſici, & tamen invecta illata per colonum non censentur tacite hypothecata, ut patet ibi, v. In urbanis habitationibus, & habetur in l. eo ſure, ff. in quibus casis pignus vel hypotheca tacite contrabatur; ut differentia inter colonum & inquilinum refundatur in legem ipſam, que tacite voluntati in inquilino accedit, non etiam in

colono; nam dicitur: *Eo Jure utimur, ut quæ in prædia urbana induita, & illata sunt, pignori esse credantur, quasi id tacite convenerit.* In rusticis prædiis contra observatar. Quod tamen sub distinctione intelligendum est, ut quæ in ædes ab inquilino inferuntur, & domino ædium ignorante, oppignerata censeantur: in fundum vero a colono non omnia, sed ea tantum, quæ voluntate domini inducta fuere, ut distinguitur in *L. certi Juris, C. de locato.* Itaque licet in utroque casu semper & eodem modo tacita voluntas inesse videatur, tamen non æqualis est tacita hypotheca, sed dispar, quia lex non æque favet; ut omnino verum sit, quod diximus, tacitam voluntatem per se ad tacitam hypothecam non esse satis. Unde plures extant in Jure nostro causus, in quibus semper fuit eadem tacita voluntas, at tacita hypotheca non habuit locum, nisi postquam lex accessit; nam Justinianus in *L. C. commun. de legat.* ait, se tacitam hypothecam pro legatis impetriri ex voluntate testatoris; quæ voluntas in testantibus semper eadem fuit, & tamen ad tacitam hypothecam opus fuit lege expressa Justiniani, cum antea nulla hypotheca fuerit. Sic, nisi sub Imperatore Marco Senatus-consultum fuisset latum, ut mutuanti pecuniam ad refectionem domus, tacite domus intelligatur oppignerata, nunquam hæc hypotheca esset concessa, *l. i. ff. in quibus causis pignus.* Et ita est de aliis legibus, quibus adversarii abutuntur.

Præterea falsum est, quod toties Adversarii ingerunt, annum canonem deberi ex fructibus emphyteusis, cum detur solum in recognitio nem dominii, adeout si fundus fortuito fructus non ferat, non propterea fit remissio, aut diminutio canonis, ut omnes post Valasquez de empbyt. qu.27. num.7.

Etsi vero Merlinus *lib.3. tit.1. qz.1.* doceat, pro anno canone dari tacitam hypothecam; tamen recte id in laudem locum non habere facetur; tum quia id nullo Jure cautum est: tum quia laudem præstatut ab emphyteuta ipse domino propter consensum, quem venditioni præsttit, seu pro nova investitura: ut propterea censeatur omnino a re emphyteutica separatum, nec pariat actionem realem, sed personalem tantum, ut Surdus decisum refert *decis.31. & decis.200. num.2.* Hinc est, ut domini emphyteusim concedentes caveant sibi in investitura, dicendo emphyteusim esse sibi obligatam tam pro solutione canonis, quam laudem, ut scilicet expressa hypotheca inducatur, Amadeus de laudem, *qz.45. in fine.*

Sed si pro canone non soluto expressa hypotheca contracta sit, queritur quid dicendum sit, cum ex nova investitura tertius possessor ad emphyteusim admittitur, illi a priore possessore venditam, utrum teneatur pro canonibus a priori non solutis? Et verius est tene ri, quia Jus istud rei inheret, & transit quocunque res ipsa transeat, *I. bactenus, ubi Glos. v. ab ea, ff. de usufr.* Quare poterit contra tertium

istum possessorem ex hypothecaria agi, etiam non excusso principali,
Gama decis. 145. Covarr. 3. variar. 7. num. 6.

His ita resolutis, patet quid dicendum sit in similibus causis, ut
in Decimis, quae debentur ex fructibus praediorum, in pensionibus,
quae præstantur a beneficiario ex fructibus ipsius beneficii. Et certe, si
Juris rigorem attendamus, non alia actio, nisi personalis competit;
tamen favore pia cause recipi posset, quod communiter docent, nem-
pe dari etiam hypothecariam, etiam contra tertium possessorem pro præ-
teritis, & non persolutis decimis, aut pensionibus: & ita de decimis
tradit Gigas de pension. qu. 39. & 43. Capyc. dec. 20. num. 26. Moneta de
decimis, cap. 6. & de pensionibus idem Gigas q. 52. Gonzalez ad reg. 8. Cau-
cell. gl. 5. §. 5. num. 45. & seq.

Ita etiam privilegia universitatis, vel fisci, universa bona eorum,
quaes cententur vice pignorum, tributis obligata sunt, ut loquitur Imp.
in l. 1. C. in quibus causis pignas. Ex quo textu DD generatim docent,
pro collectis, & pro vectigali, quod Principi solvit pro evasionibus
rerum, quae in urbem introducuntur, vel inde effunduntur, hypothecam
super bonis ipsis competere quod etiam videtur colligi ex l. Imperatores,
ff. de publicanis, & vectigalibus, ubi ex Imperatoribus Antonino, &
Vero, dicitur, in vectigalibus ipsa prædia, non personas conveniri: &
ideo possessores etiam præteriti temporis vectigal solvere debere; & ha-
betur etiam ex textu in l. cum poss. s. §. pro pecunia, ff. de censib. & in
l. prædiis, ff. de Jure fisci, & in l. fin. C. sine censu, vel reliquis s. qui ta-
men textus omnes, ut recte notat Guttierrez de gabellis, qu. 169. num. 4.
loquuntur de tributo, quod ex prædiis vectigalibus Principi solvitur,
non de vectigali, seu gabella, ex contractu sive re mobili debita: sicut
census in d. l. fin. est tributum, quod prædiis provincialibus imponeba-
tur, fisco pendendum: quod si in debitum transibat, ita ut residuum
esset, dicebatur reliquum: hinc reliqua colonorum dicuntur pensiones
residuae a colonis debitæ, l. 29. §. peto, ff. de leg. 3.

Ex his Guttierrez concludit, has leges locum non habere in vecti-
gali ex rebus mobilibus debito, pro quo tacitam hypothecam negat da-
ri, quod etiam habet Surd. dec. 32. num. 10. Id tamen non placet, quia
maxime apud nos, ubi vectigal pro prediis non solvitur Principi, sed
in ejus locum præstatur ex rebus mobilibus; quare sicut pro illo tacita
competit hypotheca, ita etiam pro isto; nam subrogatum sapit natu-
ram ejus, in cuius locum subrogatum est.

At vero in aliis locis Universitates habent, ut dicitur, æstimatum
& catastum bonorum stabilium cuiuscunque Civis, & iuxta illud onus
solvendi tributum seu collectas imponitur: onusque hypothecæ oritur a
quo die bona in æstimo descripta sunt, Mantica de tacitis lib. 11. tit. 18.
num. 16. quae hypotheca perdurat, donec ipsa bona nomine possessoris
descripta ibi sunt; nam descriptione cessante, finitur hypotheca, l. ult.

C. si.

C. sine censu vel reliquis, ut loco citato docet Mantica.

Hec tamen locum non habent, quoties capita censentur, seu in collectis, quæ ex singulis capitibus exiguntur, pro quibus sola personalis actio competit, Soccin. *conf. 243. n. 1.*

De hypotheca orta ex administratione.

D i s c u l s i o . IV.

ETiamsi regula sit, patrem legitimum administratorem bonorum filii, quem in potestate habet, non teneri finita administratione, rationem reddere, ut *gubernatio rerum eorum sit penitus impunita*, ut ait Justinianus in *I. cum oportet*, §. *tum autem*, *C. de bonis que liberis*, & habetur in *I. fin. §. sin autem*, *C. eodem*, ubi id ad reverentiam, quam filius fam. patri debet, refertur, & nos probavimus in *tit. C. de bonis maternis*: tamen tres sunt casus, in quibus pater rationem administrationis reddere tenetur. I. De iis bonis, in quibus nullum habet usumfructum, utpote quorum nec legitimus administrator censetur, Soccinus *conf. 34. lib. 1.* Aymon *conf. 218. num. 3.* II. Si pater transeat ad secundas nuptias, de quo lex non admodum confidit, Fulg. in *I. jubemus*, §. 1. *C. ad Trebell.* per illum textum. III. Si pater dolum in rerum adventitiarum ad. ministracione admiserit, Soccinus *conf. 34. num. 15.* & seq. ex d. *I. cum oportet*, §. *fin.* Quidam addunt & quartum, cum pater *ex causa legibus cognita* valide filiofam. donat; et si enim rei donatae pater administracionem habeat, ut rerum adventitiarum, tamen rationem tenetur reddere, Angelus in *I. litis*, §. *par. 3*, ff. *de neg. gestis*, Pinellus ad *I. 1. C. de bonis maternis*, *par. 2. n. 32.*

Quæritur modo, in his casibus utrum bona patris male administrantis censeantur tacite ipsi filiofam. oppignerata? Difficultatem facit, quod Justinianus in hac re sibi ipsi pugnare videtur in d. *I. cum oportet*; nam in §. *non autem*, ait: *Non autem hypothecam filiis am. adversus rem patris viventis adhuc, seu jam mortui, sperare audeant.* Deinde in §. *fin.* contrarium asserit, dicendo, tacitam hypothecam in rebus patris filio concedi, eamque hypothecam oriri non a tempore malæ gestionis. sed ex quo administratio incepit: quod ipsum videtur colligi ex *L. fin. §. fin. autem 55. C. eodem*, ubi dicitur, patrem usuras filio, vel ex redditibus, vel ex substantia sua, omnimodo dare compelli.

Pio qua antinomia solvenda varias Accursius profert responsiones in d. §. *non autem*; nam primo dicit, eum §. *corrigi*, ex §. *fin.* ejus legis. Quod est absurdum; cum enim hi §. sint in eadem lege, prorius fieri nequit, ut Justinianus eodem loco sibi adversarius sit, seque ipsum corrigat; lex enim posterior corrigit anteriorem: at non eadem lex se ipsum.

Sed cum videret Accursius id stare non posse , alio se vertit ; ait que filium in bonis patris expressam hypothecam acquirere non posse , posse vero tacitam ; nam textus in d. §. fin. expresse de tacita hypotheca sermonem habet , eamque filii concedit ; at in d. §. non autem generaliter hypotheca dicitur , quam de expressa accipere oportet , ne ea lex sibi adversetur . Quæ solutio nec etiam recipi potest , quia cui conceditur plus , non debet negari minus : sed plus est hypotheca tacita ex eo , quod hæc conceditur solius legis auctoritate ex privilegio in certis casibus favore dignis ; quare si tantum lex filio favorem impertitur , ut tacitam in bonis patris administrantis hypothecam habeat : non debet deinde negare , quod est minus , nempe ut ipse filii filius caveat per hypothecam expressam , quæ vulgo unicuique concedi solet .

Respondet etiam Accursius , filium nullam habere hypothecam in patris bonis , donec patris sunt , etiam male administrantis : at si pater res suas in alterum distrahat , tum filio in eis bonis competere hypothecam , quia jam patris esse desierant . Et hanc responsionem veriorem esse ait . Est tamen falsa ; cum enim in d. §. fin. dicatur , hypothecam pro filio orihi ex quo die pater administrationem accepit , certum est concedi hanc hypothecam etiam cum bona apud patrem sunt , necdum alienata ; cum nequeat hypotheca dari super bonis jam tempore initæ administratio- nis , vel initi contractus alienatis .

Placet ergo , ut duos casus distinguamus , juxta ea , quæ statim initio Discussionis proposuimus cum Bartolo in d. §. non autem , & Baldio in d. §. fin. Primus est , si pater ob negligentiam , vel imperitiam male administret bona filii , in quibus usumfructum habet ; & eo casu nullam filius in bonis paternis hypothecam habebit . Quod probatur , quia tunc pater rationem finita demum administratione reddere non tenetur , d. l. cum oportet , §. non autem . Ergo nullo modo potest apparere utrum pater sit debitor , an secus ; quare contra patrem nulla actio , neque realis , neque personalis dabitur . Ita præter citatos DD. tradunt Pinellus in l. i. par. 2. n. 33. & seq. C. de bonis maternis , Gutierez de tutela , par. 2. cap. 16. num. 25.

Alter casus est , si pater dolo & fraude male administret ; cum enim fatus dolus nemini debeat patrocinari ; inde fit , patrem eo casu obligari ad rationem administrationis reddendam , & filii debitor erit ; quare tum recte procedet textus in d. §. fin. ubi tacita hypotheca in bonis pa- ternis , etiam dum patris sunt , filio impertitur , Mantica lib. I. de ta- citis , tit. 16. num. 16. Socc. conf. 34. num. 15. cum seq. lib. I.

Putant vero communiter , tacitam hanc hypothecam filio etiam ac- quiriri , cum pater administrat ea filii bona , in quibus usumfructum non habet , ut post Negus . & Gutierez docet Merlinus lib. 3. tit. 1. qu. 17. & num. 8. Sed verius est , eam hypothecam locum non habere , ut voluit Baldus Novellus de dote par. 9. priv. 8. motus ex eo , quod tacite hypo- thecae

theceæ privilegium fuit a lege inductum pro bonis, in quibus pater habet usumfructum, & est legitimus administrator, ut propterea nequeat ad alios casus extendi. Neque obstat, quod ait Merlinus, patrem hic etiam pro legitimo administratore haberit: quod est falsissimum; nam peculium plene sibi quæsitum ipse filius administrat, tanquam si castrense esset, *I. Imperator, ff. ad Trebell.* & de eo potest testari, *I. ult. §. filius autem fam. C. de bonis, qua liber.* quod secus est in iis, in quibus pater usumfructum habet, *Lncmo ex lege, C. quis testamenta.* Constat autem, contra legitimam tantum administratorem oriri ex beneficio legis hypothecam, *I. fin. C. de legit. tutorib.* Quare nec etiam mater habebit bona sua filio hypothecata, cum ipsius bona administrat, cum neque ipsa legitime, seu ex auctoritate Juris, administraret, licet contrarium senserint Molina de Justitia & Jure, disp. 536. num. 6. Gutierrez d. cop. 16. num. 14.

Neque iterum oblitat, legitimum administratorem non esse debere deterioris conditionis, quam illegitimus sit: quare si legitimus habet bona sua obligata, etiam non legitimus eodem onere gravari debet, ut ait idem Merlinus *loc. cit. num. 12.* Nam respondetur, antecedentem propositionem veram esse, cum nulla adest ratio disparitatis, quæ certe in nostro casu adest. Nam cum legitimus administrator detur a lege etiam invitis, quippe pater etiam invito filiosam. ejus bona adventitia non plene quæsita administrat; hinc factum est, ut ex alia parte lex filio succurrat, concedendo ei contra dolum patris tacitam hypothecam. At vero quando administrator non datur a lege, sed eligitur sive tacito, sive expresso consensu, a bonorum domino, tunc lex domino privilegium hypothecæ non concedit, utpote qui poterat vel meliorem administratorem eligere, vel ut facto suo elegit, ita poterat facto suo sibi cavere per expressam hypothecam. Et hic habet locum regula, quod mala elec^{tio} culpæ adnumeratur.

Quæritur hic, an sicut pupillus & minor acquirunt tacitam hypothecam in bonis tutoris & curatoris, ita e contrario tutor & curator acquirant in bonis pupilli, vel minoris, quoties redditis rationibus apparent creditoris? Et affirmant Surdus *de alim. tit. 9. q. 44. n. 14.* & seq. Mantica *loc. cit. num. 17.* & ante ipsos Baldus in *I. certi Juris, num. 14.* & seq. C. de locat. & moventur ex eo, quia tutor & pupillus exæquantur ab Ulpiano in *I. i. ff. de contraria tutela actione;* hoc est, ut sicuti tutor obstringitur pupillo; ita ut tutor faciliter ad administrationem accederet, factum est, ut ipsi pupillus sine tutoris auctoritate civiliter obligetur: *Etenim,* ait Ulpianus, *provocandi erant tutores, at promtius de suo aliquid pro pupillis impendant, dum sciunt se recepturos id, quod impenderint.* Hinc regula docet, correlativorum eandem esse rationem. Itaque sicuti pupillus in bona tutoris male administrantis tacitam habet hypothecam; ita e diverso tutor, cum aliquid de suo pro pupillo impendit, ejus in bonis eandem obtinebit hypothecam.

Quod

Quod tamen nihil obstat, quia in eo textu nulla ab Ulpiano sic inter tutorem & pupillum exequatio: immo aperte docemur, pupillum non obligari tutori, nisi actione personalis ut patet ex illis verbis: *Scientes pupillum quoque sibi obligatum fore*; & ex illis aliis: *Ut tutoris suo pupillus sine tutoris auctoritate civiliter obligetur*. Ubi semper dicitur pupillum obligari, non etia pupilli bona; quare orietur tantum personalis actio in ipsum, non etiam hypothecaria in bona ejusdem; ita ut textus in d.l.i. ad quem supracitati DD provocant, posset in ipsos retorqueri, tantum abest, ut cum ipsis faciat.

Itaque verius est, pupilli bona non intelligi tacite oppignerata tutori, sicuti nec minoris curatori, ut post Albericum, & Ripam, docet Gutierrez de tutela, par.2. cap.16. num.20. Munoz de ratiocin. cap.39. num.16. Caldas de restit. in integr. tit.15. par.5. num.42. Quod probatus primo ex I.fin.C.de legit.tutorib. ubi Justinianus ad tutelam non admittit, nisi eos, qui minorem aetatem excesserint, hac motus ratione, ut eorum res possint hypothecæ subjici. Ex quo satis apparet, quod si tutor minor aetate esset, ejus bona non censerentur pupillo tacite hypothecata. Ergo bona pupilli non debent censi tacite obligata tutori; nam ex Justiniano colligitur, bona minoris non subjici tacite hypothecæ; aliter enim minor posset esse tutor, qui tamen excluditur ex ea tantum ratione, quia ipsius bona tacite obligari non possunt.

Probatur II. ratione, quia non eadem est ratio pupilli, & tutoris; quia causa pupilli est favore digna ob publicam utilitatem, cum Reipublicæ expediatur bona civium conservari: qui favor locum non habet in tutori. Ergo licet pro pupillo lex induxit tacitam hypothecam, non propterea est causa, cur eandem pro tutori inducat. Et sane nulla in toto Juris corpore lex extat, ubi haec hypotheca statuatur.

Hinc patet, quid dicendum sit de Episcopis, & Prælatis aliis, qui male bona Ecclesiæ sibi commissæ administrent. Et certum est, super bonis eorundem Ecclesiam tacitam hypothecam acquirere: sicut enim Ecclesia exequatur minori, cap.1. de in integrum restitut. ita e diverso Prælatus æquiparatur tutori, aut curatori, quorum bona tacite oppignerantur minori & pupillo, Gloss. in cap.ex literis, v. obligata, de pignorib. ibique Abbas num.11. Felinus in cap. cum deputatis, num.8. de judiciis, Redoanus de reb.Ecclesiæ non alien. q.2. cap.7. num.12. ubi docet, Prælatum ad instar tutoris, teneri utilia prosequi & inutilia prætermittere; quare si non acquirat Ecclesiæ, cum juste potest, teneatur de suo; sicut etiam si patiatur res & jura Ecclesiæ usucapi, aut præscribi. Imo sunt, qui docent, præter hypothecam, acquiri etiam Ecclesiæ prælationem contra anteriores credidores, sicut eam uxori in bonis viri acquirit; nam Prælatus habetur tanquam Sponsus Ecclesiæ, can. sequit vir, cun. sicut alterius, y.q.1. Ita tradit Ripa in I.privilegia, num.33. ff. de priv.creditorum, Pacificus de Salv.interdict. inspect.3. cap.4. num.511.

At

At vero de matre , quæ tutelam filii pupilli gessit , est advertendum , cum eam suscipit , teneri cavere Jurejurando , se ad secundas non transiitram nuptias: quod si deinde spreta Jurisjurandi religione transeat , debet prius non solum petere filio tutorem , sed etiam rationem administrationis reddere: quod nisi fecerit , non ejus modo bona , sed & vitrii tacite oppignerata pupillo censentur . Quod summum privilegium primum induxeret Imp. Valentinianus , & Theodosius , in *I. si mater , C. quando pignus tacite contrahatur* , deinde confirmavit Justinianus in *§. si autem tutelam , aut b. de nuptiis* . Hoc tamen , quod de vitrico dicitur , intelligi debet Juris ordine servato , hoc est , ut non possit recta via contra ipsum agi , sed tunc demum , cum excusis matris bonis , ea reperita est non solvendo ; cum remedium texus in *d.l. si mater* . sit subsidarium , ut ibidem docet Bald. *num. r.* Muñoz *de ratiocin. cap. 34. num. 14.* Molina *de primog. Hispan. lib. i. cap. 3. num. 22.*

Intelligi etiam debet , cum mater legitime suscepit tutelam , non etiam cum de facto bona filii administrat : quo casu vitrii , seu secundi viri bona privigno tacite non oppignerantur : immo nec ipsius matris bona , ut jam probavimus , Decius *conf. 59 r.* Guttierrez *de tutela , par. i. cap. 9. num. 30.* Mantica *de iacit. lib. 11. tit. 16. num. 5.*

De hypotheca usurarum , & fructuum .

D I S C U S S I O V.

Communis opinio docet , si qui certam summam debet , obliget bona sua simpliciter pro debito , non expressa certa sortis quantitate , hypothecam intelligi etiam pro fructibus , vel usuris contractam ; idque locum habere etiam in tacita hypotheca , quæ cum expressa pari passu procedit , ut dispositum in una , censeatur etiam in altera constitutum . Ita Negus *par. 5. memb. 1. Grat. cap. 304. num. 14.* Probant id , quia usuræ , ut accessoriæ , sortis , e qua germinant , conditionem sequuntur , ex Scævola in *I. Lucius Titius , ff. qui potiores in pignore , ubi qui pecuniam mutuam dedit sub usuris , acceptis pignoribus , non tantum sortis , sed usuratum nomine , quæ postea accesserunt , potior est , & præfertur .*

Nobis tamen placet , ut dicamus , hypothecam non extendi , nisi ad sortem , cum expressa hypotheca est ; duobus tantum ab hac regula exceptis casibus : primo si hypotheca contracta est in omnem causam : secundo , si ab initio contractus usuræ paetæ sint . Quæ omnia probanda sunt .

Regula probatur exemplo fidejussionis , quo etiam utuntur Adversarii , sed perperam ; & argumentum a fidejussore ad hypothecam valit , *§. pretium , Institut. de empt. & vendit.* Fidejusso ergo , licet simili-

pliciter pro debito spondeat, tamen in pœnam, vel multam, quam non spopondit, conveniri non potest, *fidejussores magistratum, ff. de fidejusso.* Et ratio est, quia obligatio non extenditur ultra id, quod tempore obligationis initæ debetur; quare ut fidejussor de usuris teneatur, necesse est, ut expresse tam pro sorte, quam pro usuris intercedat, ut patet ex *l. centum Capua, ff. de eo, quod certo loco*, ubi fidejussor ad usuras teneri dicitur, propterea quod duas stipulationes fecit, alteram sortis, usurarum alteram. Et frustra hunc textum secum facere putant Adversarii.

Quod si objicias, moram rei fidejussori quoque nocere, ut dicitur in *l. mord, ff. de verò obl.* respondemus ibi sermonem ab Ulpiano haberi, in quantum ad rem ipsam debitam, veluti si post moram a debitore commissam, Stichus, qui debitus est, pereat, ex servi obitu tenetur ipse quoque fidejussor; nam ibi Jurisconsultus de rei interitu loquitur, ut in textu patet. Secus est, si ob moram petantur usuræ, quo casu fidejussor ex mora non tenetur, ut docet Africanus in *d. l. centum*, ibi: *Nec oportebit, quod forte per reum steterit, quo minus tota centum Capua solverentur, & obligationem fidejussoris augeri.* Ubi notanda sunt verba illa, *obligationem augeri*; nam cum per moram obligatio fidejussoris non augetur, ut est cum species debita perit, tum debitoris mora fidejussori nocet, ut ait Ulpianus: sed si augeretur, veluti si ob moram usuræ debeantur, eo casu mora fidejussori non nocet, ut ait Africanus.

At vero prima exceptio hujus regulæ probatur ex Paulo in *l. quaero, ff. locati*; docet enim fidejussorem conductoris etiam in usuras non solitarum pensionum teneri, cum se in omnem causam conductionis obligavit: vel cum aliis verbis est usus, quæ istis æquivalent, ut si dictum sit a locatore, *In quantum illum condemnari ex bona fide oportebit, tantum fide tua iße jubes?* quia enim usuræ in contractibus ex bona fide debentur, ideo pro usuris etiam fidejussor intercessisse intelligitur. Idem est, si conductor dixerit, *Indemnum me præstabis?* Ex quo textu firmatur superior regula; nam si in his casibus specialibus fidejussor ad usuras tenetur, ergo in reliquis non obligatur: quippe exceptio firmat regulam in contrarium.

II. Exceptio probatur ex *d.l. Laci Titius*, qua Adversarii abutuntur; nam Scævola sermonem expresse habet de eo, qui pecuniam mutuo accepit sub usuris, itaut earum obligatio non nascatur post initum contractum, a die moræ, sed cum ipso contractu oriatur. Ex quo sit, ut creditor sub pignore, qui prælationem habet pro sorte, quia tempore anterior, eandem pariter habeat pro usuris; quocirca secus esset, si usuræ non statim cum ipso contractu ortæ essent; sed deinde post moram admissam inciperent deberi. Idem prorsus dicendum est de hypotheca, ut scilicet tunc ad usuras extendatur, cum usuræ jam pactæ erant tempore, quo hypotheca fuit contracta.

Hæc

Hæc diximus de hypotheca expressa : idem dubium est de hypotheca tacita ex beneficio legis . Unde cum maritus constante matrimonio , debeat uxori alimenta , quæ situm est , an sicut ipsa pro dote habet bona viri tacite oppignerata , ita quoque habeat pro alimentis , si ea vir deneget , vel vergat ad inopiam ? Et Guidon Papa *conf. 127.* Baldus Novell. *de dote par. 6. priv. 7.* Surd. *de alim. tjt. 8. priv. 52.* Gratian. *cap. 634.* & alii docent , hypothecam etiam ad alimenta porrigi : & moveatur , quia alimenta debentur a viro , tanquam pro usuris dotis : ergo sicut ad usuras extenditur hypotheca , ita etiam ad alimenta .

Sed nos jam probavimus , falsum id esse , quod hic assumitur ; non enim hypotheca pro usuris competit , nisi in duobus casibus , cum regula in contrarium sit . Unde argumentum posset contra Adversarios retorqueri , nempe si hypotheca non se extendit ad usuras , ergo neque etiam ad alimenta , quæ loco usurarum debentur . Et ita tenet Bartolus in *I. Lucius* , *num. 4. ff. de alim. &c. cib. legat.* Imola in *I. si cum dorem* , §. item pater , *num. 25. ff. sol. matr.* Abbas *conf. 43. ad fin.* Roman. *conf. 454. num. 28.* Barb. in *I. i. par. 3. sub num. 28. ff. sol. matr.* Gratian. *dec. 129. num. 15.* Medic. *dec. Senens. exam. 48. num. 5.* qui addunt & aliam rationem , quia tacita hypotheca a lege uxori conceditur pro restitutione dotis , quæ restitutio longe abest a petitione alimentorum .

Quod si uxor mortuo viro petat alimenta , quæ sibi debentur intra annum luctus , nec etiam ei hypothecam competere scripsit Jacobus Rufinus Parmensis , ut Bartolus refert in *d. I. si cum dorem* , §. sin autem in *ſævifffimo* ; & movetur duabus rationibus : primo , quia hæc hypotheca pro alimentis nullo Jure cauta reperitur : secundo , quia alimenta non sunt onera prædialia . Sequitur Joann. Andr. ad Specul. *tjt. de dote post divorcium restituenda* , in §. *formatis* , ad *num. 15.* Id ipsum est de his alimentis , quæ peterentur post annum luctus ; nam tum nulla viduæ alimenta debentur , Can. in *cap. fulubriter, de usuris* : at si in pactum deduceta sint , puta si heredes viri ea præstare se obligaverint , eo casu imputarentur in sortem , Bartolus in *I. si insulam* , §. *usuras* , *num. 3. ff. sol. matr.* Surd. *conf. 194. num. 13.*

Plurima de hypotheca dotis tacita essent hic dicenda : sed quoniam de his egimus in *Tract. de dote* , amplius hic immorandum non est .

De jure & ordine Creditorum .

REm aggredimur satis in foro frequentem , quæ vulgo Creditorum concursus dicitur ; etsi enim antiquitus , cum debitor erat decedor , & non solvendo , creditoribus omnibus fieret satis , qui tamen decidebant pro dimidia , tertia , vel quarta parte crediti , vide Gujacum & Hotomanum in *tit. Institut. de successionibus sublatis* , & Antonium

Augustinus 2. *emend. 7.* hodie tamen fecus est , & qui priores vel tempore , vel Jure sunt, totum æs sibi debitum accipiunt, exhaustiuntque debitoris patrimonium , ita ut sæpe posteriores creditores totum amittant . Itaque hac in re separandi invicem sunt creditores personales , & hypothecarii , cum diversa in unis , atque in alteris Jura procedant . Nam creditor hypothecarius licet tempore posterior præfertur creditor i anteriori , qui personalem tantum actionem habet : quippe in hypothecariis tantum locum habet regula , ut qui prior in tempore est , potior sit in Jure , *I. creditor* 12. §. si primus , ff. qui potior. in pign. *I. eos* , *C. cit. tit.* Quod adeo verum est , ut hypothecarius ex causa lucrativa posterior præferatur etiam creditor i anteriori ex causa onerosa , qui sola personali actione innitatur , d. *I. creditor* , §. si primus ; *I. i. C. de Jure fisci* . Ita quoque si debitor ex personali deinde contrahat cum altero , cui bona obliget , & tandem pro primo etiam hypothecam statuat , hic erit postponendus , Pacificus de Salv. *insp. 3. cap. 2. num. 520.* His breviter positia , ad quæstiones deveniamus .

Quando creditor ex instrumento cum hypotheca posterior præferatur creditor i ex idiochiro anteriori .

Q U E S T I O N E

Agitur de hac re in nobili textu Imperatoris Leonis in *scripturas* , §. si autem , *C. qui patiores in pignore* , ubi habetur , quod si idiochirum ostendatur (vocat idiochirum , quod vulgo chirographum dicimus) subscriptum a contrahentibus sine testibus , vel cum duobus tantum , & in eo appareat quis creditor Titii , sub hypotheca , tunc is creditor aliis creditoribus posterioribus , qui ex personali solum actione agunt , præferetur : at non præferetur posteriori creditor i , qui hypothecam proponat ex instrumento publice confecto . Unde cum creditores de suo Jure experiuntur super bonis debitoris decoctoris , ultimo loco chirographariis istis fit satis , *Genua de script. priv. qu. 16.* Guttierez *præc. quæst. lib. 1. qu. 102. num. 6.* & alii communiter . Quod verum est , etiam facta ipsius idiochiri recognitione per debitorem , quæ semper præmittenda est ; ita tamen , ut recognitio retrotrahatur ad tempus confectionis , idem Guttierez *qu. 125.* Faber in *C. tit. quib. casib. pignus* , *def. 8.* & *de error. pragm. dec. 1. err. 2. num. 19.* & *err. 3.*

Sed vero , si quinque simul ad sint , creditor chirographarius præferetur creditoribus posterioribus sub hypotheca ex publico instrumento orta . I. si ad sit scriptura , II. contrahentium subscriptio , III. trium testimoniis

stium probatæ & integræ opinionis subscriptio . IV. si propriam ipsi subscriptionem recognoscant . V. demum si ipsi testes masculi fuerint . Ita in *d. l. scripturas* , §. *sin autem* , Covarr. *præf. quæst. cap. 23* . Guttierrez *d. cap. 102* . Ex quo textu apparet , duos testes non esse satis , sed tres de forma exiguntur ; nam ait : *Nisi forte probatae , atque integræ opinio- nis , trium , vel amplius virorum subscriptiones eisdem idicabiris conti- neantur* . Id autem factum est , quia ita clarus & certius fraus evitatur , & quia contra creditorem ex instrumento posteriori opus est , ut æqualis probatio producatur : at talis non est scriptura privata duobus tantum testibus subscripta , ut patet ex eo , quod in instrumento adsunt etiam duo testes , & præterea publicæ scripturæ auctoritas ; quare visum fuit , ut tertius adderetur testis , ut privata scriptura publicæ queat æquiparari , *Salycketus in d.l. scripturas* , *num. 5* . qui & illud memoria dignum addit , quod si unius creditoris idiochirum duos habeat testes , alterius vero tres , iste illi præferendus sit .

Verum cum agitur de scriptura per testes recognoscenda , creditores posteriores , qui se opponunt , citandi sunt , ut adsint , *Surdus consil. 82. num. 21* . *Gaitus de credito cap. 4. num. 1534* . Sed si testes mortui fuerint , videtur satis ut alii subrogentur , qui manus mortuorum cognoscant , *Castr. consil. 34* . *Cephal. consil. 270* . *Bursat. consil. 103* . *Gratian. decis. 44* . late *Genua de scriptura priv. qu. 16* . quamvis alii contraria nitanuntur apud Merlinum *lib. 4. tit. 1. qu. 15. num. 49* .

Sunt qui docent , creditum & hypothecam posse etiam probari sine scriptura , immo etiam sine tribus testibus , sed duobus tantum , qui attestentur etiam de tempore , quo actus fuit a contrahentibus celebratus . Et probant I. Nulla lex est , quæ ad hypothecam , aut scripturam , aut tres omnino testes exigat . II. quia ita quoque fraudis suspicio cessat . Ita *Tiraquellus de retratu gl. 7. num. 59. in fin.* Quæ opinio vera est , si loquamur de simplici hypotheca , quam & sine scriptura , & duobus testibus probari posse concedimus : sed falsa est , si de prælatione sermo sit : quippe obstat aperte textus in *d. l. scripturas* , ubi ad prælationem creditorum posteriorum , qui instrumentum & hypothecam habent , præter scripturam exiguntur etiam tres testes , qui non solum tollant suspicionem fraudis , sed etiam & que ac publicum instrumentum probent , ut jam diximus , & recte notat Merlinus *loc. cit. a num. 37. ad 4* .

**An tacita hypotheca anterior præferatur
expressæ posteriori.**

Q u a s t i o I I .

ET si quidam putent, creditorum tacitam dumtaxat hypothecam habentium ordinem illum esse debere, ut iis solum præferantur, qui personali nituntur actione, at non item ceteris qui hypothecam habent expressam, licet hi tempore posteriores sint; Faber tamen d.c.6. er.1. reæte docet, tacitam hypothecam anteriorem præferri expressæ posteriori juxta regulam textus in l.2. & l.si fundum, C. qui potiores in pign.& l. posterior. ff. eod. in quibus sine ulla distinctione inter tacitam & expressam hypothecam, generatim traditur, ut prior in tempore sit potior in Jure; nam obligatio pignoris ex die contractus nascitur, l.1. in fine, & d.l. potior, §.si colonas, ff.eod. & ex quo nata est, rem ipsam afficit, quantumdiu pecunia soluta non est, l.grege, §.etiam, ff.de pignor.

Probatur etiam ex regula, quæ docet, taciti eandem vim esse atque expressi, modo excipias servos propter pensionem obligatos, qui si expresse obligati sint, non possunt manumitti, sin tacite dumtaxat, possunt, l. licet, l. ex differentia, ff. in quibus causis pignus'. Sed & interdum evenit, ut qui tacitam dumtaxat hypothecam habet, licet posterior sit tempore, habeat tamen privilegium prælationis, ut etiam creditoribus anterioribus expressam hypothecam habentibus anteponatur: quemadmodum cernere est in eo, qui pecuniam credidit ad ædificii restitucionem, quem constat habere privilegium non solum tacitæ hypothecæ, sed etiam prælationis, ut diximus ex l.1. eod.l.creditor, ff.de reb. creditis, l.interdum, & seq. ff. qui potior. in pign. Item in pupillo, ex cuius nummis res comparata est, l.idemque, eod. l.3. in princ. ff. de reb. eorum, qui sub tutela. Item in muliere ex l.affiduis, C. qui potior. in pign. Et pariter in fisco; nam debitor meus, qui mihi expresse obligavit quæ habet, habiturusve esset, si deinde contrahat cum fisco, ex quo contractu omnia ejus bona etiam futura fisco tacite hypothecata censentur; tunc in bonis quidem jam tempore secundi contractus extantibus præfertur, qui expressam hypothecam habet, at in rebus postea quæstis præfertur fiscus et si posterior, & solam tacitam habens hypothecam, l.si is qui mibi, ff.de jure fisci.

Excipiunt tamen, si is, qui tacitæ hypothecæ privilegium habet, si. bi caveret per expressam, sive in ipso negotio, sive ex post facto, quo casu expresa facit, ut tacitæ nullus locus sit, ut tradit Negus. par.2. memb.4. tr.5. & sequitur Faber loc.cit. num.6. Et probant ex l.ult. C. de partis conventis tam super dote, ubi Justinianus non aliter mulieribus dat pri-

privilegium tacitæ hypothecæ pro bonis paraphernalibus ; quam si expressam nullam adhibuerint ; expressa enim pignoris conventione intercedente, eas solas mariti res obligatas esse statuit, quæ expressum pignori datæ sunt , non item ceteras , quæ alioquin tacitæ hypothecæ vinculo continerentur ; ea ratione , quia minime necesse est , ut lex ei propiciat , qui ipse sibi prospexit : cum tacitæ hypothecæ privilegium non aliam ob causam sit inductam , quam uti ne periclitetur creditor , qui ex justa aliqua causa privilegio & auxilio dignus videatur . Unde dicitur, expressum facit cessare tacitum . Quibus consequens est, ut si is, qui ab initio tacitam hypothecam habuit , & eo Jure posteriores creditores licet expressam hypothecam habentes vincere potuit , postea expressum pignus accepit , postponendus sit ceteris creditoribus hypothecariis , qui medio tempore contraxerunt: quia cum tacitam hypothecam nullam habeat , superest expressa sola , in qua posterior est .

Ita pariter probatur ex *I. cum colono, ff. quibus modis pignus solvitur,* ubi si cum colono mihi convenit, ut invecta & importata pignori essent, donec merces mihi soluta, aut satisfactum esset, si deinde mercedis nomine fidejussorem a colono accepi , satisfactum mihi videtur , & ideo illata pignori esse desierunt .

Objicies ex Papiniano in *I. creditor acceptis* , juncta *I. ff. prior, ff. qui potiores in pign.* ubi quis cum pignus accepisset, postea novatione facta idem pignus accepit , ait Papinianus in sui locum succedere , & pristinum temporis ordinem retinere , veluti si pro decem , quæ mutuo dedi, domum tuam mihi obligasti , deinde alia mutuo dem , & animo novandi pro omnibus eandem mihi domum pignori supponas , non amitto prærogativam temporis pro primis decem , Cujacius 51. obf. 32. Ergo a pari per secundam expressam hypothecam non videtur amissa prior tacita .

Respondet Faber negando paritatem , & distinguimus inter tacitam hypothecam anteriorem , & expressam; expressa namque hypotheca, quia res facti est , fieri nequit , ut pro non expressa habeatur , propterea per posteriorem etiam expressam non tollitur . At secus est de tacita, quæ sicut ex lege & jure est , ita facile per legis jurisque rationem in eum statum reduci potest , ut nunquam competuisse existimetur , licet aliquando revera competitierit; id vero accidit, cum expressa accedit, quæ quandocunque superveniens facit, ut cesset ratio tacitæ inducendæ , & consequenter ut inducta finiatur . Nam quemadmodum lex nihil singit frustra, ita nec fictionem , quæ aliquando utilis esse potuit , retinet ex quo incipit fieri inutilis , idest ex quo pervenit ad eum casum , a quo non potuit incipere .

Hinc idem Faber *num. 11. cautionem creditori præstat*, ut protestetur , cum acquirit sibi Jus expressæ hypothecæ , velle se salvum sibi manere ordinem, quem alioqui ex tacita hypotheca erat habiturus inter hypotheccarios

pothecarios creditores. Neque enim dubitandum est, quin ejusmodi protestatione Jus potioris pignoris retenturus sit, cum nulla ex eo injuria fiat illis, quibus medio tempore Jus quæsumum est, quos æque superatus erat, et si tacitam dumtaxat hypothecam habuisset.

Alii tamen in hac quæstione varia distinctione utuntur, maxime cum agitur de dote; nam post Cynum quidam docent, quod si uxori post contractum matrimonium vir generali expressa bonorum hypotheca caveat, per eam non censeri renunciatum tacitæ hypothecæ, quæ etiam generalis est: at e diverso si expressa hypotheca specialis sit, videri tacitæ renunciatum. Tota hæc distinctio nititur in conjectura voluntatis contrahentium, qui dum post generalem tacitam inducunt specialem expressam, id in animo habuisse videntur, ut generalem illam præcedentem restringant: quod dici, aut præsumi nequit, cum utraque generalis est. Sequitur Salycetus in *d.l.ult. C.de pactis conventis tam super dote*, Alexander *conf.58.n.2. & seq.lib.7. Mantica de tacitis lib.11.tit.19. num.42.* Quæ opinio locum habere non potest; nam etiam qui generalem posteriorem hypothecam expresse contrahit, eo animo fecisse videatur, ut tacita illa priori generali amplius uti nolit: aliter frustra expressam concaxisset, si tacita uti voluisset, ut patet. Et recte generatim dicitur, quod provisio hominis cessare facit provisionem legis, *l.1. ff. de eo, quod certo loco, l.4. §.si ex conventione, ff.de re iudicata.*

Alii dicunt, nunquam in dote per posteriorem expressam tolli priorem tacitam, sive prior illa sit generalis, sive temporalis, ut Joann. glossator sensit apud Accursum in *d.l.ult. v. contentam*. Et moventur, quod per posteriorem expressam deterius Jus dotis efficeretur, contra regulam, quod constante matrimonio Jus dotis deterius a viro fieri non potest, *l.si unus, §.quod & in specie, ff. de pactis, l.de die, ff.de pactis dotalibus.* De qua tamen regula vide Negus. *par.2. membro 4. num.84. cum seq.* Itaque hoc casu nec etiam si velit, potest uxor per expressam posteriorem derogare anteriori tacitæ. Aliter tamen distinguit Merlinus *lib.3. tit.2. qn.59. quem vide.*

De ordine scripturæ inter hypothecarios.

Q U A S T I O III.

SI quis mutuo a pluribus pecuniam recipiens, omnibus eadem scriptura bona sua hypothecæ subjiciat, ita tamen, ut unus ex ipsis sit prior positus & nominatus, alter posterior, quæri solet, an ex isto scripturæ ordine inducatur prælatio, an potius simul concurrant? Et plures sunt, qui ordinem attendendum esse docent, *Lapus alleg.85. Collegium Bonon. post Zabarellam conf.1. Collegium Patavinum conf.2. Tiraquellus*

raquellus de Jure primog. q.19. n.6. Angelus cons.352. Pacificus de Salv. inspect.3. cap.3. num.439. Gratian. cap.586. num.39.

Probant id primo ex *I. quoties*, ff. de usufr. ubi si duobus usus-fructus legatus fuerit ita, ut alternis annis utantur fruantur, primo loco positus prius usumfructum accipit, deinde alter. Ita quoque in *I. gen. raliter*, §.quis ergo, ff. de fileicomm. libertatib. si plures legatus servos sit rogatus manumittere, & ad quorundam premium sufficiat id, quod relictum est, ad omnium vero non sufficiat, ii sunt manumittendi, qui priores in ordine scripturæ sunt. Concordat Jus canonicum; nam in rescriptis primo nominatus ceteris præfertur, cap. auctoritate, de coactione præbenda in 6. idemque colligitur ex cap. pen. de elect. in 6.

Probatur II. ratione, quia cum ordo scripturæ ad negligentiam scribentis referri non debeat, consequens est, ut primo nominatus, censetur primo invitatus. Unde eadem gratia pluribus concessa, primo loco positus est præ ceteris providendus, ut citati DD. referunt. Hinc est, quod cum Urbanus V.S. Pontifex unum ex Fratribus Minoribus ad Cardinalatum vellet promovere, Fratres, qui jussi erant tres ex suo cœtu nominare, ut ipse ex his, qui sibi præstantior videretur, eligeret, ne alicui præjudicium ex ordine scripturæ inferrent, nomina trium Fratrum in orbem descriptere. Videntur imitati oraculum Apollonis; nam sciscitanti, quis septem Sapientum primus esset, Apollo jussit, ut in pila nomina eorum incidenterentur. Ita nullus erit primus, nullus ultimus, Ausonius in Solone:

*Rette olim ineptum Delphicus lusit Deus
Quærentem, quisnam primus Sapientum foret:
Ut in orbe tereti numina eorum incidenteret,
Ne altimas esset, ne vel imas quispiam.*

Sed tamen ob eam rem indignatus est S. Pontifex, qui nullum ex illis elegit, & fertur dixisse, *Vos ordinem non servatis, neque ego servabo*. Itaque Generalem Franciscanæ familie, qui nominatus non erat, Cardinalem fecit, Felinus in cap. cum dilecta, num.4. de rescriptis, Collegium Patavinum loc. cit. itemque Collegium Bononiense d. cons. i. ubi num.28. ait, Collegium primo scriptum præsumi prius conditum.

Hæc tamen nihil obstant; nam locum habent, & vera sunt, quando plures conjunctim admitti non possunt; cum enim unus alterum omnino excludat, qui prius positus in scriptura est, dicitur præpositus ceteris. At secus est, cum plures simul concurrent & admitti possunt, saltem quilibet in parte, ut est in pluribus creditoribus ejusdem debitoris, qui per concursum admitti possunt æqualiter, decidendo unoquoque a parte sui crediti, ut nullus eorum excludatur.

Quod probatur, quia quæ in eodem instrumento scribuntur, fieri dicuntur in continenti, & uno contextu, seu simul, Gl. in *I. in operis*, ff. locati, Baldus in *I. i. ad finem*, *C. de operis libertorum*, & in *I. petens*, num.49.

num.49. C. de pannis. Sed in his, quæ simul fiunt, nullus datur ordo temporis, hoc est, neque prius, neque posterius, *Idemque, ff. qui posterior. in pign.* ubi si duorum pupillorum nummis res fuerit comparata, ambo in pignus concurrent pro his portionibus, quæ in rei pretium fuerint expensæ: nempe quia simul utriusque pupilli pecunia fuit soluta, nequit unus alteri præferri, etiamsi singas prius unus pupilli, quam alterius, nummos solutos, aut adnumeratos venditori. Idemque patet ex *I.ex scđo, §.si quis autem, ff.ad Trebell.* ibique Ripa *num.7. Cancer.7.viar.n.302.* Ergo neque hic ordo temporis locum habere debet, sed omnes simul creditores admittentur, quamvis unus post alterum in eodem instrumento vel idiochiro scripti.

Facit etiam, quod Tabelliones, cum contrahentium voluntatem in scripturam redigunt, in digerendis creditorum nominibus, non sequuntur, nisi suum arbitrium, & ut casus fert: aut solum ex dignitate unius præ alio moventur, ut antea illum, deinde hunc scribant; quocirca injustum erit, ut postea ex hoc scripturæ ordine unus alteri præferatur: contra, æquum est, ut Jus æque omnibus quæsitum dicatur. Ita Jason in *I.si ita scriptum, num.8. & I. ff.de leg.1.* Surdus post alias *conf.2 i. num.9. & dec.3 22. num.65.*

Sunt tamen qui distinguant duos casus. Prior est, si eadem oratione, seu unica verborum conceptione, fuerit creditoribus omnibus hypotheca concessa, veluti, Titio & Cajo bona mea pignori subjicio, & omnes ipsi simul concurrent. Alter est, si in diversis orationibus eadem res prius uni obligetur, tum alteri, & eo casu non videntur ambo simul admitti debere. Utrumque probant ex *I.si fundus, §.si dñs, ff.de pignor.* ubi hæc habentur: *Si duo pariter de hypotheca paciscantur, in quantum quisque obligatam hypothecam habeat, utrum pro quantitate debiti, an pro partibus dimidiis queritur.* Et magis est, ut pro quantitate debiti pignus habeant obligatum. Deinde in quantum ad actionem agitur his verbis: *Sed si simul illi, & illi, si hoc actum est, uterque recte in solidum ager: si minus, ager unusquisque pro parte.* Ita Bartolus ibidem, & Bald. Negus. *par.5.memb.2. num.31. & 45.Pacificus de Salv. inspect.3.cap.2. num.439. cum seq.*

Sed si recte attendamus, Martianus in *d. §.si duo*, sermonem non habet de pignore, quod prius, aut posterius sit, sed tantum de actione, quæ vel pro solo, vel pro parte competit. Immo ex eo textu eligi argumentum potest pro ea sententia, quam supra posuimus, ut scilicet semper simul concurrent; si enim Martianus ait, hypotheca duobus constituta, rem esse cuique eorum obligatam pro quantitate crediti, consequens fit, ut nullus ipsorum possit eam rem totam sibi capere, & alterum excludere; propterea semper simul concurrent. Itaque textus posset contra Bartolum retorqueri, tantum abest, ut ei faveat. In ultimis verbis legis etiam Bartolus deceptus est, qui non animum advertit ad

illa; Si hoc actum est; quorum sensus est, ut tunc hypothecariorum creditorum, qui simul constituti sunt, possint agere in solidum, cum id actum est, hoc est, ita convenerunt, ita pacti sunt: quod si nihil de hac re expresse dictum sit, tum aget unusquisque pro parte. Ergo non distinguit Martianus illos casus, quos Bartolus fngit, utrum sit in eadem oratione hypotheca duobus constituta, an in diversa; qui quidem omnes semper simul hypothecam acquisivisse dicentur, cum in eo instrumento illis concessa est, ut jam probavimus. Sed distinguit solum, ut aliud sit, si expresse de actione in solidum pacti sint, aliud, si nihil de eo expresserint; ponit tamen in utroque casu eis simul hypothecam constitutam, illis verbis, sed si simili illi, & illi, hoc est, hypothecam uno eodemque instrumento sibi quæsiverint, vel qua alia scriptura.

Illud tamen verum videri potest, si partes & capitula instrumenti sint diversa, separata, & distincta, creditores debere admitti eo ordine, quo scripti sunt; cum tot videantur esse contractus, quot pacta & promissiones sunt: adeoque per prius & posterius ratione temporis, quamvis momentanei, Lazarus tract. de momento, cap. 17. a num. 10.

De hypothecis, quarum quæ prior sit, non appareat.

Q U E S T I O N E IV.

Cum duo hypothecarii creditores concurrunt, qui instrumenta eodem die conscripta ostendunt, ut non constet quidnam ex ipsis prior sit, quisve posterior, quæsitum est, quisnam admitti prius debeatur? Et sane non levis in Jure nostro dubitatio est, cum de persona non constat, scilicet si plures personæ sint, quarum quæ præferenda sit, ignoramus, quidnam eo casu agendum sit. Placet tamen opinio Accursii, l. qui duos, v. superstes, ff. de reb. dubiis, qui regulam esse ait, ut omnes excludantur; & probatur ex eo, quod si duo sint Titii, nec appareat, de quo in tutela danda testator senserit, neuter tutor erit, quia non Jus deficit, sed probatio, ut ait Paulus in l. duo sunt, ff. de testamentar. testula: ita etiam, quoties non appareat, quis heres institutus sit, institutione non valet, l. in tempus, §. quoties, ff. de hered. instit. ita etiam est in legislatibus, libertatibus, rebusque aliis, l. si fuerit, ff. de reb. dubiis.

Objicies, quod dicitur in d. l. qui duos, ff. de reb. dubiis, ubi pater, qui duos impuberis filios habebat, ei, qui supremus moreretur, Titium substituit: accedit, ut duo impuberis simul in navi perierint, & ait Tophoninus, substitutum utrique heredem esse. Sed respondeatur, hunc esse specialem casum speciali ratione firmatum, propterea quod supremus non solum ex comparatione dicitur, sed etiam absolute, cum supremus

etiam de uno dicatur; nam & qui unicum filium habet, si supremo morienti substituat, valet substitutio. Ita ibidem Triphoninus, qui & il- lud addit, eodem modo proximum de uno recte dici, ut proximus agnatus intelligatur etiam, qui solus est, qui neminem antecedit. Et Antonius Faber in *conf. 1. pro Ducatu Mantua, in præfatione*, docet, primum apud Jurisconsultos etiam de eo, qui unicus sit, recte dici, & cum capitulo librorum Feudalium unica sub quoque titulo sint, a DD. passim prima capitula appellantur, & citantur. Quod factum est ex speciali quādam legum consuetudine, cum alioqui primus sit, qui alium ante se non habet, sed alium post se habet, & e contrario supremus, seu ultimus vocetur, qui alium ante se habet, sed nullus cum sequitur, ut Aristoteles in *arte poetica* docet. Itaque in casu proposito cum duo impuberes filii simul periisse proponantur, ut ambo ultimi, & supremi videri possint, factum inde est ex speciali, ut dicebamus, ratione, ut substitutus in utriusque successionem admitteretur. Quare hic casus erit exceptio regulæ illius, quæ ait, neutrum admitti, cum dubium est, uter debeat admitti, ut Accurs. ibi docet, licet rationem specialitatis non sit asequutus.

Quod diximus, cum de persona dubium est, id ipsum intelligas, quoties dubium est de re, cum eadem ratio videatur. Hinc si duo proponerentur testamenta eodem die condita, ut utrum prius sit non appareat, docet Julius Pacius in *q. s. t. Instit. quibus modis testamenta infirmantur*, neutrum valere. Quare in questione nostra dici posset, neutrum quoque ex creditoribus hypothecariis esse admittendum, cum eodem die constituti sunt, nec constat uter utro prior sit. Communis tamen opinio contrarium docet, ambos simul admitti, cum ob incertitudinem unus alterum non possit expellere, Negus. par. 5. memb. 2. num. 31. Angel. conf. 208. sub num. 2. Franch. dec. 260. num. 4. Costa de rata persione q. 119. Pacificus de Salv. in sp. 3. cap. 2. num. 432.

Exciplunt tamen ab hac regula nonnullos casus. I. cum alter ex creditoribus ejusdem diei, aliquo privilegio fruatur, quia ob favorem prior tempore presumitur, veluti est causa dotis; nam in ambiguis pro dotibus respondere melius est, I. in ambiguis, ff. de Jure dotium, I. in ambiguis de reg. Juxris; quod tamen Ruinus in I. 1. n. 1. 3 ff. sol. marim. verum esse putat, cum mulier pro dote expressam hypothecam habet, secus si tacitam, ne scilicet duo simul privilegia concurrant, unum presumunt anterioritatē, alterum hypothecæ. Sed recte Barbosa ibidem par. 2. n. m. 2. respondet, duo privilegia, seu specialia, quæ e diversis fontibus emanant, posse simul cumulari, I. si is qui, ff. de Jure fisci, ubi fiscus & privilegium tacitæ hypothecæ, & simul prælationem habet in rebus postea acquisitis per debitorem, I. a. C. in quibus causis pignus. Cum ergo in specie nostra privilegia dotis, unum ex præsumtione temporis descendat, alterum ex fictione legis, ut est ipsa tacita hypotheca, inde fit, ut simul esse possint,

ut

ut etiam habet Bald. Novell. *de dote par.9. priv.1. num.3.*

Quod dictum est de dote , procedit etiam in causa pia , vel libertatis , nempe , ut præsumatur anterior , *Tiraquellus de pia causa, priv.35.* etiam in causa fisci , *Mantica de tacit. lib.11. tit.29. num.24.*

II. Cum unus est creditor majoris summæ , habet hoc ut ejus instrumentum præsumatur prius conditum , quam alterum summæ minoris . Ita Gaius *de credito , cap.4. num.1848.* & probat ex *I.majorem , ff.de pactis,* ubi melior inter creditores est conditio ejus ; qui est majoris summæ creditor : quocirca si ex duobus creditoribus , unus velit debitori communi dilationem impertiri , alter eandem deneget , Prætor sequitur aucto- ritatem ejus , qui majoris summæ creditor est , ut etiam dicitur in *I. fin. C.quis bonis cedere possunt.*

Hæc tamen nihil urgent ; non enim Jura , quæ loquuntur de dilata-
tione debtoribus concedenda , possunt aptari ad prælationem creditorum ,
ubi longe majus præjudicium versatur : aliter multa sequentur absurdia ,
veluti si creditores , qui de danda dilatione dissentiant , sint in numero ,
& in quantitate crediti æquales , auctoritatem ejus sequitur Prætor ,
qui dignitate inter eos præcellit , *d.l.majorem:* at non propterea dicendum
est , idem locum habere in creditorum concurso , qui habent hypothecas
eodem die sibi constitutas . Rectius ergo sensit Merlinus *lib.3. tit.1.*
qu.10. cum docet , omnes creditores istos æqualiter , seu simul admitti .

III. Excipiunt , quando unum ex instrumentis habet horam appo-
sitam , ex quo volunt censeri prius conditum alio instrumento ejusdem
diei , quod tamen horam non habet : idque verum esse docent , etiam si
hora instrumenti expressa sit ultima diei , cum unum instrumentum po-
tuerit in principio ultimæ horæ finiri , deinde aliud inchoari , & perfici ;
nisi tamen alia conjectura in contrarium urgerent , arbitrio Judicis ex-
aminandæ ; veluti si alterum instrumentum , quod horam non habet ex-
pressam , ita longum sit , ut intra horæ spatiū nequiverit compleri .
Barbosa ad *d.l.i. par.2. num.11. ff. sol. matrim.* contra Ripam in eadem
l.i. num.8. Idem Barbosa post alios tuetur horæ expressionem valere
etiam adversus causam privilegio gaudentem , ut voluit etiam Cassadorus
dec.20. ad finem de præbendis. Hæc tamen omnia magis auctoritate Do-
ctorum , quam aut ratione , aut lege invaluerunt .

IV. Si ex his creditoribus , qui pares in tempore sunt , unus possi-
deret , is alteri deberet præferri , ex regula , quod in pari causa melior
est conditio possidentis , qui videtur de damno vitando agere , *cap. in*
pari , de reg.Jur. in 6. Alexand. conf.85. num.18. lib.5. Quod tamen non
procedit , cum alter creditor , qui non possidet , est privilegio dignatus
a lege ; nam pro causa liberali judicatur etiam contra possidentem , *cap.*
ex literis . 3. de probationib. & si pars judicum decernat pro testamento ,
pars alia æqualis pro querela inofficiose , statuitur pro testamento , etiam
contra possessorem , *l.si pars , ff.de inoff.testam.* & in causa matrimoniali ,

*can si quis acceperit 33. qu.3. quibus additur dos in cap. ult. de sententia,
& de re judic. Unde versus apud Gloss. in d. cap. ex literis :*

*Stat testamentum, libertas, conjugium, dos,
Si sunt aequalis, qui producuntur utrinque.*

Hinc in l.l. C. de Jure fisci lib. 10. filius, et si possessor bonorum patris; opus habet, ut probet ea bona sibi a patre donata, antequam cum fisco contraheret, si fiscum excludere velit: quocirca in dubio fiscus, & creditor quilibet privilegiatus, praferetur etiam possessori, quidquid in contrarium senserit Merenda contr. cap. 26.

Ultimo, si haec instrumenta sint eodem die ab eodem Tabellione confecta, deberet ordo, quem in protocollo tenet, vel certe in filo, observari, ut quod præcedit, censeatur prius conditum, Lazarus de momesso, cap. 18.

Quando hypotheca generalis præferatur speciali, aut contra.

Q U A S T R I O V.

Plures sunt casus, qui hic distingui debent. Primus est, cum creditor anterior habet in omnibus bonis generalem hypothecam, posterior tantum specialem super certa re; & anterior huic omnino præfereatur, scilicet etiam in re posteriori specialiter obligata, ex regula, quod creditoris arbitrio permittitur, ex pignoribus sibi obligatis, quibus velit distractis, ad suum commodum pervenire, l. creditoris, ff. de distr. pign. Et clare patet ex l. qui generaliter, ff. qui potiores in pign. illis verbis: *Qui generaliter bona debitoris pignori accepit, eo potior est, cui postea prædium ex his bonis pignori datur, quamvis ex ceteris pecunium suam redigere possit.* Concordat textus in l. ff. generaliter, C. ead. tit. Excipe si anteriori creditori ita res generatim sint obligatae, ut conventum etiam fit, ne certa quædam bona illi hypothecata intelligantur, nisi in subsidium, hoc est, si pecunia ex reliquis bonis redigi non possit; tunc enim in his bonis melior erit causa posterioris creditoris, cui speciatim obligata fuerunt, quoties anterior in aliis potest sibi facere satis, ut in d. l. qui generaliter in fine, & notat ibidem Bald. in 1. lectura, Myus. obf. 94. Covar. 3. variar. 18.

Secundus est, cum debitor primo creditori obligat speciatim prædium, tum generatim omnia bona: at secundo creditori oppignerat bona vel in specie, aut etiam in genere. Tunc major est difficultas; nihilominus quamvis nonnulli ex d. l. generaliter, & d. l. creditoris, idem esse doceant, quod in primo casu; tamen verius est, priorem creditorem non habere electionem, sed teneri, cum potest, sibi facere satis ex bonis sibi specialiter obligatis. Ita patet ex l. 2. C. de pign. ibi: *Quamvis constet specialiter*

qne.

quædam, & universa bona generaliter adversarium tuum pignori accepisti, a quaque Jus in omnibus habere; iurisdictio tamen temperanda est; ideoque si certum est posse cum bis, quæ nominatim ei pignori obligata sunt, universua redigere debitum, ea, que postea ex eisdem bonis pignori accepisti, interim tibi non auferri Praes Provinciae jubebit. Ex quibus tamen verbis apparet, distingui inter rigorem & æquitatem; nam cum dicatur, priorem creditorem æquale Jus in omnibus habere, utique electionem habere deberet; tamen ex æquitate adstringitur experiri super rebus specialiter obligatis, cum subjiciatur, Jurisdictionem Praesidis temperandam esse, Romanus conf. 187. Surd. dec. 44. Franch. dec. 5. Idque verum est non modo de re ipsa, sed de fructibus, qui ex ea re extant; nam & ipsi hypotheca comprehensi censentur, sequunturque naturam rei principalis, ut advertit Costa de remediis sub fid. remed. 11. n. 6. Præterea hæc æquitatis ratio viget etiam, si generalis hypotheca præcedat, & specialis subsequatur, Salyc. in d.l.2. num. 4. Myns. loc. cit. & alii communiter.

Excipe, cum creditor, qui specialem, & generalem habet hypothecam, non concurrit cum alio creditore, sed ipse solus agit, tunc ei electio non denegatur, cum amplius locum non habeat æquitas, d. l.2. Surd. loc. cit. sub num. 14.

Quæstio tamen est de dote, quæ sit anterior, & pro ea hypotheca specialis simul & generalis sit constituta; ambigitur enim, an hoc casu locus sit æquitati d.l.2. Et communiter affirmant, primo quia in hac re nullum reperitur speciale privilegium pro dote in toto Juris corpore expressum: quocirca ipsa etiam dos erit comprehensa sub generalitate d.l.2. Deinde, quia ea æquitate servata nullum oritur præjudicium contra dotem, late Surd. conf. 495. lib. 4. Gabriel conf. 41. num. 5. lib. 2. Covarr. loc. cit.

Repugnat tamen Merlinus lib. 4. tit. 1. q. 21. a num. 36. quæ opinio verior est. Nam dispositio legis 2. nititur, ut diximus, in æquitate: sed æquitas non habet locum, quoties agitur de præjudicio dotis, ob cuius favorem lex multa induxit, quæ videri possent aliunde iniqua, nisi ad effet Reipublicæ favor, cui expedit dotes mulieribus conservari, l.1. ff. sol. matrimon. ut est privilegium, ut præferatur creditoribus anterioribus etiam expressam hypothecam habentibus ex l'affiduis, ff. qui pot. in pign. Ergo æquitas legis 2. non habet locum in præjudicium dotis. Quod autem adsit hoc casu præjudicium, probatur, quia cum creditor tenetur sibi facere satis super re specialiter obligata, itaut si ex ea tota pecunia redigi non possit, tunc demum possit ad generalem hypothecam se convertere, utique eo casu creditor assumit sibi obligationem excutiendi pignus ipsum speciale: quæ obligatio non potest sine dispendiis, temporis mora, & molestiis expediri, ut recte monet Corneus conf. 246. lib. 1. Quæ omnia vergunt in præjudicium dotis, & propterea contra eam non habet locum æquitas, de qua agimus. Hinc facile resolvuntur argumenta Adversariorum, ut patet.

Illud hic notandum est , quod si in obligatione primi creditoris ad. est clausula constituti & precarii , non opus habet ipse creditor excute. re speciale pignus , sed potest statim generali hypotheca uti , ex regu. la , quod ubi est constitutum , ibi cessat excusso , cum videatur creditor ea via sibi precavisse , & ab eo onere liberasse , Tiraquellus de *constituto*, par.1. num.44. Costa d. *remed.* 11. num.9. Præterea id ipsum est , quoties apposita sunt verba illa , *Itant specialitas non deroget generalitati* , & contra , Franch. d. dec.5. Puteus dec.38. par.1. Tandem id etiam pro. cedit , cum adest clausula Cameralis , cuius virtus est , ut procedatur ordi. ne non servato , & ut omissa una via , possit alia iniri , & rursus rediri ad semel dimissam , Paris. cons. 103. sam.3. lib.3. Castill. dec.98. num.3. Gratian. cap.36. num.7. & ita in Curia Romana servari refert Zachias ad Gales. q.11. n.3.

De ortu hypothecæ ad prælationem obtinendam.

Q U A S T I O V I .

ET primo dicamus de debito conditionali contracto sub pignore , vel hypotheca , quo casu cum dies purificatus , vel conditio retrotrahatur ad tempus initii contractus , hypotheca etiam eo tempore orta dicetur : id ipsum est de die incerto , qui conditionem facit . Secus vero si dies fuerit certa ; tunc enim diei tempus esset attendendum , cum in die certo nulla fiat retrotractio , DD.in §.beres & pure, Instit.de heredib.instit. Idque patet ex l.1. ff. qui potior.in pignor. ubi Pap. hanc speciem proponit. Quispiam dotem pro muliere promiterat , pignusque a marito , sive hypothecam de restituenda sibi dote accepit , soluto matrimonio , hoc est , sub die incerta. Dos vero hæc pro parte tum soluta fuit a promissore , interimque maritus eam rem alteri pure pignori dedit ; mox residue quantitatis numeratio impleta est . Quærit Jurisconsultus , quis eorum sit in hypotheca potior , & respondet dotis repetendæ creditorem præferri , licet ea hypotheca in diem incertum sit . Et regulam addit : *Non utique solutionum observan. da sunt tempora , sed dies contractæ obligationis* ; ideo scilicet , quia dies incertus retrotrahitur ad tempus initæ obligationis , ut diximus , cum pro conditione habeatur . Loquitur tandem Papinianus de contractu sub die certo celebrato , aitque tum e diverso præferri eum , qui pure ante diei adventum hypothecam super eadem re acquisivit : *Alia causa* , inquit , est ejus , qui pignus accepit ad eam summam , quam intra diem certum numera. set : ac forte prius quam numerasset , alii res pignori data . est . Quamvis autem id Papinianus statuat in dote , non tamen ex ullo dotis privilegio dependet , sed ex Jure communi , ut ex dictis rationibus patet , & notat Costa de retrotr. cap.8. num.31. Capyc. dec.182. num.17.

Pro-

Probatur etiam & clariss ex *I. potior, §. videamus, ff. cit. tit.* Nam si sub conditione stipulatione facta, hypotheca data sit; qua pendente alius credit pure, & accepit eandem hypothecam: tum deinde prioris stipulationis extitit condicō. Ait Cajus potiorem esse, qui primo credit: *Cum enī semel condicō extitit, perinde habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposta est, sine conditione facta esset, ut verba legis sunt.* Ex quibus apparet, quod dicebamus, dispositionem d. l. i. non pende-re ex ullo dotis privilegio, sed ex regulis Juris communis. Idem habetur ex *I. sub conditione, ff. de solutionibus, & ex I. filiis fam. in princ. ff. de verb. oblig.*

Hæc tamen non sine distinctione intelligenda sunt; procedunt enim, quoties condicō est casualis vel mixta, cum aliud sit de conditione potestatativa, non omni, sed illa tantum, quæ invito debitore impleti non potest, Africanus in *I. qui balneum, ff. qui pot. in pign.* ubi ait: *Eiam sub conditione creditor m tuendum putabam adversus eum, cui postea postquam deberi cœpisset, si modo non ea condicō esset, quæ invito debitore impleti non posset.* Exemplum est, cum a debitore dicitur, Si mihi numerata pecunia fuerit; nemo enim invitus cogitur pecuniam accipere, d. *I. potior.* Et recte notant DD. hic Jurisconsultum non loqui de potestatativa conditione quacunque; hæc enim suggestente æquitate etiam retrotrahitur, ut casualis, & mixta, *Mantica de tacit. lib. 14. tit. 46. n. 16.* sed de ea, quæ dependet a voluntate debitoris: quando enim pendet a potestate solius creditoris, judicatur potius casualis, & sit locus retrotractioni, veluti esset in pacto redimendi, quod solet conferri in solius venditoris arbitrium, *Grat. cap. 730. n. 31. Gayllus. 2. obs. 2.* Ratio est, quia in vere potestatativa deficit æquitatis ratio, quæ in retrotractione necessaria est, ne scilicet sit in potestate debitoris factō & voluntate sua alteri prejudicium inferre, *Bald. in d. J. 1. ff. sol. matrim. Mangilius de evit. q. 36. num. 8. Menoch. cons. 388. num. 34. & cons. 851. num. 38.*

Hinc etiam est, quod si in potestate debitoris est recedere a contractu, vel aliquo modo se liberare, tunc attenditur tempus impleti contractus, ut est species textus in *I. Titius, ff. quæ res pign.* ubi qui mutuam pecuniam accipere ab alio vellet, cavit ei, & quasdam res hypothecæ nomine dare destinavit; deinde postquam ex his rebus quasdam vendidisset, accepit pecuniam; respondet Paulus, primum illum creditorem non præferri, quia ait, *Eo tempore pignoris obligationem contractam videti, quo pecunia numerata est.* Nempe in potestate debitoris erat recedere a primo contractu, & non accipere mutuam pecuniam, cum mutuum non plene obliget, nisi pecunia jam numerata; est enim contractus, qui re perficitur: quocirca idem erit de reliquis contractibus cunctis, qui ex parte debitoris resolvi possunt, & sunt imperfecti. At e contrario, si contractus invito creditore solvi non potest, præfertur prior creditor, ut expresse habetur in *d. I. qui balneum;* nam quis balneum ex calendis

pro-

proximis conduxerat, hoc est, calendis Juliis, quo die solitum erat Romanis migrare, ut notat Ant. Aug. 4. emend. 14. & pactus erat, ut servus Eros pignori locatori esset, donec mercedes solverentur: idemque ante dictas calendas Julias eundem Erotem alii ob pecuniam creditam pignori dedit; & deciditur adversus hunc secundum creditorem potenter Erotem, locatorem a Prætore tueri debere; quia, inquit Africanus, ab initio in ea causa Eros fuit, ut invito locatore Jus pignoris in eo solvi non posset: quippe locatio solo consensu perficitur. Ita post Gl. in d.l. T. titius, distinguunt cum aliis Barb. in l. i. par. 5. num. 32. ff. fol. matr. Negul. par. 5. memb. 1. num. 15.

Dicamus secundo de legatis sub conditione relictis, & queritur, si interim heres alteri pure bona hereditaria hypothecet, quis eorum præferatur? Et posteriorem creditorem præferri singulariter docent Bald. Novell. de dote, par. 10. in fine, n. 40. & seq. Negul. loc. cit. n. 20. qui ut id probent, multa adducunt.

Primo ajunt, in ultimis voluntatibus non esse locum retroactioni, quod demonstrare nituntur ex l. si filius f. ff. de verb. obl. ubi dicitur, *In stipulationibus id tempus spectamus, quo contrabitur*: quare aliud est in ultimis voluntatibus. Quæ tamen falsissima sunt; non enim ex eo, quod textus ibi tantum meminit de stipulationibus, ideo excludit ultimas voluntatos: alioqui dicendum erit, nec etiam in contractibus locum retroactionem habere, una excepta stipulatione, cum de ea tantum loquatur Paulus ibidem. Porro in legatis retroactionem admitti, patet ex d.l. qui balneum, §. sed et si heres, ubi idipsum esse dicitur, cum heres ob legata conditionalia, pignori res suas subjicit. Patet etiam de ultimis voluntatibus ex §. heres & pare, *Institution. de heredib. inst.* nam ideo heres sub conditione institui potest, quia fit retroactio ad diem mortis testatoris, cum alioqui non liceat aliquem pro tempore decedere intestatum, & pro tempore testatum, *Jus necessarium, ff. de reg. Juriis.*

Secundo ajunt, cum hypotheca, quæ pro legatis competit, sit tacita, esse denegandam retroactionem, ne cumuletur fictio supra fictionem. Quod nec etiam urget; nam, ut jam ante docuimus, quoties privilegia & specialia ex diversis fontibus oriuntur, possunt simul cumulari & uniiri, ut ex l. si is qui, ff. de Jure fisci, & ex l. 2. C. in quib. causis pignus, notavimus supra quæst. 4. Oriuntur porro hic specialia e diversis fontibus, quia tacita hypotheca oritur ex quocunque legato legis beneficio, at retroactio originem habet ex æquitate in legato conditionali: quare nihil vetat, ut simul esse, & concurrere possint. Et hanc opinionem sequuntur Imola, Cumanus, & Ruinus in l. i. ff. de leg. 1. Angelus in d.l. qui balneum, num. 2. Socc. conf. 269. in princ. Gabriel conf. 141. n. 8. cum seq. lib. 1. & alii communiter, apud Merlinum lib. 4. tit. 1. q. 22. n. 40. Atque haec pro angustia temporis de Pignoribus, & Hypothecis dixisse sit satis.



DOMINICI AULIS II

J. C. CLARISSIMI,

De bonis Maternis, & Materni generis,

Ad lib. VI. Codicis Tit. LIX.

C O M M E N T A R I U S :

O V U M Jus, & antiquis Jurisconsultis ignotum, hie per Imperatores traditur. Olim quippe circa peculum filiorum expeditæ quædam regulæ constitutæ erant; nam si peculum fuisset militare, id omnino filii esse dicebatur, nullumque Jus inde patri, sub cujus potestate reperiebatur, acquiri poterat. Quod quidem Jus nostris quoque temporibus incorrectum manet.

E diverso, cum peculum erat paganum, undecunque filio quæsumum, id totum patri quærebatur; cui filius, ut ajunt, mellificabat. Nihil enim Juris, nullo quidem casu, filius in eo habebat, ut porro disputabimus.

Postremum hoc varie ab Imperatoribus immutatum fuit, qui novum Jus, variis difficultatibus nexum, constituerunt. Omnium primus fuit Imperator Constantinus, qui anno Christi 316. hoc restrinxit in bonis, quæ filius ex matris successione adipisceretur: sic, ut pater in his usumfructum solummodo consequeretur, dominio filiis ipsis permisso. Idipsum ad bona materni etiani generis extenderunt Imperatores Arcadius & Honorius anno 395. (hoc est annos 79. post legem Constantini) Eadem juri Imperator Theodosius cum Valentiniano, anno 426. supposuit lucra nuptialia, nimirum ea, quæ uxor viro in potestate, vel e contrario vir uxori filiæfamilias contulisset. Donec Justinianus mirum in modum filiæfamilias favens, statuit, peculum omne paganum (dummodo non ex patris substantia) omne, inquam, sic inter patrem, filiumque divideretur, ut ille usumfructum, donec in vivis esset, haberet, iste

L

ve-

vero proprietatem , quæ mortuo demum patre , cum usufructu consolideretur . Id statutum fuit anno Christi 529. Hæc omnia patent tum ex nostro titulo , tum ex sequenti de bonis , quæ liberis .

Sed nos rem nostram agamus : & primo omnibus totius tituli veluti breviarium , seu petius capita , proponemus , cum Jacobo Gothofredo ad *Codicem Theodosianum* . I. itaque , si filii , qui ad materna bona succedunt , fuerint in potestate , sibi in eis acquirunt proprietatem , eorumque patri concessu usufructu , qui super iisdem administrationem obtinet , non tamen Jus alienandi . II. si filii fuerint emancipati , duæ omnino species iterum distinguendæ erunt ; vel enim emancipati sunt , in vivis adhuc agente matre , & pater in parte virili usumfructum consequetur : vel emancipatio matris mortem consequuta est , & eo casu pater emancipando filium dimidium usufructus amittit , ut qui in rem filii cedit , dimidium vero sibi etiam in posterum retinebit . Hæc ferre sunt , quæ in toto hoc titulo continentur , quæ a nobis late , prout res tanta poscit , discutienda sunt . Ceterum , ante quam ad rem ipsam aggrediamur , quædam pro tituli ipsis , seu rubricæ intelligentia , pro more , præmittemus .

Ad Rubricam Codicis *de bonis Maternis.*

An bonorum nomen universale
semper fit .

Q u a s t i o I.

ETI Bonorum nomen vulgo afferant ad omnia , quæ nostra sunt ; extendi ; tamen in variis , ac variis casibus id ipsum restringi volunt . Quæ omnia in examen vocare operæ pretium est .

I. Itaque in bonis nostris computantur , non solum , quæ dominii nostri sunt , sed eti bona fide a nobis possideantur , vel superficiaria sint . Ita Ulpianus in *I. bonorum* 49 ff. de verb. signif. Pro qua re in memoriam revocabimus , a Jurisconsultis duas in ædibus partes distingui , quarum altera est solum ipsum , ubi in ædificatum est : altera est opus totum , quod a solo excitatur ; id autem dicitur superficies . Quare in *I. cum qui* ff. de usucacionib. habetur , ædes duabus rebus constare , solo , & superficie : quod etiam docemus in *I. si fundum* ff. de leg. i. ubi appellatio ædificii aut superficiem significat , aut solum . Hoc autem est , si nomen superficie in genere sumatur ; nam cum sumitur in specie , ut facit Ulpianus , superficies dicuntur ædes illæ , quæ in conducto solo positæ sunt ; quo casu , cum solum sit alienum , necesse est , ut etiam ipsarum ædium proprietas aliena sit , hoc est , illius , qui dominus soli est , *I. ult. ff. de superficiebus* . Ceterum qui ædes illas posuit , dicitur in ædibus quendam veluti usumfructum , vel usum habere , & vocatur

eatur superficiarius, l.i. §.quia autem, ff.cit.tit. Aedes ergo ita positæ non duos dominos habere , ut quidam falſo dicunt, sed in duorum bonis esse videntur. Quod sint in bonis domini soli, nulli dubium esse potest, cum ipſe quoque dominus ædium sit. Poterat dubium incidere de bonis ejus, qui ſolum conduxit ; quod resolvit Ulp. in d.l.bonorum , cum dixit , superficiaria eſſe in bonis nostris , hoc eſt superficiarii . Idemque patet ex eodem Ulpiano in litem prædia , ff.fam.erſc. ubi superficiaria , non ſecus ac veſtigalia , nostri patrimonii eſſe dicit.

Hæc a quibusdam dicitur superficies urbana , eamque ipſi separant a superficie rufica , ut ſunt arbores , herbae , fructus . Talem statuunt emphyteuſim , cum ſcilicet in alieno ſolo , mihi ad recreandum confeſſo, ipſe arbores , & his ſimilia implanto . Hinc quæſtio illa diſſolvi potest , num ſcilicet emphyteuſis inter noſtra bona connumeretur ; & quamvis multi infiſcientur apud Tiraquellum in l.f. unquam , verb.burg , num.10. C.de revoc.donat. tamen pro certo habendum eſt, emphyteuſim bonis emphyteutæ accenſeri , argumento deſumto a superficie ; ita nimirum , ut emphyteuſis ſit quidem in proprietate concedentis , ſed in bonis emphyteutæ accipientis , ut docet Arias Pinellus in rubr.hoc tit. par.1. num.21. & ulterius patet ex l.i. in fine, ff.si ager veſtigalis , vel emphyteuticarius ; ubi qui fundum veſtigalem conduxit , licet dominus non efficiatur , tamen ei competit in rem actio .

II. Ita ſequitur idem Ulpianus in d.l.bonorum : Aequa bonis adnaturabitur , etiamſi quid eſt in actionibus , petitionibus , perſecutionibus ; nam hac omnia in bonis eſſe videntur . Idipſum locum habet in paenalibus ; quare ſi princeps aliquem , ademtis bonis , in Iſulam deportet , & hunc eundem deinde reſtituat ; hic adverſus tutores olim ſuos actionem non habebit , quæ ſcilicet cefſit fisco tunc , cum ipſi bona ademta fuerunt , l.f. ademtis , C.de ſententiā paſſis . Verum ſi Princeps , reſtituendo , huic bona concesſerit , etiam ipſas actiones , & debitorum obligationes concesſiſſe videtur , l.princeps , ff.de verb.signis .

Ceterum dubium eſt de actionibus , ac rebus , quæ nobis ſub conditione debentur , num ſcilicet iſtae appellatione bonorum veniant ? Ne. gat Gl. in l.non ad ea verba p̄fens , ff.de conditionib. & demonstr. itaut , cum quis omnia ſua bona donat , non ceneſatur dono dediſſe ea legata , quæ ſibi ſub conditione debentur : idem eſt , ſi bona fuerint publicata . Quæ Glosſas verba ita accepit Angelus de maleſicris , v. & ejus bona , n.12. ut etiam conditionalia , quæ ex contractu debentur , in publicationem non veniant . Quod reprobat Pinellus hic , par.1. num.3. nixus in eo ſolum , quod Doctores contrarium vulgo afferunt . Putat ergo ipſe , in publicatione bonorum non comprehendti quæ ex legato conditionali debita nobis ſunt , ſed e diverso comprehendti , quæ ex contractibus .

Sed palam Pinellus fallitur , cum in legatis , & in contractibus

conditionalibus eadem omnino ratio vigeat. Quod ut plene intelligatur, altius repetam. Olim de Jure antiquo legatum sub conditione relictum, ea conditione pendente, pleno Jure heredis erat, *I.generaliter, ff. qui & a quibus, l. non idem, ff. de recipiendis.* Hoc deinde videtur a Justiniano correctum in *l. fin. §. nemo itaque, C. communia de legatis*, ubi habet, legata omnia, sive pura, sive conditionalia, non esse heridis, sed aliena; quare eorum alienationem omnem inhibuit. Quod quia universam Jurisprudentiam everteret, placet explicatio Accursii ibi, *v. alienum est, ubi ait, legatum purum esse alienum re, sub conditione esse alienum spe.* Ac ita constitutio Justiniani facile cum Jure antiquo concordat. Itaque etsi legatarius in legato conditionali spem habeat, quia tamen spes est rei futurae, ideo legatum illud non venit, cum ipsius legatarii bona praesentia publicantur. Jam in debito conditionali creditor nihil aliud habet, nisi ipsam spem nudam; ideo eadem de causa res illa creditoris non est; nec proinde comprehendetur, cum ipsius praesentia bona fisco applicantur. Nam ubi eadem ratio vigeat, ibi idem Jus locum habet.

III. Dubitatur an in legato bonorum venalia etiam contineantur? Et tres propositiones statuenda sunt. Prima propositio. In legato bonorum cum designatione loci non veniat venalia.

Probatur ex Scævola in *l. generali, §. axori, ff. de usu fr. legato*, ubi quidam uxori usumfructum domuum, & omnium rerum, quæ in his domibus erant, legaverat, sic, ut solum argentum exciperet. Scævola tamen respondit, excipienda etiam esse quæcumque mercis causa comparata erant, etsi in his domibus servarentur. Itaque legatis rebus omnibus alicujus domus, venalia non comprehenduntur. Quare idem ac multo magis erit, si legentur bona omnia; cum nomen rei generalius sit, & latius pateat, ac ipsum bonorum nomen. Sed hic specialis casus est; ideo scilicet venalia non comprehenduntur, quia non fuit legatum simplex; sed habito respectu ad locum, ex regula Juris, qua dicitur, non censeri esse in loco ea, quæ ita ibi sunt, ut inde brevi debeat amoveri, *l. quæsum, §. prædia, ff. de leg. 3. l. ex facto, ff. de hereditib. institut.* Hinc est, quod Glin d. §. axori, *v. mercis causa*, id, quod Jurisconsultus tradit de venalibus, extendat etiam ad ea, quæ pro temporé ibi sunt, hoc est, ut nec ista in legato bonorum, quæ in illis domibus erant, comprehendantur, Pinellius *loc. cit. num. 39.* Id ipsum patet ex *l. i. C. de verb. signif.* ubi Antoninus ait, prædiis instructis legatis, hoc est, cum omnibus bonis ibi contentis, non comprehendendi ea, quæ venalia sunt: item nec ea, quæ ad tempus in prædia erant translata.

Secunda propositio. Legata certa bonorum specie, etiam sine designatione loci, venalia non comprehenduntur.

Probatur ex Paulo in *l. pediculis, §. item cum quaretur, ff. de auro, & argento leg.* ubi mulier filiæ legaverat ornamentum suum omne muliebre; ait Jurisconsultus id omne muliebre legato cedere, quod usibus

testatrix deferviebat , non item , quod negotiandi causa venale habebat . Ubi complura notanda sunt ; primo a testatrice nullam loci designationem fuisse factam , & tamen non omne muliebre deberi . Secundo hic legato fuisse additam particulam universalem , omne ; nam mulier legavit ornamentum omne muliebre ; ex quo fallitur Decius *conf.381. n.5.* & alibi , qui dixit in legato quidem bonorum non venire venalia : secus *si* , addito universalis signo , fiat legatum bonorum omnium ; & sane contra Decium etiam facit , quod vulgo dicitur , indefinitum æquivalere universalis : & proinde idem est , si dicam , bona , ac omnia bona , *I. debitor, ff. de pignor.* Tertio , Paulum ex supraposita conclusione duos excipere casus ; unum , si testatrix , quæ ornamentum muliebre legavit , nullum ornamentum ad usum suum paratum habuerit , tunc ex necessitate in eo legato comprehendendi ornamentum venale : alterum , si is , qui petit , testaticem de venali etiam sensisse probare possit .

Verum recte Pinellus *num.40.* hanc Pauli dispositionem tunc locum habere docet , cum non est legatum generale bonorum , sed certa bonorum species expressa est , ut ex. gr. ornamentum muliebre , quæ longe inter se differant , ut receptum tradit Alexander in *I. si constante, num.24. ff. sol. matrimonio* ; nam verba magis generalia latius extendenda sunt , argumento textus in *I. si ita stipulatus, ff. de fidejussoribus, I. in fraudem, §. fin. ff. de militari testam.* & juvatur ex mente disponentis ; facilius enim inter bona sua computabit quis venalia , quam ubi descendit ad certam bonorum speciem , in qua venalia , & non venalia habeat .

Id ipsum est ex Ulpiano in *I. servos autem, in fine, ff. de leg. 3.* ubi qui venalitiam vitam exercet , si servos suos alicui leget , suorum numero non continentur mancipia , quæ vendere destinarat , nisi evidens voluntas fuerit etiam de his sensisse . Nam , ait Jurisconsultus , quos quis ideo comparavit , ut illico distraheret , mercis magis loco , quam suorum habuisse credendum est . Quæ Jurisconsulti ratio maxime notanda est , ait enim in legato certæ bonorum speciei , ideo venalia non contineri , quia sua non videntur .

Tertia propositio . Facto legato generali bonorum , sine ulla loci designatione , etiam venalia comprehenduntur . Quod ex dictis abunde constat . Nam primo cessat ratio , quæ viget in certorum bonorum legato . Etsi enim bona venalia mea non videantur esse , erit tamen meum pretium , quod ex ipsorum venditione exigitur : quocirca , cum legaverim omnia bona , certe intelligor legasse ipsa venalia , vel saltem ipsorum pretium ; quod hic perinde est . Secundo cessat etiam ratio , quæ locum habet in legato generali bonorum , sed cum certa loci designatione : quæ scilicet est , quia venalia , eo in loco non esse intelliguntur . Quare aliud est , cum lego omnia bona absolute ; censeor enim legasse omnia bona , ubi ubi sicut .

Quarto principaliter queritur , quid dicendum sit in contractibus ,
cum

cum scilicet quis donat, vel pignori supponit bona sua? Et non dubito, quin observanda sint illa eadem, quae de legato honorum jam differimus. Fieri, inquam, debet triplex distinctio; nam si fuerint hypothecata omnia bona, etiam venalia continentur: si omnia bona cum certa loci designatione, vel certa honorum pars, his casibus merces intelliguntur ab hypotheca exclusae.

Hinc patet, quid dicendum sit in actione Serviana; ex qua inventa illata in praedium conductum, consententur tacite pignorata domino locatori pro pensione praedii. Quoniam enim in hoc casu obligantur bona ex dispositione legis cum certa loci designatione, constat, questionem esse decidendam ex textu Scævola. In generali, §. uxori, ff. de usufr. leg. ut si in praedio bona venalia & non venalia sint, haec, non etiam illa, censeantur pignori obnoxia; si vero ibi non reperiantur, nisi venalia, tunc ex necessitate in ea hypotheca venalia veniant.

Est tamen singularis casus in locam tabernam, ff. de pignoribus, ubi Scævola ita ait: *Cum tabernam debitor creditori pignori dederit, quaestum est, utrum eo facto nibil egerit, an taberna appellatio merces, quæ in ea erant, obligata videantur?* Et respondet obligatas censi. Ratio dubitandi erat, quia debitor creditori non pignoraverat bona, quæ in taberna essent; sed tabernam ipsam: quare videbatur ea venalia sub pignus venire neutquam debere. Tamen contrarium decidit Scævola; & ratio decisionis est, quia debitor nullum Jus in taberna habebat, ut recte notat Bartolus in locum pater, §. mensa, ff. de leg. 2. Gomesius in §. item Serviana, num. 22. Inst. de actionibus: & patet ex illis Scævolæ verbis, *Quaestum est utrum eo facto nibil egerit.* Quare ne obligatio irrita sit, quia taberna in obligationem venire non potest, utope aliena, venient merces ibi retentæ, quæ sunt debitoris; maxime quia nomen taberna ad merces ibi contentas facile extenditur, & ob eas quis tabernam conductam potest suam dicere, locum tabernæ, ff. de fundo instruendo; juvatque textus in loco quod, ff. eod. Et haec est genuina illius legis expositio.

Hinc plura colliguntur. I. Cum obligatur taberna non conducta, sed quæ sit debitoris, tunc ipsa solum taberna erit in pignore, non item ea, quæ ibi mercis gratia detinentur, etiam si haec etiam debitoris sint; nam obligatio ad non expressa extendi non debet. II. Si quis non tabernam conductam obligat, sed conductam domum, eo casu non comprehendenterentur merces ibi forte repositæ; nec enim quis nomine domus comprehendit merces, quas in ea habet, argumento textus in loco qui, §. 1. ff. de auro, & arg. l. g. Atque ad eum modum docuere Albericus, Salycketus, & Cumanus in d. l. cum tabernam, quæ sequitur Pinellus hic par. 1. num. 49. Tandem colligitur, hunc Scævolæ textum male omnino ab Interpretibus adduci in casu actionis Servianæ; nam in Serviana obligantur res inventæ illatae, hic obligatur taberna ipsa. Ibi bona sunt obligantis, hic taberna est aliena:

Cum autem dicimus, res venales censi obligatas, hoc capimus non qui-

quidem in specie, ut scilicet hi fructus, hæ pecudes pignoris loco sint: aliter enim debitor, qui ea vendere destinavit, impediretur rem suam agere: sed capimus in genere, itaut illi fructus, illæ pecudes, quas creditor invenerit in taberna conventionis tempore, conseqeantur obligato; ita ex eodem Scævola ibidem.

De quibusdam patrii Juris effectibus.

Q U E S T I O N E I I .

Q uoniam in præsenti titulo agitur de modis nonnullis, quibus pater sibi per liberos acquirit: id autem a patrio Jure omnino dependet, hinc factum est, ut Interpretes in præludiis his de patria ipsa potestate sermonem instituant. Ceterum nos, alii omissis, quedam magis utilia, minusque obvia discutiemus. Hujusmodi est textus Æmiliij Macri in *l.milites agrum, §.ult. ff.de re militari;* cujus hæc sunt verba: *Desertorem, qui a patre suo faciat oblatum, in deteriorem militiam D.Pius dari jussit, ne videatur (inquit) pater ad supplicium obtulisse.* Item *Divi Verus, & Antoninus, cum, qui post quinquennium desertionis se obtulit, deportari iusserunt.* *Quod exemplum & in ceteris sequi nos debere,* Menander scripsit. Hæc Macer Jurisconsultus.

Cum ergo pena capitalis militi, qui militiam deseruit, potuisset interrogari; ea tamen immutatur, & in aliam mitiorem convertitur, si desertor hic a patre offeratur, hoc est, datur in deteriorem militiam, nimirum ex beneficiario, qui vacationem munerum militarium habebat, regrediendo transibat in munificem: munificibus enim omnia fere incumbebant militias munia. Vide Festum, & Casaubonum ad Sueton. in Augusto cap. 24. Hoc Interpretes ad omne quodcumque delictum extendunt, itaut si filium pœnae reum pater judici obtulerit, hoc ipso filius mortis pœnam evadet. Probant hoc ex illis Jurisconsulti verbis, *Quod exemplum in ceteris sequi nos debere;* quæ ita capiunt, ac si dicarent, quod in filio deserto-re statutum est, idem in ceteris omnibus locum habere, qui quidem post admissum delictum a patre offerantur, Felinus in *cap. accusati, num. 4. de accusationibus, Alciatus r. præsumt. 4.* Quamvis autem quædam credant, hoc a patre potestate pendere; tamen in contrarium DD. frequentes eunt, ut scilicet id factum sit ob paternum amorem, & charitatem sanguinis; nam Jurisconsultus ait, hoc fieri, *Ne videatur pater filium obtulisse ad supplicium.* Quare Salycetus omnium primus in *l. propter infidias, C. qui accusare non possunt,* idem esse in matre, & filio emancipato statuit.

Verum hæc somnia sunt, ut ait Jacobus Gothofr. in *d. §. ult. & merito nunquam in foro recepta.* Dicimus itaque cum Pinello hic in rubr.

par. 2.

par.2. num.35. *Æ*milium Macrum in ea lege non nisi de desertoribus sermonem habere: sic ut a duobus casibus specialibus argumentum ducat pro universali, in eodem tamen genere, ita scilicet: Quia D.Pius desertori pœnam minuit, qui fuit a patre oblatus, & DD. Fratres hoc idem fecerunt in alio, qui se ipsum obtulit; ideo, ait, in omnibus desertoribus, qui se ipsi offerant, vel a patribus offerantur, id ipsum observandum est, ut mitius puniri debeant. Et sane particula illa *In ceteris*, non ita est intelligenda, ut id procedat in ceteris omnibus delictis, ut vulgo perperam interpretantur: sed in ceteris solum desertoribus, de quibus sci-licet Jurisconsultus loquebatur, ut cuivis, qui diligentius attenderit, facile constare potest.

Est autem inter desertores, ac delinquentes alios, ita ingens discrin-men, ut ab illis ad hos nullo possit modo argumentum duci. Nam deli-cta militaria severe coercentur, ne disciplina in perniciem reipublicæ paulatim labefactetur. Id aliquot exemplis manifestum fiet. Ecce caliga-tus, qui metu hostium languorem simulavit, capitis pœnas luit, *I.mis-ne delictum*, §.exploratores, ff.eod. In pari causa est miles, qui in bello arma amisit, ut in *I.desertorem*, §.miles; adeo ut omnis segnitia, vel con-tumacia, vel desidia, graviter plectatur; nam in bello, qui rem a Duce prohibitam fecit, aut mandata non servavit, capite punitur, etiam si res bene cesserit, l.3. §.in bello. Vide Gellium lib.1: cap.13. Nil ergo mirum si aliquando leges de tanto rigore aliquid remittunt, & desertorem facti pœnitentem mitius accipiunt. Et propterea constat, id ipsum ad alia delicta extra militiam commissa, trahi non posse, in quibus pœnas potius leves irrogantur, quam severæ.

Ulterius, hinc lata fraudibus via aperiretur, si quis delicto admis-so, se ipsum offerendo, vel patiendo se a patre offerri, pœnam a Jure sta-tutam posset eludere. Hæc autem pœnas elusio permittenda non est, Ut pianus in *I.si quis forte*, ff.de pœnis; nam pœnas ob maleficia solvi, ma-gna ratio suadet, hoc est publica utilitas, *I.si a reo*, §.illud quod, ff.de fidejussionibus.

Num bona adventitia extiterint ante Constantinum Magnum.

Q U A S T I O III.

Maxime utilis hæc quæstio est; cum ex ipsius dissolutione multa-rum legum, quæ in Pandectis leguntur, vera & germana inter-pretatio pendeat, ut in decursu patebit. Communis hac in re opinio est, ante Constantimum filiifamilias duplex tantum peculum extitisse: unum militare, quod ex integro filii erat; alterum paganicum, seu pro-fectitium,

fectitum; quod undecunque quesitum, patris erat, sic ut filius nihil in eo Juris haberet. Probant hoc, quia Constantinus Magnus omnium primus bona adventitia invexit in l.i. C.boc sit. statuens, in bonis filio perversis ex matris successione, patri non acquiri, nisi usumfructum, salva filiofamilias proprietate: quod Jus dein per sequentes Imperatores latius extensum est. Ita sane in ea lege, vers. res qua, notat Accursius. Constat autem, Imperatorem Constantimum, & legem illam, qua lata est anno Christi 316. fuisse multo recentiores, ac Jurisconsulti, ex quorum scriptis leges Digestorum compilatae sunt; quare Jure Digestorum nulla adventitia bona fuere cognita.

Id ego omnino verum puto. Sed displicuit Antonio Fabro 7. cons. iest. 11. num. 6. qui falsum esse putat, Jure veteri semper & omni casu filiumfamilias patri acquirere, cum ipse acquisitionis capax fuerit, volente tamen patre. Elicit hoc ex Ulpiano in l.cogi, §. si pater filio, ff.ad Trebell. ubi pater, qui Jussu Praetoris filiofamilias hereditatem ex fideicommissio restituit, in iis bonis, nonnisi usumfructum habet.

Ceterum haec expositio substineri non potest. Quod ut pateat, verba Ulpiani in ea lege proponamus. Haec autem sunt: *Si pater filio, quem in potestate habet, restituere rogetur hereditatem, an filius patrem suum, si suspectam dicat hereditatem, regare possit?* Et non est dubium, patrem a filio per Praetorem cogi posse. Hactenus Jurisconsultus; ubi videre licet, patrem hic restituere ex Trebelliano filiofamilias hereditatem. Sed si queras, cuinam filiusfamilias hoc fideicommissum acquirat; respondet Faber, licet hac de re nulla in ea lege mentio fiat, patere tamen filiumfamilias illud sibi acquirere; nam si non sibi, sed patri suo quereret, consequens omnino esset, patrem gravari a filio, fierique contra suam voluntatem obnoxium creditoribus hereditariis: quod est absurdum, DD. in l. si quis mibi, §. jussum, ff. de acq. hered. Atque ita onus illud, quod pater vitavit non adeundo sponte fideicommissum, jam subit ex eo, quod filius ipsius idem fideicommissum acquisivit.

Nos tamen in contrarium imus, dicendo fideicommissum eo casu restitui quidem filiofam. sed patri acquiri, ex regula, quod filius ei querat, sub cuius potestate est: nec patri inde onus ullum imponitur, ut falso credidit Faber; quandoquidem cum heres, qui adire renuit suspectam hereditatem, cogitur ad adeundum ex Senatusconsulto Trebelliano, tunc solidum fideicommissum restituit fideicommissario, cuius per consequens erunt omnia onera, & lucra, §. si quis una, & §. si quia stipulationes, institutionib. de fideicom. heredit. Eoque in nostra praesenti specie omnia hereditatis onera una cum fideicommissio transeunt in filiumfamilias, eundemque fideicommissarium. At vero bona fideicommissi, quia manere apud filium non possunt, regrediuntur ad patrem; qui poterit quidem conveniri a creditoribus hereditariis, sed non ex persona sua, ut heres, ut qui solidum restituit; sed ex persona filii, qui solidum ex Trebelliano

liano accepit. Ceterum, cum pater ex filii persona convenitur; nihil damni sentit, cum non teneatur, nisi quatenus in peculio filii est, hoc est, quatenus in fideicommisso existit: siquidem quod in rem patris verum est, id in filiisfamilias peculio esse dicitur, *l.i.s.ult. ff. de in rem verso.*

Itaque, ut concludamus, falsum omnino est, unquam de Jure veteri filiumfamilias potuisse sibi quidquam acquirere, nisi sola bona castrenia; nam cetera omnia patris erant pleno Jure. Hinc rectus multarum legum intellectus pendet.

Primo itaque colligitur, unde sit, quod donatio patria, seu quae a patre in filiumfamilias confertur, nullius momenti sit; ideo nimirum, quia haec donatio in patrem regredieretur. Quod ut plenius intelligatur, certum est, huic donationi, quin valeat, impedimento esse Jus patrum, *l. five emancipatis, §. sane, C. de donationibus;* dubium solum esse potest, ex quoniam patrie potestatis effectu hoc impedimentum descendat. Quod ut resolvatur, sciendum est, patrie olim potestatis tres omnino fuisse effectus, ut pater Jus haberet in vitam, in bona, & in voluntatem filii: ex quibus reliqui omnes innumeris patrii Juris effectus promanant, ut alibi a nobis explicatum est. Jam vero, cum hujusc donationis nullitas non dependeat ex Jure in vitam, neque ex Jure in voluntatem, uti constat; reliquum est, ut sit ex Jure in bona, & fortunas. Jus autem hoc in eo consistit, ut omnia filiusfamilias, exceptis castrenis, patri acquirat, adeo ut nec momento temporis apud filium haesisse censeatur id quod queritur, *l.i. §. i. ff. si quis a parente, l. placet, ff. de acq. hered.* Hoc Jus, licet hodie restrictum sit in quantum ad adventitia, remanet tamen integrum & illibatum in quantum ad profectitia bona, *l. ult. C. boc tit.* Hac ergo de causa, cum pater donat filiosfamilias, id quod donatur in patrem statim regreditur, ut propterea frustra donatio facta sit, tanquam si quis donaret sibi ipsi, Accursius ad *l.2. v. in postestate, C. de inoff. donationib.* Haec ratio displicuit Fabro *loc. cit.* ex eo quia putabat, filiumfamilias etiam de Jure antiquo non omnia patri, sed nonnulla etiam sibi acquirere, volente tamen patre: quod adstruebat ex *d.l.cugi, §. si pater filio, ff. ad Trebell.* Sed jam vidimus eum errore labi.

II. Colligitur interpretatio Ulpiani in *l. filiusfam. ff. de donationib.* ubi licet filiusfamilias habens a patre liberam peculii administrationem, mortis causa donare non possit: potest tamen id facere, si nominatim pater adjiceret, sic se ei concedere, ut donare quoque causa mortis possit. Ex quo textu vulgo eliciunt, filiumfamilias ex patris voluntate posse de peculio profectio mortis causa donare. Idipsum probant ex *l. tam 15. §. i. ff. de mortis causa donationib.* ubi Martianus haec habet: *Filius. familias, qui non potest facere testamentum, nec voluntate patris, tamen mortis causa donare, patre permittente, potest.* Sed valde falluntur, cum Jurisconsulti in his legibus non loquantur, nec loqui potuerint de peculio adventitio, quod per ea tempora adhuc non erat introductum:

sed

sed solum sermonem habeant de peculio profectio , & in eo dicunt , posse filium fam. ex patris voluntate mortis causa donare. Certe Ulpianus diu ante Constantium floruit sub Alexandro Severo , cuius consiliarius fuit , & scrinii magister ; Ælius vero Martianus, ut conjicitur, etiam ad ea tempora vixit .

Ceterum hic adverti potest, errare quotquot putant omnia Jurisconsultorum fragmenta , quæ in DD. leguntur, antecedere leges Principum, quæ in C. relatæ sunt : ut propterea illud promiscue Jus vetus, hoc e diverso Jus novum appellant . Errant sane , quia Jurisconsulti omnes , quorum sententiae & opiniones extant in Pandectis , sub Principibus floruerent . Eorum etas sub Adriano incipit , definit sub Severo . Ita Domitius Ulpianus vixit sub Imperatore Alessandro , qui eum suum appellat amicum in l. secundum, C. de contrab. stipul. Ita verba Antonini Pii , quæ leguntur in l. i. C. de legatis , omnibus pœne literis recitantur a Scavola in l. Cajo , §. Imperator , ff. de alim. legat. eodemque modo quamplurimas Imperatorum leges, orationes, epistolas videmus passim a Jurisconsultis in Pandectis citatas & expositas . At vero rescripta Imperatorum , quæ in Codicem relata sunt , ab Adriano etiam incipiunt , desinunt vero cum Justiniano ; ut propterea ad rectam & legitimam Juris antiqui , & novi discretionem , non esset videndum , utrum a Jurisconsultis , an ab Imperatoribus , quid conscriptum , & introductum sit , ut perperam imperiti faciunt , sequuti Bartelum in l. ult. ad finem , ff. de reg. Cat. sed omnino tenenda sit chronologia, ac sciendum , quis eorum vixerit prius , quisve posterius , ut notavit Fulgosius in l. fractus , num. 8. ff. de revisio . Alciatus 6. parerg. 14. Itaque Jus post Severi tempora conditum , novum dici posse videtur .

Ad legem I.

E X P E A N A T I O :

Tria omnino sunt admodum utilia, quæ hic Constantinus propōnit:

I. Quod filius fam. patri suo in bonis maternis acquirat . II. Patrem in bonis his administrandi Jus ac potestatem habere . III. Patri eorundem bonorum alienationem esse prohibitam . De singulis nonnulla selectiora trademus .

**Quid filius familias patri in bonis maternis
acquirat.**

P A R S I.

Quoties matri filius sive ab intestato, sive ex testamento succedit; eorum bonorum filiofamilias proprietas tantum acquiritur, sic, ut ususfructus eorundem omnino migret in patrem, sub cuius potestate est. Ita Imperator hic, initio. Hec autem acquisitionis a patria potestate dependet; ex quo olim pater non modo usumfructum in his, & reliquis filii bonis adipiscetur, sed plenum omnino dominium, *I.cum opertet, C.de bonis, qua liberis.* Hinc nonnulli explicant textum Martiani in *I.usussem. §. sed si quis, ff.de leg. i.* ubi patria potestas inestimabilis dicitur, adeo ut si quis liberos suos emancipare rogatus a testatore fuerit, non cogatur hoc facere; atque licet verum sit patriam potestatem ex hoc acquisitionis capite magni estimandam esse, tamen non punto ex hoc solum dici *inestimabilem*, sed ob alias etiam Juris effectus, quos ipsa producit, ut quod pater possit filium vendere, olim etiam morti tradere, & hujusmodi alios, ut in ea lege Albericus observat, & Pinellus hic *num. 13.*

Objiciunt quidam ex *I.nemo, §. i. ff.de reg.Juris*, ubi Ulpianus haec habet: *Locupletior non est factus, qui liberam acquisivit*; quod nonnulli probant cum Glossa ex eo quod liber, seu filius in nostris bonis non dicitur esse, *I.i. §. i. ff.de revind.* Ita Alciatus in *I.non est sine liberis, ff.de verb. signif.* Quae tamen interpretatio rejicitur, maxime quia vix est, ut nomen liberi recte positum videatur in singulari numero pro filio; et si nescius non sim legi apud Quintilianum, in *Institutionibus*, & in *I.Jus agnationis, ff.de pacis.* Quare Tiraquellus in *I.si unquam, v.suscipit liberos, num. 20 i. C.de revocand. donationibus*, quem alii sequuntur, eo loci liberi nomen pro libero homine capit. Omnino male; nam nec homo liber dicitur per se, & absolute liber, hoc est, sine fulcimine nominis substantivi, vel pronominis; tum etiam, quia Ulpianus utitur verbo, *acquisivit*, quod in homine libero locum non habet. Itaque illud reliquum est, ut in *d. §. i. legamus non liberum, sed libertum*, ut habent Pandectæ Florentinæ, atque alii etiam libri, ut ex Accurso ibidem patet; & sensus est, non dici quem locupletiorem, eo quod in libertum Jus patronatus adeptus sit. Nam locuples dicitur factus, qui bona acquirit, non etiam qui alterius generis res, ut patet ex *I.plane si filium, §. fin. ff.de leg. i. cum enim statutum esset, ut ab eo tantum fideicommitti posset, qui a testatore legatum, vel hereditatem caperet, juxta vulgatum illud, non possum onerare, quem non honoro; quæsitum est, num servus te-* flamento

stamento manumissus , hoc est , cui libertas legata sit , possit is idem si deicommisso rogari ? Et Ulpianus negat , eo quod is demum pecuniam ex causa fideicommissi præstare cogendus est , qui aliquid ejusdem generis , vel similis , ex testamento consequitur . In quo etiam textu sermo est de Jure patronatus ; nam is cui servus legatur , & rogatur ut de manu mittat , non potest fideicommissio gravari ob Jus patronatus , quod in liberato consequetur . Itaque , ut ad institutum revertamur , tenendum est patrem in bonis filii maternis sibi usumfructum querere , solum ob hoc , quod in illum patrium Jus habet . Hanc Constantini dispositionem longe , lateque produxit Justinianus in *I.cum oportet , C.de bonis , qua liberris , ubi idipsum in bonis omnibus adventitiis filii statuit .*

Verum vulgo putant hanc regulam cessare in patre furioso . Nam si filiusfamilias institutus heres sit , qui patrem furiosum habeat , tum & filius ipse adire potest , & sibi hereditatem ex tota acquiret , hoc est , etiam in quantum ad usumfructum . Ita Bartolus , Castrensi Angelus , Imola , & atii in *I.cum heres , ff.de acquir. hered.* Quod ex eo textu probant , ubi in specie proposita ex rescripto D.Pii , *Si filiusfamilias adierit , verba legis sunt , perinde babetur , ac si paterfamilias adiisset : permisit itaque ei , & servos hereditatis manumittere . Ex quibus verbis Interpretes colligunt , hunc filiumfamilias sibi hereditatem querere . I. scilicet , quia hic declaratur paterfamilias , seu perinde ac paterfamilias habetur : quare tanquam paterfamilias sibi ipsi , & non alteri queret . II. quia eidem filio Jus est manumittendi servos hereditarios , injussu patris: quod utique facere nequirit , nisi plane dominus esset . Probant hoc ipsum ratione ; nam cum eo casu onera hereditaria sint filii , & non patris , qui furiosus est , & obligari nequit , ita & lucra ipsius erunt filii .*

Sed iidem Interpretes hoc turn demum intelligunt , cum filius sponte adiit : nam si Jussu curatoris patris furiosi adiret , filius patri & onera hereditatis , & ejusdem usumfructum quereret . Quod confirmant ex *I.Antistius , §. fin. alias I.furiosus , ff. de acq. hereditate* ; cuius haec verba sunt : *Furiosus acquirere sibi commodum hereditatis ex testamento non potest : nisi necessarius patri , aut domino heres existat : per alium autem acquiri ei potest , veluti per servum , vel eum , quem in potestate habet . Qui textus quoniam contrarius videbatur d.*I.cum heres* , ideo Bartolus , & reliqui communiter , eam distinctionem commenti sunt , quam modo tradidimus : ut scilicet præsens *I.Antistius* procedat , cum pater furiosus curatorem habet , cuius Jussu filius hereditatem sibi relitam adeat ; ex quo ea patri , in quantum ad usumfructum , queritur .*

Ceterum hæc omnia commentitia sunt . Et recte olim Cumanus in *d.I.cum heres* , & Soccinus in *I.cum filio , n.14. ff.de leg. i.* opinionem hanc rejecere , affirmantes filium in adeunda hereditate patri & furioso querere . Sed quoniam iidem nihil , quod cum ipsis faciat , adducunt ; ideo

Pinellus hic par. i. a num. 36. conatus est eorum defectum implere.

I. Itaque probatur ex regula Ulpiani in *Lpatre furioso, in fine, ff. de iis, qui sui vel alieni furis*, ubi pater furiosus in omnes omnino filios Jus potestatis retinet: adeo autem retinet, ut & acquiratur illi commodum ejus, quod filius acquisivit. Hæc Ulpianus, & recte; nam ex quibus causis ignorantibus nobis actiones acquiruntur, ex iisdem etiam furioso acquiri, ait Pomponius in *L. si a furioso, ff. de rebus creditis*. Cum ergo Ulpianus indistincte loquatur, dicatque filium patri etiam furioso querere, non est cur DD. idipsum distinguant, quasi locum habeat in acquisitionibus, quæ ex contractu, vel aliis causis oriuntur, non etiam ex illis, quæ ratione institutionis & hereditatis perveniunt.

II. Pater ex *L. pen. ff. de curatoribus furioso dandis*, ubi si pater prodigus sit, curatoremque habeat, adhuc ei ex hereditate filiusfamilias acquirit: eoque emancipari oportet filium, ne ei querat. Igitur idipsum verum erit in patre furioso. Quod argumentum a majori deductum est: quia mitius agendum est cum patre, qui curatorem habet ex casu & facto infelici, quam cum eo, qui ex culpa, & prodigalitate, ut recte admonuit Glos. ad *d.L. Antifl. ad finem*, quam Baldus ibi *eurecam* appellat.

His ita positis, illud supereft, ut explicemus leges ab Adversariis contra nostram opinionem adductas, & perperam intellectas. Et primo dicamus de rescripto D.Pii in *Lcum beres, ff. de acq. hered. Sciedum* itaque, filiumfamilias, uti & servum, acquirere nobis etiam ignorantibus, & invitis, ne rerum dominium in suspenso maueat, §.item nobis, *Institutionib. per quas personas nobis acquiritur*. Excipitur tamen hereditas, quam servus, & filiusfamilias non potest adire, nec nobis acquirere, nisi nostro Jussu adeat, *L. si quis mibi, §. Jussum, ff. cit. tit. Lcum filiusf. ff. quis ordo in bonorum possessione*: nam hereditas, præter lucra, continet etiam onera, & satis injuriosum esset nobis ignorantibus, & invitis per servos, & filiosfamilias nostros onus imponi. Hinc ergo orta difficultas apud D.Pium; quippe filiusfamilias, qui patrem furiosum habebat, institutus heres, videbatur ab ipsius hereditatis acquisitione summotus; nam pater, sub cuius potestate erat, utpote furiosus, jubere aditionem nequivat. Neque hoc patris munus legitimate adimplere curator poterat, in quem scilicet Jus patris potestatis, a qua hæc Jus fio pendet, non transit. Quare in his angustiis imploratum est auxilium a D.Pio, qui rescripsit: *Si filiusfam. adierit, perinde baberi, ac si patr. erfam. adiisset*: quæ verba hoc valent, ut in eo tantum aditionis actus, qui alioqui erat filiusfamilias, haberetur tanquam paterfamilias; ad hoc scilicet, ut nec Jussu, nec inhibitione patris indigeret in hereditate adeunda. Hæc est ratio, cur hic filius pro patrefamilias censeatur. Nec propterea inde fit, filium hic plene sibi eam hereditatem adipisci, nullo in patrem translato usufructu, ut vulgo Interpretes putant; hoc quippe

pe falsum est , ut ex ipso textu aperte convincitur , cum subdit ; Divum Pium permisisse ei filiofamilias , ut servos hereditatis manumitteret , hoc est servos illos , quibus heres testatoris Jussu libertatem impertiri debet ; nam si filius omnino sibi quereret hereditatem ob furorem patris , fieretque dominus , ut putant , minus congrueret verbum illud , *Permisit* , quia dominus permissione non eget ; tum non oportebat exprimere specialem casum illum manumissionis servorum , cum domino omnia licent. Cum itaque qui unum includit , ut dicunt , cetera excludat , filius iste , cui permisum est servos hereditatis manumittere , nihil præterea , tanquam dominus , agere poterit , cetera enim erunt exclusa. Stet ergo filiumfamilias a Pio declarari patremfamilias , solum in quantum ad actum aditionis , & manumissionis , non etiam in quantum ad reliqua ; ex quo non auferetur patri furioso usufructus , qui ei in hereditate per filium adita competit . Atque hoc modo jam textus in d. l. *cum heres* , facile in gratiam redibit , ac concordabit cum textu in l. *Antistius* , §. *fin.* ubi habetur patrem furiosum posse sibi commodum hereditatis acquirere per servum , vel per eum , quem in potestate habet ; neque ibi ulla de patre jubente mentio habetur , eoque talis divinatio admittenda non est. Imo si recte attendatur , nullo colore ea communis distinctio inter illa duo Jura recipi potest ; nam si filius Jussu curatoris , qui patri furioso datum est , adeundo patri hereditatem acquirit , & non sibi ; iniquum utique esset permittere , ut filius idem sibi querat , quando pater curatorem non habet : debebat quippe D.Pius curatorem patri furioso dare , cujus Jussu filius adiret .

Hoc D.Pii privilegium filiofamilias concessum in adeunda hereditate injussu patris furiosi , non videtur posse locum habere in agnoscenda bonorum possessione , ex Marcello in l. *cum filiis fam.* ff. *quis ordo in bonorum possessione servetur* ; ubi filius , qui furente patre bonorum possessionem sibi delatam intra dies 100. a lege statutos agnoscere non potuit , sibi non præjudicat ; ea ratione , quia , inquit Jurisconsultus , etsi filius eam bonorum possessionem petiisset , tamen non ante sibi eam acquireret ; quam pater compos mentis factus , comprobasset ; nam hic ratihabitio & Jus exæquantur . Ex his satis aperte constat , filiumfamilias non posse in hoc casu uti beneficio D.Pii , & petere sibi bonorum possessionem , tanquam ipse idem paterfamilias esset ; nam Marcellus omnino exigit Jussum patris , vel certe ratihabitionem . Id autem satis mirabile , quia apud Prætorem minori loco est patria potestas , quam apud Jus civile , §. *emancipatos* , de *exhered. liber.* §. *emancipati* , de *bereditatibus* , *qua ab intestato* . Cur ergo hic Jus civile patriam potestatem in patre furioso negligit , sic ut filius possit injussu patris , sub cujus potestate est , hereditatem acquirere : & eandem Prætor tanti facit , ut neget filio bonorum possessionem adipisci , si pater in furore sit ?

Itaque pater , etiam furiosus , in bonis filii maternis ex Constantini
le-

lege sibi quærit usumfructum: quod producendum est ex Justiniano ad omnia filii bona adventitia undecumque delata, *i.e.* cum oportet, *C. de bonis qua liberis.*

De Jure administrandi, quod pater habet in bonis filiis maternis, aliisque adventitiis.

P A R S I I.

Cum pater in bonis filii maternis Jus utendi fruendi acquirit, non ab omni onere immunis abit; sed cum commodum sentiat, Jure etiam incommodum sentire debet; quare omnem debet tuendæ rei diligenter adhibere. II. quod Jure filiis debetur, id petere a debitoribus obligatur. III. sumtus ex fructibus facere. IV. item inferentibus resistere. Tandem ita omnia agere, tanquam solidum, perfectumque dominium earum rerum patri ipsi quæsitum esset, & personam gereret legitimam. Ita in nostra lege, *versus parentes.*

Ex his colligitur, usumfructum, quem pater habet in bonis filii adventitiis, longe ab omni alio simplici usufructu distare. Nam reliqui usufructuarii dicuntur habere rei custodiam, *i.e.* *§.ff. cum l. seq. ff. usufructuarius quemadmodum caret;* at vero pater hic assertur legitimus rex administrator, quin etiam omnia posse agere non secus, ac si plene dominus esset, & in *d.l. cum oportet, §.non autem,* pater plenissimam potestatem habere dicitur.

Sed hic nonnulla obiter videnda sunt de ipsa usufructus alienatione; qua in re variae sunt Jurisconsultorum opiniones. Nam et si omnes consensiant, usumfructum posse vendi, locari, donari: magna tamen difficultas est, quid his casibus in emtorem, & conductorem, & donatarium transferatur. Consensint etiam, usumfructum cedi in Jure non posse; sed quæ sit hujus dispositionis ratio, quæritur.

Itaque communis opinio docet, in venditione usufructus non censi transferri Jus ipsum usufructus in emtorem, sed tantum naturalem fructuum perceptionem, prorsus ut venditor retineat Jus, emtor colligat fructus, donec venditor, hoc est fructuarius, in vivis est. Idem intelligas de donatione, & conductione. Quod probant ex Ulpiano in *l. arborebus*, *§.2. ff. de usufr. ubi ait, usufructuarium, qui locat, uti, & qui vendit, uti, quemadmodum etiam si alii precario concedat, vel donet: Atque ideo (verba Ulpiani sunt) retinere usufructum.* Probant etiam ratione, quia usufructus, cum sit Jus personale, nequit de uno in alium transcribi, aut transferri. Ita Cujacius in *notis ad Institutione de usufr. §.ult.* Pacius *cent.5. qu.25. Gomez 2. var.15. n.17.* & alii communiter.

His

His tamen omnibus palam obstat Paulus in *l. necessario*, §. fin. ff. d.
periculo & commodo vi vend. ubi clarissimis verbis dicitur, in venditione
usufructus ipsum Jus utendi fruendi vendi. Hac lege moti Greve, Ba-
chovius, aliquique apud Joannem Verstegenum de *usufr.* ob. ult. aliter,
rem omnem explanare conati sunt, duplex in *usufructuario* Jus di-
stinguentes, quorum unum mere personale est, quod ab ipsa statim
constitutione personae perpetuo inhæret: adeo ut licet per multas manus
transeat ususfructus, tamen ubi de amittendo, vel finiendo usufructu
quæritur, persona ejus, cui primo constitutum est, spectari debeat, a
d.l. necessario, §. fin. Alterum est Jus reale consistens in *usu*, & *fruptione*
rei fructuarie, quod a fructuario abire, & in aliud transferri potest;
licet a personali illo Jure promanet, inque eo ita radices habeat, ut *necessario*
cum illo extinguitur. Cum igitur quis vendit *usumfructum*, non
hoc agere intelligitur, ut *Jus omne*, quod *habet*, animo dimittat, &
transferat in aliud: sed ut *retento Jure*, quod ex *constitutione sua* in-
hæret personæ, *Jus tantum reale percipiendorum fructuum ad aliud*
pertineat, quandiu *Jus illud mere personale in persona sua durabit*.

Verum hæc duplicitis Juris, realis, & personalis distinctio in *usu-*
fructu omnino commentitia videtur, cum nusquam in legibus nostris
hujus realis in usufructu Juris mentio extet. Quare Schiferdegherus
ad Fabrum lib. i. tract. ii. alias pro his legibus explicandis ingressus est
viam. Dicit itaque, *fructuarium*, qui vendit, & emtorem, qui emit,
ambos simul uti, sed diversa ratione. Nam qui vendit, utitur non per
sc, sed per emtorem, & emtor utitur non quidem nomine suo, sed no-
mme venditoris; itaut idem Jus personale ususfructus videatur esse in
ambobus, sed alio, atque alio modo. Idem est in *conductione*, & *donatione*:
quaer opinio vera est, atque eam probabimus simul & explicabi-
mus.

Probatur ergo ex Martiano in *l. non utitur 45. ff. de usufr.* Cujus
hæc verba sunt: Non utitur usufructarius, si nec ipse utatur, nec no-
mme ejus alius: puta qui emit, vel qui conduxit, vel cui donatum est. Ubi Martianus docet eum, qui vendit *usumfructum*, adhuc post venditionem illum retinere. Quod tamen minime verum poterat videri ex
eo, quod ille retinet *usumfructum*, qui utitur, & non utendo amittit,
ut notissimum est: ideo ait Martianus vendentem adhuc uti, licet em-
tor fructus percipiat. Cujus rei rationem affert Cajus in *l. quia 46. ff. cod.*
Quia, inquit, *qui pretio fruitur, non minus babere intelligitur, quam*
qui principaliter utitur fruitur. Unde dictum est, *premium represe-*
tare rem ipsam, l. si & rem, ff. de petit. heredit. l. sed si, cum ll. seqq. ff. de
peculio. Nec dissimilis ratio est in aliis casibus; nam cum *usumfructum*
loco, *pensionis fructum habeo*: cum dono, tum beneficii debitorem
acquiro. Ita ergo semper utimur: atque eo modo intelligendus est Ul-
pianus in d.l. arboribus, §. 2. dum ait, *venditorem adhuc uti, adeoque s.ti-*

nere usumfructum : utitur scilicet per illum , & quo utendum pretium
cepit , ut aperte dicitur in *d.l.quia* .

E diverso emtor ipse quoque fruictur , ut probatur , quia emit usumfructum , ut passim loquuntur Jurisconsulti , & habetur in §. 1. *Institutionibus* , de usu & habit. ergo emit Jus utendi fruendi : id enim est ususfructus . Scio DD. tradere ususfructus nomen esse æquivocum , & aliquando significare Jus ipsum , aliquando collectionem fructuum , quæ in facto consistit; itaut cum quis vendit usumfructum , non dicatur vendere Jus , sed ipsam naturalem fructuum perceptionem , ut post alios docent *Garcias de expensis* , cap. 10. num. 46. *Castillus de usufr.* cap 31. n. 22. Sed hæc traditio , & assertio , omnino falsa est , cum in tot titulis Digestorum , & Codicis de usufr. nunquam ne verbum quidem reperiatur , quod hanc æquivocationem doceat : quæ omnino inventa est a Doctoribus , ut præsentem difficultatem effugiant ; nam unica extat definitio ususfructus , a cuius natura si aliquando ususfructus deviat , novum nomen habet , & dicitur Quasi ususfructus : quod nomen frustra Jurisconsulti introduxissent , si ususfructus nomen non esset univocum , ut loquuntur , sed æquivocum . Stet ergo , cum leges passim dicant usumfructum vendi , de ipso Jure utendi fruendi loqui . Quæ si satis non sunt , adest Paulus in *d.l.necessario* , §. fin. ubi expresse ait , ipsum Jus utendi fruendi in venditionem venire , inque emtorem transferri . Quod tamen explicandum est ex Martiano in *d.l.non atitur* , ubi emtorem affirms uti , sed nomine alieno ; ex quo etiam nostra opinio confirmatur : nam qui alieno nomine facit , dicitur facere eodem Jure , quod ipse principalis habet : & certe si alio Jure faceret , tum suo nomine diceretur facere , non alieno . Idem dictum esto de conductore , & donatario .

Itaque in his contractibus Jus ususfructus videtur communicari inter utrumque contrahentem : multa enim , quæ simul apud duos esse nequeunt , hoc habent ut inter duos communicari possint . Exemplum afferunt DD. in dominio : quod apud duos in solidum dominos esse non potest , l. si ut certo , §. si duo bus , ff. committati ; nihilominus solet inter duos communicari , præsertim si uno modo sit in uno , atque in alio , ut inter patrem , & filiumfamilias , juxta textum in *l. in suis* , ff. de liberis , & postibum . Ita est in casu nostro , ubi Jus ususfructus diversa ratione residet apud venditorem , atque apud emtorem . Unde etiam videtur dicendum , quod quantumvis Jura personalia nequeant de una in aliam personam transcribi , & transire ; tamen possunt inter plures communicari : veluti accidit in servitibus rusticis , puta itinere , via: nam si iter pluribus concedatur , idem iter est in omnibus , utpote individuum : tamen illis omnibus erit commune . Quod verum est , etiamsi iter non prædiis , sed personis relictum aut datum sit , quo casu erit servitus personalis , non item realis , l. pen. ff. de serv. leg. Ex quibus resolvitur objectio illorum , qui dicebant , usumfructum rem anere apud solum fructuarium vendentem , quia

quia cum sit Jus personale , nequit migrare in emtorem ; licet enim hoc verum sit , si intelligatur non posse in totum discedere a vendente , non tamen inde sit , non posse etiam communicari ipsi eme frui , ut patet ex d.l. necessario , §. fin. juncto textu in d. Larboribus , §. 2. quæ leges nunquam conciliabuntur , nisi dicamus Jus ususfructus esse tam apud vendentem , ut dicit Ulpianus , quam apud emtorem , ut afferit Paulus . Et sane hanc conciliationem esse veram , patet etiam ex Martiano in cito ta l. non utitur .

Verum , quod spectat ad amissionem ususfructus , distat donatio a venditione & locatione ; quamvis enim qui usumfructum emit , non utatur , adhuc tamen venditor dicitur usumfructum retinere , cum pretio vice rei fruatur , d.l. non utitur . Quod etiam est in locatione , præsertim quia locatio & venditio iisdem legibus constant , l. 2. ff. de locati : & locatio est vice venditionis fructuum , uti explicat Antonius Faber dec. 6. err. 6. Non ita sepe res habet in donatione ; nam si fructuarius donaverit usumfructum , nequit ille aliter retinet , quam si ipse donatarius utatur , l. quod si , ff. de usufr. Cum enim ususfructus in utendo fruendo consistat , si donatarius illo non utatur , inde sit ipsum videri non agnoscere , seu recipere donationem , ut putat idem Schifordeggerus loc. cit. q. 1.

Hactenus de venditione , & similibus contractibus ; nunc de cessione dicamus . Et Justinianus in §. item finit. in Institutiorib. de usufr. ait finiri usumfructum , si domino proprietatis ab usufructuario cedatur , cedendo autem extraneo nihil agi . Sermo autem hic est non de cessione bonorum , quæ in usufructu locum habere potest , non secus ac venditio , donatio , locatio : sed de cessione in Jure , quæ est alienationis species : & hanc Justinianus in usufructu locum non habere ait . Et ratio est , quoniam qui cedit in Jure , ut Cujacius advertit , totum Jus a se abdicat , caque res addicitur ei , cui res in Jure ceditur . Quod , ut vidimus , non est in venditione , ubi ita Jus utendi fruendi in aliud transfertur , ut per venditorem ususfructus retineatur . Sed de hac re latius in Institut. tit. de usufr. actum est .

His positis , videamus magis in specie , quibus in rebus distet ususfructus , quem pater in bonis filii adventitiis habet , a communi usufructu . Et primo si pater agens coram Judice dicat in libello , se esse rei dominum , & reivindicationem proponat , libello non cadet , hoc est libellus recte erit propositus , nec propterea adversarius liberabitur ab observatione judicij ; quia tum in nostra lege , tum etiam in l. sp. portet , C. de bonis , quæ liberis , conceditur patri plenissimum Jus ad agendum , non secus ac si ipse rei dominus esset . Quod verum est , non modo si se dominum ususfructus dicat , sed etiamsi se rei ipsius dominum afferat , Crotus in l. nunciatio , num. 9. ff. de novi operis nunciati . Rubeus in l. nos solum , §. morte , num. 12. ff. cit. tit. Id autem secus est in aliis fructuariis , qui si se dominos rei dicant , libello cadent , cum ususfructus sit in re

aliena ; licet aliud Juris sit , si se simpliciter dominos vocent : nam vere fructuarius & dominus ususfructus , & in ipso reivindicationem habet ; *toto tit. ff. si servitus vindicetur*. Neque enim videtur recipiendus Capricius dec. 96. qui ait usufructario non competere in usufructu actionem reivindicationis , sed solum confessoriam , deceptus ex eo , quod putet in rebus incorporalibus , uti est ususfructus , non dari dominium , sed quasi dominium : quam opinionem rejecimus in *Institutionib. tit. de acquir. rer. dominio* , ubi demonstratum est , hujus quasi dominii nullam mentionem in Jure nostro extare , & possessores rerum incorporalium esse eorundem veros dominos , ut patet tum ex cit. tit. *si servitus vindicetur* , tum etiam ex tit. *si ususfruct. petat*. nam ad verum rei dominium non exigitur , nisi Ius perfecte disponendi de re secundum suam naturam ; quod utique potest fructuarius in usufructu , ut ex iam dictis constat , ubi probavimus usumfructum posse vendi , donari , locari a fructuario . Licet autem nequeat cedi , id tamen provenit ex natura ususfructus , qui nequit ab uno in totum discedere , & in alium migrare , sicuti expositum est .

II. Ususfructus patris non extinguitur mutata rei forma , veluti si seminarium mutetur in arbustum , vel queretur in olivetum ; quia etiamtum durat patria potestas , cum qua ususfructus continuatur , & si novus esset , novus etiam acquireretur , Gl. in d. l. cum eportet , §. non autem , Salyctetus , Castrensis , & Baldus in *urb. excipitur* , C. de bonis qua liberis . Non ita est in aliis fructuariis , qui si ubi rem mutarunt , usumfructum amittunt , quasi jam res perisset ; & regula est , quod extincta re extinguitur ejusdem rei ususfructus , l. 5. ff. quibus modis ususfruct. amittatur . Quod verum est , etiamsi ex rei mutatione ubiores fructus percipiuntur , l. quamvis , ff. de usufr. nam quod traditum est , posse fructuarium causam proprietatis meliorem facere ; id intelligitur , ut faciat colendo quod invenit , non autem immutando . Vide Julianum in *l. aquif. simum* , §. i. cum seqq. ff. cit. sit.

Hinc est , quod multa patri licent , quae aliis fructuariis denegantur . Puta *fructuarius adificium inchoatum consummare non potest* , etiamsi eo loco aliter uti non possit , ut loquitur Neratius in *l. usufructuarius* 61. §. *adificium* , ff. de usufr. Quod utique in patre legitimo administratore non procedit , cui a nostra lege defertur plenissima potestas in bonis filii adventitiis , non secus ac si dominus esset : nec enim causa patris tam separata est a causa filii , uti est inter reliquos fructuarios , ut colligitur ex l. fin. §. fin autem as , C. de bonis qua liberis . Ceterum in d. l. *usufructuarius* satis admirabilia videntur verba illa , *Etiamsi eo loco aliter uti non possit* , quibus objicit Glossa ibidem regulam legis , quae ait , Concesso uno venite omnia necessaria ad illud , l. 2. ff. de *Jurisd. omnium iudicium* . Ita in materia servitutum , si cui conceditur haustus , censetur concessum quoque iter , sicuti e contrario , si cui conceditur iter ad fontem ,

tem, ineſt quoque haſtus: nam unum ſine altero inutile eſſet, l.3.5. fin. ff. de ſcrv. ruficorum. Pro cujuſ diſſicultatiſ ſolutione, varic ſe torquent Doctores.

I. Angelus, Fulgoſius, & alii cum Glosſa ibidem ajuſt, diſcretionem Jurisconsulti in d. 1.6.1. pendere ex natura ipſius rei, hoc eſt, uſuſru-ctus, qui ſtare nequit, ubi rei forma mutatur: videtur autem mutari adiſcium, cum inchoatum perficitur. Sed hanc reſponſionem reſte rejicit Curtius in d.l.2. col. penult. adiſcia quippe, & facta omnia, ex con-ſummatione formam recipiunt, l. ſi is qui quadrigeſta, ſ. quadam, ff. ad LFalcid. tantum abeſt, ut conſummatione forma mutetur. Neque enim audiendus eſt Pinellus hic n. 53. cum putat, a Glosſa formam accipi pro ipſa figura, aut ſpecie rei etiam imperfectæ, ut in l. fin. ff. de uſu & habitatione; nam in eo teſtu non eſt ſermo de rebus imperfectis, ſed de rebus in ſuo genere perfectis, cum dicatur non poſſe proprietarium ſpeciem rei uſuariorum commutare, etiamsi in meliore ſtatum commutare velit. Ubi palam Neratius loquitur de rebus in ſuo genere completiſ: haec enim dicuntur commutari in alia, quod non licet in re uſuariorum, quamvis fiat in melius: at vero res inchoatae, & in ſuo genere imperf-ectæ, non dicuntur commutari, ſed perfici & compleri, ſeu conſummati, ut patet ex eadem l. uſuſruariorum, ſ. adiſcium, ibi, Inchoatum conſum-mare.

Sed eſto demus Accurſio & Pinello, cum adiſcium inchoatum perficitur, formam rei mutari; nihilominus licet hoc ſit contra natu-ram uſuſructus, adhuc tamen permitti fructuario deberet, cum aliter adiſcio uti non potheſt. Quod probatur comparatione uſu, qui cum concedatur ad indigentiam uſuariorum, de ſua natura nequit in aliud, ſive donando, ſive vendendo, ſive locando, transferri: & tamen contra hanc uſu naturam permittitur alienatio ejusdem, quoties alioqui inutili-ter eſſet confeſſus: ut ſi uſu ſilvae eſſet relictus: tunc enim conceditur uſuarioruſ Jus in aliud transferendi uſum ſibi relictum, l. diuſus, ff. de uſu & habit. Patet ergo, ne uſu ſit inutilis, permitti ejusdem aliena-tionem contra naturam rei: cur ergo contra naturam uſuſructus non permittetur adiſcii inchoati conſummatio, ſeu formæ mutatio, cum aliter uſuſructus eſſet inutilis, præſertim cum minus ſit formam muta-re, quam rem alienare?

II. Itaque Curtius reſpondet, cauſam, cur uſuſruariorum nequeat adiſcium conſummare, eſſe quia alia in eſſe potheſt voluntas & indu-ſtria proprietario, qui adiſicare coeperat, in ejus adiſcii conſummatio-ne, ab ea, qua inſit fructuario. Quam reſpoſionem rejicit Coraſius ipſius diſcipulus l. miſcell.6. quia potuit uſuſructus eſſe relictus in teſtamento: morte vero teſtantis finitur ejus intentio, l.4. ff. locati: & ta-men hoc etiam caſu eſſe verum Neratii reſpoſum, ambigit nemo. Et ita ceſſat ratio Curtii; qui nihilominus poſſet replicare, in ſequenti pro-prietario

prietario debere eandem voluntatem spectari. Hinc est, subdit idem *Cureius*, quod eidem fructuario, cui denegatur ædificii coepti consummatio, cogreditur deinde casam de novo ædificare, ob eorum rcrum custodiā, quæ in area sunt, modo ad id necessaria sit, *I. si areæ, I. æquisfrum, §. si tamen, §. sed nec ædificizm, ff. de ususfr.* quia scilicet in novo ædificio faciendo nequit diversa proprietarii voluntas considerari. Sed rectius mihi videtur sentire *Pinellus citat. num. 54.* qui putat id specialiter permitti gratia fructuum. Sic alibi in Jure nostro expensæ gratia fructuum favorabiliores sunt, quam f. etæ sunt ipsius rei gratia, *I. fructus qui 52. ff sum.ercisc. I.generali, §.Lucius, ff.de ususfr.* late *Tiraquellus de retractu §. 15. gl. 1. in princ.*

His ergo relictis, probatur mihi solutio ipsius Corasii, qui ait distinguenda esse hæc duo, scilicet ædificio uti non posse, & uti non posse usufructu, quoties testator usumfructum prædii legavit, in quo etiam sit ædificium inchoatum. Itaque *Neratius* hoc vult, fructuarium, qui usumfructum percipere, & colligere potest, etiamsi co.ædificio aliter uti non possit, ædificium illud inchoatum consummare non posse. Nam si aliter usufructu uti nequeat, quam si ædificium absolvatur, quod cœptum est, utique fructarius perficere posset. Quod probatur ex *I. i. §. i. ff. si ususfr. petatur*, ubi usufructu legato, heres compellitur ea præstare, sine quibus omnino uti non potest; uti esset in specie proposita, quod consideranti patet. Probatur etiam ex supradictis, quia concessu uno veniunt omnia ad illud necessaria, *I. 2. ff. de Jurisdict. etiam si contra rei naturam sint, I. diræs, ff. de usu & habit. Corasium sequitur Caronda 1. Pitbanon. 5. Costalius in adversariis ad d. I. 61.*

Objicies ex *Pinello* textum in *I. repeti*, *§. si areæ, ff. quibus modis ususfructus amittatur*, ubi si areæ ususfructus sit legatus, & in ea ædificium sit positum a fructuario, res dicitur mutata, & ususfructus extinguitur. Idem habetur in *I. usufructu legato, §. bac ratione, ff. de ususfr.* Et tamen area in urbe sine ædificio nullius esset utilitatis. Sed responsio facilis est, aream ad multa deservire posse etiam in urbe, veluti pro atrio domus, pro alendis ibi columbis, pavonibus, & id genus aliis.

III. Distant cautione. Nam quilibet fructarius, sive mobilis sit res, siue soli, tenetur domino proprietatis cavere, usurum se boni viri arbitratu, & cum ususfructus ad eum pertinere definet, restituturum, quod inde extabit: cavere etiam debet, boni viri arbitratu perceptum iri usumfructum, hoc est non deteriorem se causam ususfructus facturum, in qua tanquam prudentem patrem se gesturum promittat, *I. 1. ff. ususfructarius quemadmodum caveat.* Hæc cautio ita necessario præstanda est domino, ut fructuario petenti usumfructum objici possit exceptio, ut satisfiet; necnon omissa potest condici incerti conditione. Unde si domino petenti in ea præstanta fructarius tergiversetur, non ante fructus, qui percipiuntur, facit suos, quam cautionem præstiterit, *Gaillus 2. obs. 46. Castillus de ususfr. cap. 16.*

Fa-

Faber in *C. de usufr. defin. I.* Ceterum ab hac generali regula excipit ut per nova Jura pater, qui nec cavere debet de utendo arbitrio boni viri, nec de restituendo; immo nec finito usufructu rationem suam administrationis reddere, adeo ut *gubernatio rerum carum sit penitus impunita*, ut loquitur Justinianus in *d.l.cum oportet*, §. non autem, & habetur etiam in *l.fin. §.sin autem, C. eod. tit. de bonis quae liberis*, ibi: *Paterna reverentia cum (patrem) excusante, & a ratiociniis, & a cautionibus, & ab aliis omnibus, quae ab usufructuariis extraneis a legibus exiguntur.* Quod si objicias, leges hac impunitate allicere patrem ad fraudem contra textum in *l.in fundo, ff.de rei vind.* Respondet hoc factum esse, quia leges nultum confidunt de pietate patris erga liberos, de qua re Tiraquellus in *l.si unquam a num. 25. C. de revocand. donat.* Objicies etiam, quod pater tutor filii debet suam administrationis rationem gerere, ut communiter docent *DD. ex l. licet, & ibi notatis, C.ad l. Falcidiam.* Cur ergo ad eandem rem non tenetur, cum bona filii adventitia administratur? nam si in tutela lex non confidit de patre, neque hic fidere debet. Respondetur, rationem differentiae esse, quia pater legitimus administrator duo habet in bonis filii adventitiis, primo Usumfructum; secundo in ipsum filium habet patrium Jus, quorum nihil reperitur in patre tute, qui filios emancipatos regit, *l. qui superstite, ff. de dolo.*

Hinc facile colligi potest, patrem neque teneri repertorium confidere (quod vulgo inventarium appellant) de bonis, in quibus usumfructum habet; ut patet ex eo, quod confectione inventarii illis incumbit, qui rationem reddere tenentur; atqui pater rationem suam administrationis non reddit, ut jam dictum est: quare nec inventarium confidere: & ita receptum docet Boerius *decis. 6. I. num. 5.* Quod adfirmatur etiam, quia Jus nostrum pluris facit redditionem rationis, quam inventarium: nam pater decedens, potest tutoris fidem approbando, remittere ei inventarii confectionem, *l. veteris, §. illo, C. arbitrium tutela:* at idem pater nequit in testamento suo jubere, ut tutor a se filio datus sit ἀρχαλόγος, hoc est, rationem non reddat, *d.l. quidam decedens, ff. de adm. tutorum.* Itaque si Justinianus patri remisit ratiocinia, multo magis inventarium remisisse censemur.

Adfirmatur etiam ex generalitate textus in *d.l.fin. §. sin autem*, ubi pater excusat ab omnibus, quae ab usufructuariis extraneis leges exigunt: ergo etiam ab inventario; quod tamen ipse fructuarius extraneus nec tenetur facere, nisi de consilio, ut probatur ex *l. i. §. recte, ff. usufructuarius quemadmodum caveat*; ubi dicitur, recte dominum & usufructuarium facturos, si in scriptis redigant, quae bona sint fruenda. Quae verba consilium tantum innuunt, ut ibidem recte Glossa advertit, quidquid quidam contra nitantur.

Contrarium tamen sentit Pinellus hic *num. 23.* qui tamen ex levissimis rationibus moyetur. Ait enim, patrem legitimum administratorem pos-

posse a liberis , vel ab Judice ad inventarium conficiendum impedi , ne scilicet post patris mortem ab herede extraneo (qui forte institutus sit) fraus fiat , & bona , intercipiendo , diminuta liberis restatoris restituat . Quod est ~~aff~~ volum ; nam satis erit ad hanc fraudem vitandam inventarium , quod ipse heres post testatoris mortem confidere tenetur ex l. ult. C. de Jure delibrandi . Accedit huc , quod inventarium confectum a patre tempore suscep*tæ* administrationis bonorum adventitiorum filii , non posset deservire ad demonstrandam quantitatem & qualitatem corundem bondrum post patris mortem , quando confecta essent ratiocinia , seu libri rationum , cum possint interim patre vivente ea bona esse adaucta , vel diminuta . Itaque cum pater a confectione ratiocinii absolvatur a Justiniano , frustra dein cogeretur ad inventarii confectionem , ad hoc ut eo mortuo constare possit , quid ab herede extraneo liberis restatoris sic restituendum .

Hic obiter queritur , utrum accusatus in causa criminali , vel con- ventus in causa civili , a quo bona petantur , possit controversia pendente compelli ad inventarium conficiendum ? Et varia est Doctorum respon- sio ; nam Platea , Rebuss , & alii in l. defensionis , C. de Jure fisci , lib. 10. id admittunt , quoties agitur de accusato , & bona ipsius fisco sunt ap- plicanda : alii vero generatim id esse volunt , eitam cum agitur de cau- sa civili quacunque , ubi bona a reo convento petantur , Boerius dec. 61. num. 21. Guidon Pap. dec. 351.

Verius tamen est , reum conventum , vel accusatum , non posse con- troversia pendente adigi ad inventarii confectionem , ut docet Pinellus hic num. 24. Quod probatur ex l. si quis intrat , C. de bonis proscriptor . ubi aperte jubetur inventarium confici , postquam quis sententiam pas- sus est : ergo non tenetur quis ad illud faciendum sive pendente , & ante sententiam . Probatur etiam ex d. l. defensionis , in illis verbis : Cum facultates corundem controversia pendente inquietari describique fas non sit ; & in illis : Cum rei exitus probaverit , tunc demum res persequi li- ceat , & super modum facultatum interrogationem baberi . Falsum est enim , quod putat Bartolus in l. mandatis , ff. de requirendis reis , ibi sci- licet prohiberi descriptionem ad sequestrum , vel occupationem , non ad inventarium : quæ est aperta cavillatio ; nam verbum , Describi , inven- tarium significat . Probatur rusus , quia ante sententiam non debet quis gravari : at maximum gravamen oritur per inventarii confectionem , ex quo aut paupertatis detegitur vilitas , aut invidiæ exponuntur divitiæ , ut dicitur in l. 2. in princ. vers. Quid enim tam duram , tamque inhumani- num est , C. quando & quibus quarta pars , lib. 10. ubi prohibetur inven- tarium fieri ante declarationem sententiarum , etiam in causis civilibus . Pro- batur tandem , quia compellendo reum ad inventarium , fieret innova- tio lite pendente , contra regulas Juris .

Excipe tamen l. Si reus derelinquendo bona sua profugerit : tum ne- bo-

bona ipsa interim pereant, & furto minuantur, licet eas inventario describere, d. l. mandatis, ff. de requirendis reis. II. Si jam aliquo modo constaret de delicto, ex quo bona sint publicanda, vel etiam si timor fuga aderet, Pinellus ibidem num. 25.

Sunt tamen casus, in quibus pater administrator tenetur rationem filio suo reddere. I. de his bonis, in quibus usumfructum non habet, quem neque legitimus administrator est, Soccinus conf. 34. lib. 1. Aymon conf. 218. num. 3.

II. Si pater transeat ad secundas nuptias, ut docet Fulgos. in l. jas. bonis, §. 1. C. ad Trebell. quod ipse probat per eum textum, ubi licet pater non teneatur cavere filio in potestate de fideicomissio illi restituendo; tamen si ad secunda vota transeat, ad cavendum compelletur; quo circa a pari videtur idem dicendum in administratione bonorum adventitorum ipsius filii; nam lex de patre secundo nubente non multum confidit. Unde etiam est, quod bona ejus ob tales nuptias, censerentur oppignerata, & obligata filiis prioris matrimonii pro iis, quae reservare ipsis tenetur, l. si quis prioris, §. fin. C. de secundis nuptiis.

III. Si pater ex causa legitima valide donaverit filio in potestate constituto, utique earum rerum donatarum administrationem ipse etiam habebit, non secus ac si adventitiae essent, tamen rationem reddere tenebitur. Ita Angel. in l. lisis, §. pater, ff. de reg. gest. Pinell. hic n. 32. Quod tamen videtur falsum, quandoquidem cum patre in rebus a se donatis mitius est agendum, argumento ex l. Divus, ubi Decius, ff. de reg. Jaris: quocirca si non tenetur ad rationem reddendam in administratione reliquorum bonorum, multo minus obligabitur in bonis a se donatis. Neque obstat textus in d. l. lisis, §. pater, ubi non de donatione collata in filium familias, sed de ea, quae filio emancipato facta fuerit, sermo instituitur; dicitur enim patrem, si emancipati filii res a se donatas administraverit, filio actione negotiorum gestorum teneri. Ratio disparitatis inter utrumque casum est, quia in filio emancipato pater non est legitimus administrator, uti est in filiofamilias, & proinde nihil mirum, si lex patri minus favet in illo casu, quam in isto. Ex hac eadem ratione non obstat textus in l. 2. C. si adversus donationem, ubi solum dicitur patrem non posse alienare res filii emancipatis a se donatas. Ceterum de alienatione hogorum adventitorum dicemus in par. 3. hujus nostre legis 1.

IV. Ubi pater dolose administraverit bona filii adventitia, tenetur rationem reddere, prorsus ut ejus bona intelligantur filio pro ea re oppignerata, Soccinus conf. 34. num. 15. & seq. Negulanius de pign. par. 2. memb. 4. num. 13. & 16. Quod clare patet ex l. can. apertis, §. fin. C. de bonis qua liberis; ubi filio conceditur hypotheca in bonis patris ob res male gestas & administratas, non solum a die malae gestionis, sed etiam ab illo ipso tempore, quo male administrare incepit. Ubi quod Imperator dicit de mala gestione, id Bartolus ibidem, & reliqui communiter.

intelligunt de administratione , quæ dolose fiat, & ob hanc rationem redet pater : nam si solum fuerit cum culpa , & negligentia , procedet dispositio nostræ legis primæ , ubi pater a reddenda ratione administratio- nis absolvitur .

Illud etiam Nostrî docent , patre citra dolum , filiorum bona dissipa nte , vel diminuente , ob negligentiam , vel culpam , filiis succurri removendo patrem ab administratione , Alexander in *I. Imperator* , num. 6. ff. ad *T' rebell.* Quod tamen alii locum habere volunt non in bonis omnibus , sed tantum in pecunia numerata , & mobilibus , non item in rebus soli , Aretinus cons. 61. num. 5. Jason in *I. si constasse*, num. 198. ff. *sol. matr.* Imo Bartolus in *d.l. cum sportet* , §. nos autem , opinatus est ad removen dum ab administratione patrem , non esse satis , si pater præ negligentia & culpa male se gerat , aut bona esse mobilia ; sed præterea exigi , ne sit solvendo .

In tanto Jurisconsultorum dissensu , nobis placet opinio Aretini & Jasonis , qui ad remotionem patris satis esse volunt , si negligenter , vel non sine culpa bona mobilia administraret , maxime pecuniam numeratam . Et probatur ex nostra *I. i.* in qua consultum est quidem filiis , cum pater male administrat bona stabilia , ut scilicet filiis , ubi sui Juris fuerint , lieeat res a patre alienatas vindicare , nulla præscriptione , aut usucapione in contrarium obstante . Ergo malto magis iisdem consuli debet , patre male administrante res mobiles , & munmos ; præsertim , quia in hisce re bus majus periculum versetur , ut patet : nam ubi majus periculum est , ibi promptius est occurendum . Quare tenebitur Judex patrem ab admini stratione talium rerum submovere . Neque expetandum est , ut Bartolus putabat , ipsum fieri nos solvendo ; nam id in nimium filiorum præ judicium tenderet .

IV. Distat pater legitimus administrator a reliquis fructuariis , quod pater cædere potest arbores , modo non sint fructiferas , in fundis filiis familiis : cum tamen aliis fructuariis in hac re minus juris concedatur . Quæ omnia jam explicabimus , ex Pinello hic a num. 59. Itaque Alciatus , Angelus , & alii communiter in *I. ex silva* , ff. *de usu fr.* distinguunt inter silvam cæduam , quæ casua renascitur , & non cæduam , seu pascuam , quæ habet arbores fructiferas , quæ sine damno cædi non possunt . Primo ergo , si cædua silva sit , nequit fructuaris cædere , nisi pedamenta , & ramos ex arbore , ut dicitur in *d.l. ex silva* . Ubi circa pedamenta errat Accursius , cum putat esse germina , quæ ad pedes arborum grandiorum nascuntur , quæ *germinales* dicuntur in *I. divortio* , §. *si fundas* , ff. *sol. matr.* Errat , inquam , nam pedamenta sunt ligna recisa , quibus arbores tenelle fulciuntur , sicuti transversa dicuntur jugæ , ut Varrô notat . Hæc autem grandescientibus jam arboribus , submoventur , & silvae cæduæ fructuatio cedunt , sicut & rami , qui de arbore fuerint decisi . Arbusculæ vero ex arboribus fructicantes vocantur *stolænes* , non etiam *germinales* : quod

quod nominis corrupte legitur in d. §. si fundus, ubi ex Pandectis Florentinis reponendum est, gremiales; & sunt festucæ, quas rustici gremio ad comburendas ferunt, ut explicat Antonius Augustinus 3. c. m. e. n. d. 7. Glosse Isidori: *Gremia, siccamina lignorum.* Ita quoque in l. ligno, §. Of. lias, ff. de leg. 3. pro germina eadem Pandectæ gremia legunt; et si Haloander hic *gremia*, illic *gremiales* emendet, a crenando. II. si silva cædua non sit, ex ea fructuarius pedamenta & ramos cædere non potest, nisi in vineam, dum ne fundum deteriorem faciat, d. l. ex silva. Nequibit ergo fructuarius arbores ipsas utlo casu cædere, & multo minus vendere;

Quæ omnia ita generatim accepta, falsissima sunt: tunc solummodo vera erunt, cum ususfructus in alia primario re esset relictus, puta in vinea, cui silva accedebat, eoquo mirror usus in ipsa silva imperit. Quod si ususfructus solum in silva esset concessus, non ita strictus erit, sed præter rerum usum, Jus fiet fructuario cædendi, & vendendi; præfertim in silva cædua, ubi si Jus cædendi, & vendendi negaretur, iniurialis omnino esset ususfructus; præfertim si vincam fructuarius non haberet, in cuius tantum utilitatem concedit Jurisconsultus in d. l. ex silva, pedamenta & ramos cædere. Non ita est, quando ususfructus constituitur primario in vinea, vel simili fundo, cui silva accedat.

Patent hæc ex l. item si 10. in fine, ff. de ususfr. ubi hæc habentur: Neratius scribit, silvam cæduam, & arundinetum, posse fructuarium cædere, si aut paterfamilias cædebat, & vendebat, illoc paterfamilias non solebat vendere, sed ipse usus, ad modum enim referendam est, non ad qualitatem intendi. Ergo & Jus cædendi, & Jus vendendi, conceditur in ususfructu filiæ, contra id, quod Adversarii putabant, tunc vero tantum pedamenta, & ramos cædere licet, cum ususfructus silvæ accedit ususfructui vineæ, ut aperte patet in d. l. ex silva, v. in vineam. Hoc etiam casu arbores grandes cædere de silva non licet, juxta textum in l. sed si grandes, qui textus connectatur, & continuatur opus est cum textu antecedenti in d. l. ex silva.

Quod si non ususfructus filiæ, sed fundi relinquatur, tum quid Juris fructuarius habeat, docemur in l. aquifissam, §. 1. ff. cit. sit. Nam si quidem fundi ususfructus legatus est, non debet neque arbores frugiferas excidere, neque villam diruere, nec quidquam facere in personam proprietatis. Et si forte voluptarium sit prædium, viridaria, vel gestationes, vel deambulationes arboreibus infriuctuosis opacæ, atque amoenas habens; non debebit dejicere, ut forte hortos olitorios faciat: vel aliud quid, quod ad redditum spectat. Ita in d. §. 1. ubi Ulpianus per gestationes intelligit loca in prædis, quæ ab Antiquis destinabantur, ut per ea in redi, sive in lectica, animi; aut salutis gratia gestarentur. Vide Lipsium in centur. miscell. ep. 11. Ex quibus patet, in his rebus restringi arbitrium fructuarii, etiam in quantum ad ea, quæ proprietatem deteriorem non facerent; cum ei gestationes & deambulationes in hortos

elitorior immutare prohibeatur , hoc est prædium sterile , fructuosum facere .

Hæc autem tam stricte in patre capienda non sunt , utpote cum quo tam amare agendum non est , ut ait Panellus hic nsm.60. Nam in ceteris fructuariis aliquando præsumitur fraus , ne scilicet velint plus debito uti , *I. & bæc distinctio , §. 1.* ubi Bartolus , *ff. locati* : quæ suspicio cessat in patre legitimo administratore , qui omnia præsumitur pro filiis pararc , *I. nibil , ff. de bonis libertorum , I. scripto , §. fin. ff. unde liberi.* Propterea patri legitimo administratori major potestas , quam reliquis fructuariis conceditur , ut in nostra lege habemus . Tunc ergo solum patri , quid face in bonis filiis familiis adventitiis prohibitum est , cum causam proprietatis deteriorem facit , uti esset arbores frugiferas cedere : at posset gestationes in hortum convertere , *d.l. fin. §. fin autem , C. de bonis , quæ liberis.*

V. Ususfructus paternus distat a ceteris , in hoc , quod pater per se , absque filio , potest accipere possessionem adventitiorum : quod aliis fructuariis non licet in rebus , in quibus usumfructum obtinent . Ita post Albericum docet Boerius *dec. 199. n. 9.* Parisius *conf. 37. n. 2. lib. 3.* Probatur utraque pars propositionis , & *I.* in quantum ad patrem clatum est , quia tradere alteri rerum possessionem est actus vel dominii , vel administracionis . Doctores in *rubr. ff. de acq. possesi.* Sed pater fructuarius in bonis adventitiis filii habet Jus administrandi tanquam dominus , ut hic , & in *d.l. cum operet* : propterea non debet possessionem eorumdem , nisi a se ipso accipere . Quod secus est in aliis fructuariis , quæ est altera pars nostræ propositionis . Et probatur , nam si ususfructus constituatur inter vivos , necesse sit , ut possessio accipiat , vel a voluntate constituentis , vel si iste renuntiatur , accipiat auctoritate Judicis , *I. si ex stipulatione , ubi Bartolus , & Jason , ff. de acq. poss.* Sed si ususfructus testamento relinquatur , nequit possessio adipisci , nisi e manu heredis , quod necessarium est in illis etiam rebus , quorum nihil apud heredem mansum est , *I. non dubium , C. de legatis.* Et hoc introductum est , quia aliquando legata legataris solvenda non sunt , veluti si hereditas nimis ære alieno gravetur : aliquando vero diminuta , & non integra persolvuntur , veluti si in eis lex Falcidia locum habeat . Hinc factum est , ut legatissi , licet statim ipso Jure post testatoris mortem , fiant rerum legatarum domini , *I. à Titio , ff. de furtis ;* tamen omnino rei legatae possessionem ab herede accipere tenentur , *§. 1. Institutionibus de legatis.* Quinimo si legatarius Jussus a testatore sit , ut per se ipsum capiat , *I. Titio cum testamento , §. 1. ff. de leg. 2.* adhuc sua auctoritate occupare non potest : teneretur enim Edicto Quorum legatorum ; sed opus habet ut ab herede petat , *I. I. §. qui vera , ff. quorum legatorum.*

Recte ergo docent DD. usufructuarium universalem ex testamento debere possessionem e manu heredis nancisci ; quod perperam Decius *conf. 418. nsm. 3.* id restringit in vidua , quæ a viro suo fructuaria fuerit

reliete; nam in hac nullum speciale privilegium reperitur statutum; uti statutum est in patre legitimo administratore bonorum adventitiorum sibi familiis, Alexander *conf. 56. ad fin. lib. 3.* Gozadinus *conf. 21. num. 17. & conf. 99.*

VI. Pater a ceteris fructuariis distat in his, quae ad lites, & judicia pertinent: etenim ex nostra hac *lege* 1. pater potest per se in adventitiis agere, & agentibus respondere, vel ut textus loquitur, *Per se poscere, & Litem inferentibus resistere.* Verum circa hanc rem quatuor difficultates insurgunt, quo nomine pater in judicium venire debet: utrum exigatur filii consensus: quando possit procuratorem constituere: ac tandem unde litis impensis sint desumendae, de quibus omnibus ordine agemus.

Vulgo itaque docent, cum quis patrem in adventitiis convenit, oportere ut in libello afferat, se eum tanquam legitimum filii administratorem convenire: atque e diverso patrem in adventitiis agentem, hanc eandem qualitatem in libello exprimere debere. Ita Bartolus, Angelus, Fulgesius hic, & alii communiter; itaut nullum hoc casu videatur esse discrimen a tutori, curatore, syndico, & reliquis, qui aliorum res gubernant; & hoc quidem rectissime, ne scilicet habeantur pro dominis, & principalibus, qui solummodo accessorii, & administratores sunt. Nihilominus concedendum videtur Pinello hic *num. 64.* etiam ea clausula, seu qualitate omessa, libellum substineri, quoties deinde in litis progressu veritas rei pateret, patrem scilicet agere, vel conveniri, tanquam legitimum administratorem. Quod quidem de Jure Regni nostri certum est, ubi proceditur sola facti veritate inspecta, ex *cap. Regni determinantes*, ex litera *Reginae Isabellæ*, *quantum est possibile*, & ex *pragm. 1. de ordine judiciorum*. Idipsum videtur posse recipi de Jure communii Romanorum, quoniam per Constantimum Imperatorem laxatum est *Jus strictum*, quod olim in libellis vigebat, & formulæ sublatæ sunt, prorsus ut libellus ineptus substineatur, patefacta inde in litis progressu rei veritate, *I.un. C. de formulis sublatis*. Quod eo magis observandum est hodie, quia olim etiam in tanto antiqui Juris rigore, aliquando veritas sola attendebatur, non Juris ordo, ut patet ex *I.non est verisimile, si quis, ff. de eo quod metus causa, ubi si Judge simplici Juris iudice, & extra ordinem debitorem solvere coegerit, licet condemnatio civiliter & servato Juris ordine fieri debebat; tamen quia debita quantitas soluta est, ideo Ulpianus ait, non concedi reo actionem quod metus causa, & factum revocari incivile esse; hoc est, non attenditur strictum Jus, sed æquitas, non civilis ordo, sed veritas.*

Docent etiam patrem posse agere in judicio, non expectata consensu filii, cuiuscunque ætatis sit. Ita Bartolus hic *num. 8. Bald. n. 2.* Quod item ita generatim assertum, falsissimum est, ut recte notat Innocentius in *cap. accedens, de procuratoribus, in princ.* sitque patrem non posse age-

agere , aut defendere in adventitiis , cum filius est major septennio . Et probatur ex apertissimo textu Justiniani in l.fin. §.ubi autem in unum . ff.de bonis quæ liberis , ibi : In agentibus , & fugientibus , pater quidem fuscipiat actiones , & movent , cujuscunque etatis filius inveniatur : adbibetur autem etiam filiorum consensus , nisi adhuc in prima etate sint constituti , vel longe absunt . Ubi obiter notabimus , reos appellari fugientes , quia semper litem , & litis expeditionem refugiuntur & dictum est more Graecorum quibus φεύγω , hoc est fugio , etiam reum esse denotat , & φεύγω est reus , & fugiens . Propterea apud Onirocriticos cervus in somniis vilus reos in judicio propter fugam significat : καὶ τὸς ἐν δίκαιοις φεύγοντας , Artemid. lib.2.cap.12. Constat ergo patrem duobus casibus posse in judicium venire sive ut actorem , sive ut reum sine filii consensu , cuius scilicet res administrat , primo cum filius est in prima etate , deinde cum licet sit extra primam etatem , tamen longe a loco judicii abest : quare aliis casibus omnino filii consensum exigere debet : nam verbum illud , adhibetur , expressum consensum significat , nec tacitum admittunt , ut patet . Et licet Constantinus in nostra lege hunc consensum non requirat , tamen nec despici debere declarat , ut propterea omnino standum sit dispositioni d.l.fin. §.ubi autem in unum : nec novum est , unam legem per aliam explicari , l.non est novum , cum seq. ff.de legib. Capella olos. q.106. Rom. conf.241. nam.10. quidquid pro Bartolo se torqueat hic Pinellus num.66. qui contra apertam veritatem nitens , verba Justiniani appellat duriora .

Sed illud etiam in disceptationem videtur ; utrum Imperator pro prima etate intelligat eam , quæ intra septennum sit ? Et quidem affirmanit Romanus , Innocentius , & alii communiter , ex eo , quod in Jure nostro etates dividuntur in infantiam , impubertatem , minorem 25. annis , & cetera , ubi apparet primam in ordine infantiam , quæ septennum concluditur , l.i. §.sufficit , ff. de admin. & peric. tutorum , l.si infanti , C. de Jure delib. cap.ia singularis , dist.77. Quare Graeci Juris nostri interpres infantem ἔπιτρον , hoc est septennum vertunt ; quantumvis repugnet Jo:Franc. Tarcelardus in tract. de effectoria infantie , qui eam ad pueros lactantes , aut paulo maiores solummodo extendit , ex Theophilo in §.pupillus , Institutionibus , de inutil stipul.

Contra tamen omnes Pinellus tuetur , apud Justinianum primam etatem accipi debere de impubertate , usque ad 14. annum in masculis , & 12. in foeminis ; immo addit posse ad plenam pubertatem produci , quæ decimo octavo anno concluditur in pueris , decimoquarto in puellis , quo usque favore alimentorum extensa fuit pubertas ab Adriano Imperatore , l.Mela , ff.de alim. & cib. legatis ; quæ etas proprie pueritia dicitur in l.i. §.initium , ff. de postulando . Contendit itaque Pinellus , post hanc etatem a Justiniano exigi consensum filii , cum pater legitimus administrator agit , aut defendit ; itaut prima etas sit pueritia . Quod probat ip-

ipse, quia impuberis, nedium infantis, etas quid videat, ignorat, ut dicitur in *L. impuberes*, *C. de falsa moneta*; ergo ridiculum est exigere consensum a filio, in ea etate, qua quid sibi inutile, vel proficuum sit, nescit distinguere.

Verum a communi opinione recedendum non est; nunquam enim Pinellus efficiet, plenam pubertatem posse dici primam etatem: nam prium est, cui nihil praecedit: & tamen clarissime constat plenam pubertatem praecidi a pubertate, ut hanc ab infantia, quae una prima etas est tam apud Jurisconsultos, quam Medicos, ut ex Hippocrate patet, et si alii aliter distinguant. Vide Censorinum, *de die natali*, cap. 12. Quod eo magis recipiendum est, quia Justinianus in *d. s. ubi autem*, comparat filium primae etatis ei, qui absens sit: scimus autem absenti alias non comparari nisi infans, uti patet ex Ulpiano in *I. i. s. sufficit, ff. de administrat. tutor.* ubi tutores pro pupillis, qui fari non possunt, vel absunt, ipsi Judicium suscipiunt: pro iis autem, qui supra septimum annum etatis sunt, & praefato fuerint, auctoritatem praestant. Dicendum ergo est, comparari hac quidem in re tutorem patri, prossus ut, sicut tutor, pupillo praesente, & septennio majore, per se agere in judicio & defendere non potest, sed pupillo auctoritatem praestare tenetur: ita quoque pater non sine consensu filii judicium suscipere potest, ubi ipse filius est praesens, & priam etatem excessit, hoc est infantiam. Neque enim quidquam apparet, cur hic hanc tutoris & patris exequationem non admittimus; nam si aperte constat Justinianum eos exequasse in casu, quo filius est absens, cur non dicemus id ipsum fecisse, cum est infans? Confirmatur quoniam statim ac quis excessit infantiam, consensum habet, ut propterea stipulari possit, imo omne inter vivos negotium gerere, ut loquitur Imperator in *s. pupillus, Institutionib. de inutilib. stipulationib.* Quare cum Justinianus in nostro casu non exigat, nisi consensum, recte illud exigit statim post infantiam.

Porro Pinelli objectio non urget. Nam consensus ejus, qui excessit infantiam, non exposcit, quasi ipsius perfectum consilium sit, sed ne videatur negletus & contemtus verus reidominus in re sibi spectante: quod certe satis iniquum est. Alias vero lex non solum ejus, qui infantiam excessit, sed etiam puerorum, imo minorum 25. annis fragile, & infirmum consilium declarat: quare Praetor curatorum consilio regi, & gubernari voluit, *I. i. ff. de minor.* Quare si in nostra specie, consensus filii exigeretur, ut opinabatur Pinellus, pro rebus recte gerendis, jam contra ipsum Pinellum posset argumentum retorqueri, hoc modo: Post plenam pubertatem adhuc filiis imperfectum & fragile judicium est; ergo frustra ejus consensus requiritur. Stet itaque, ne filio, tanquam contemto, injuria videatur illata, legem ejus consensum exquirere, quoties pater pro eo Judicium suscipere velit: recte autem exquirere post infantiam, quoniam quis statim ab infantia consensum habet, *d. s. pupillus.*

Pro

Pro complemento duo hic notabimus. I. si filius, ejus consensus exigitur, sine justa causa contradicat, valent quaecumque pater filio repugnante gesserit, ex regula Canonistarum, juste petitum, & injuste denegatum, habetur pro concessio. Ita Angelus, Paulus, & Fulg. in d. s. ubi autem. Quod patet ex simili casu in I. si cum dotem, §. eo ausem, ff. sol. matrim. cum enim soluto filiae familias matrimonio, pater dotem, quam solvit, exigere nequeat, sine ipsius filiae consensu; quantum ab Ulpiano est, quid agendum, si filia consentire nolit? Et respondet, si pater juste petat, hoc est, talis sit, ut ei omnino consentire filiam debeat, utpote qui sit vita probata, ut verendum non sit, ne dotem acceptam consumat: & e diverso filia injuste consensum deneget, veluti si sit levis mulier, vel admodum juvenis, vel nimia circa maritum non merentem (a quo scilicet divertit); tunc concludit dicendum esse, patri potius acquiescere Praetorem oportere, dareque ei actionem. Ita in casu nostro, cum filius admodum juvenis, hoc est egressus infantiam, injuste patri denegat, ut in Judicio stet, Judge tamen patrem admittet. II. cum Justinianus ait, filii consensum exigi, capiendus est, quoties agitur de rerum proprietate, quae ipsius filii est: secus si agatur de usufructu, qui est patris, ut recte notat Imola in I. fin. §. pupillus, num. 3. ff. de verb. obligat. quem Angelus ibidem, & alii omnes sequuntur.

Nunc videamus, an pater Judicium suscipiens pro filio in bonis adventitiis possit procuratorem constituere? Et Glossa hic v. procuratorem distinxit, ut scilicet pater ante litem contestatam nequeat procuratorem constituere, post vero litem contestatam possit. Et probat ex comparatione inter patrem, & tutorem, ex I. n. que tutores, C. de procuratoribus, ubi tutor ante litem contestatam nequit pro pupillo procuratorem constituere, sed auctorem facere potest: at vero lite jam contestata, Jus ei est procuratorem dare. Ratio disparitatis inter utrumque casum est, quia auctor etiam a non domino constitui potest, procurator vero non nisi a domino, vel rei, vel litis: tutor autem post litem contestatam, illico litis dominus dicitur, L. 1. ff. de procuratoribus. Ita ergo a patre pater legitimus administrator judicium pro filio suscipiens, non constituet procuratorem, nisi lite jam contestata, ante eam auctorem solum constituere poterit.

Distat vero Auctor a Procuratore in pluribus, praeter jam dicta: Nam I. Procurator agit periculo domini, cum e diverso Auctor periculo ipsius patris, vel tutoris constituentis, Glossa in d. I. n. que tutores, v. constituere. II. Auctor non datur sine Judice, at datur Procurator, §. fin. Institutionib. de curatoribus. III. Auctor datur ad omnia, ad instar ipsius tutoris; quod secus est in Procuratore, qui ad unam tantum causam constitui potest, §. certe, Institutionib. qui testamento tutores. IV. Auctor finitur iisdem tantum modis, quibus tutor, & non illis, quibus Procurator, gl. cit. v. debent.

Ce-

Ceterum contra Glossam insurgunt vulgo Doctores, qui contēn-
duat patrem etiam ante litem contestatam posse in causa filii procurato-
rem constituere; quia scilicet major est potestas patris legitimi administra-
toris, quam tutoris, aut curatoris. Ita post alios Tiraquellus in *l. si us-
quam, n. 29. C. de revoc. donat. Roman. conf. 24. i. Matthæsilanus no-
tab. 190.*

Nobis tamen Glossæ opinio aridet, quæ ita probari potest. Pater
in bonis filii adventitiis non est dominus, sed tanquam dominus, ut
hic. Ergo nequit ante litem contestatam procuratorem constituere;
nam ante id ad procuratorem faciendum non admittitur nisi dominus,
d. i. neque iustores: & omnino excluditur quasi dominus. Quod probatur,
quia tutor est quasi dominus, ut in *l. qui fundum, §. si tutor, ff. pro em-
tare, ibi, Tutor in re pupilli domini loco habetur;* & nihilominus dare
procuratorem non potest ante litem contestatam. Ergo idipsum est in
patre, qui etiam domini loco est.

Videamus tandem unde litis impensæ sint facienda. Et ex nostro
textu aperte habetur, patrem *summus ex fructibus facere debere*, hoc est ex
fructibus adventitiorum filiifamilias; ubi Angelus *n. 1. subdit*, quod
si fructus non sunt satis, filium ex proprietate suppeditaturum expensas,
argumento ex *l. fix. §. si summus alicunum, C. de bonis qua liberis*, ubi
pro ære alieno filii in hereditate adventitia solvendo, licentia datur pa-
tri, ut bona vendat. Itaque onus impensarum in lictibus est patris, cu-
jus etiam sunt adventitiorum fructus: neque transcurat in onus filii, nisi
in subsidium.

Verum si pater extra causam litis, impensas faciat pro utilitate bo-
norum adventitiorum filii, dicendum est, si haec sunt ad perpetuam rei
utilitatem, filium eas patri restituere tenet: vel saltem, patre mortuo,
debere filium easdem conferre cum fratribus, si quos forte habet, ante
judicium familie erescendas: secus vero esse, si factæ sint impensæ pro
fructibus legendis, quas ad fructuarii onus pertinere palam esse, Castrensi.
in *l. 24. §. ubi autem n. 7. C. de bonis qua liber.* & post alios, docet Pi-
nellus hic *n. 69.*

His ita positis de patre, primum est cognoscere, qua ratione ipse
a ceteris fructuaris distinguatur, in quantum ad ea, quæ ad lites & ju-
dicia spectant. Nam *l. fructarius extraneus in lite solam proprietatem*
tangente, non audiatur, si ipse per se in judicium veniat, Castrensi. An-
gelus, Alexander, & alii in *l. 1. §. 24. ff. de novi operis nunciat.* prorsus
ut, si judicium forte agitetur cum fructuario, non propterea ullum præ-
judicium inde dicetur illatum proprietario, neque contra *l. 24. qui fundum*,
ibique Bartolus, *ff. de ususfr. leg.* Itaque hoc casu restringitur regula Do-
ctorum, qui dicunt fructuarium censeri procuratorem in rem suam, &
posse agere nomine proprietarii, per textum in *l. 1. §. 24. ff. ususfructuariorum*,
qua modum cavat.

II. Fructuarium extraneus non tenetur ad expensas litis super remota, nisi lis ipsum tantum usum fructum tangere: quo casu non est tunc oneretur proprietarius, cui nihil imputari potest in eo, quod quis fructuarium inquietet, Baldus in l.2. C.de liber. causa.

Occasione eorum, quae diximus de impensis a patre factis, questio hic agitari solet a Nostris de impensis mariti, scilicet quando viro data in dotem sint nomina debitorum, vitque in iis exigendis aliquid impendit, num uxor id viro resarcire teneatur; vel, quod in idem recidit, dimittat summas exactas? Et tres hac in re sunt opinione.

I. Est Azonis in l.1. ff. de impensis in reb. dotalib. ubi generatim ait, impensis eas viri damno cedere: quod sequitur Gloss. ibid. Specul. lib. 4. sit. de dote post divorc. restituenda, §. ult. num. 23. Baldus hic n. 13.

II. Est Bartoli hic, qui impensis indistincte ab uxore viro retici debere contendit. Sequitur Angelus hic num. 3. Crotus in l. frater a fratre, num. 123.

Ultima opinio varie distinguit, & est ejusdem Bartoli in l.1. ff. de impensis in reb. dotalib. Campeg. de exact. doris, quest. 48. Primo enim, quando nomina debitorum dantur estimato, vir impensis quascunque, & quascunque faciat in exactione, amittet; videtur enim jacta alea, ita ut omne damnum, & lucrum omne ipsius viri sit, ex traditio per Bartolum in l.1. C.de poss. & lde fidescomit. C.de transactionib. Ratio est, quia res estimatio ita datur, ut hanc res ipsa in dotem videatur concessa, sed pretium, quanti res videat, adeo ut maritus soluto demum matrimonio non rem, sed pretium restitueat: quocirca estimatio veram venditionem inducit, l. pterumq; §. si ante, l. quoties, ff. de Jure dotium. Sicuti ergo celebrata, & perfecta venditione damnum & lucrum rei venditae emotorum sequitur ita prorsus afferendum est, cum nomina debitorum estimato ab uxore viro conceduntur.

Deinde si nomina in estimato tradantur, tunc videtur dicendum impensis factas dotem minuere, nisi impensis modice sint. Probatur prima pars ex eo, quod traditur in tot. tit. ff. de impensis in reb. dotalibus factis, ubi statuitur restituendas esse ab uxore viro impensis necessariis, quae in dotem factae sint: impensis autem necessariis ibidem in l.6. in totum, definiuntur esse, quas vir omittere non potuit, & si omiserit, Judget tanti virum damnable, quanti mulieris interfuit, eas impensis fieri. Quod utique locum habet in exactione nominum: nam si maritus negligens fuerit in exegendo, tenetur ac si exegisset, l. Mervia, ff. sol. war. l. supra 31. §. quoties, ff. cod. ubi DD. Itaque necessariæ erunt hoc casu impensis, & propterea viro restituendas sunt.

Probatur secunda pars de impensis modicis ex l. omnino, ff. cit. tit. de impensis in rebus dotalibus, ubi Paulus dicit: Modicas impensis (loquitur autem de necessariis, veluti in valetudine mancipiorum) non debet arbitrio curare, alioquin negotiorum gestorum potius, quam de dote judicium

ciam videbitur. Eo præsertim, quod vir cogitare debuit fore, ut quidpiam in exigendis nominibus impenderetur. Idem est in actione commodati; reficiuntur enim commodatario impensa necessaria in retra commodatam factæ, modo nisi modice fuerint, *i.e. rebus*, §. sed & id, *ff. commodati*. Ita etiam in fructuario, ad quem modica refectio pertinet, non etiam magna, *i. bactenus*, *ff. de ususfr.* Verum dubium est, quæ nam sit judicanda magna, vel parva impensa. Et Alexander in *ad divisor. tio*, §. *impensis*, num. 3. *ff. sol. matr.* voluit impensam semper modicam appellari, quæ non tendit ad perpetuam rei utilitatem, licet sumtuosa sit contra vero magnam impensam esse, quæ perpetuam rei utilitatem respicit, etiam si inquantum ad sumptum modica sit; quod sequitur Rui-nus *conf. 13. num. 1. lib. 1.* Id tamen perabsurdum est; nam quantitatis commensuratio non potest desumi a qualitate, ut philosophi docent: perpetua enim utilitas, vel non perpetua, partim ad quantitatem pertinet, partim ad durationem, quæ est alterius generis, ac ea quantitas, quæ consideratur in impensis & pecunia. Verius itaque puto, magnas, aut modicas impensis debere arbitrio Judicis definiri, habito respectu ad quantitatem dotis, argumento ex *I. res bona fide*, *ff. de contrab. emt.* & *I. scio*, ubi Albericus, *ff. de in integr. restit.*

VII. A ceteris fructuariis pater distat; quoniam hic ut legitimus administrator potest pro filio stipulari, & in adventitiis acquirere, ex.gr. servitutem in beneficium filii, *Glossa*, *Bartolus*, & *Jason* communiter recepti in *I. quod dicitur*, *ff. de verb. obl.* Quin etiam filio sacris paternis soluto pater utilem actionem acquirit, ut nota^t *Castrensi*. & *Jason* ex tex-tu in *I. quodcumque 45. §. 1. ff. cst. tit.* Quocirea multo magis cum stipula-tur de bonis adventitiis filii in potestate, in quibus etiam ipsius patris utilitas versatur.

At vero secus est in aliis fructuariis, qui servitutem fundo acquire-re prohibentur, quod constat ex *I. sed et si quid*, §. *fin. ff. de ususfr.* in hac verba: *Fructuarius quidem acquirere fundo servitutem non potest, resistere autem potest: & si forte fuerit non utente fructuario amissa, hoc quodque nomine tenebitur.*

Verum licet constet, proprietarium posse fundo servitutem acquire-re & fructuario invito: eodem autem invito nec imponere, nec amittere posse, d. §. *fin.* ardua tamen quæstio est, utrum proprietarius fructuario consentiente, servitutem fundo queat imponere.

Et quidem communis opinio est, fructuarium non posse assentiri proprietario, qui servitutem fundo velit imponere; nisi talis servitus sit, quæ usumfructum admodum deteriorem non faciat, veluti si vicino con-cedatur, Jus sibi non esse altius tollere: ita enim quam minimum usus-fructus læditur, & in hanc fructuarium consentire potest: in aliis vero ser-vitutibus duris, & usumfructum immodice lædentibus, nec proprietarius imponet, nec fructuarius legitimate consensit. Ita *Glossa*, *Fulg.*, *Alciatus*,

& alii communiter in d. l. sed & si quid, §. fin. cum l. seq. ff. de ususfr. qui ita ibidem aperte decisum volunt. Verba enim Ulpiani in d. §. ult. sunt *Proprietatis autem dominus, ne consentiente quidem fructuario, servitutem imponere potest.* Huic regulæ ab Ulpiano proposita exceptionem addit Paulus in seq. l. nisi per quam, his verbis: *Nisi per quam deterior fructuarii conditio non fiat.* Ex quibus restringitur vulgare dicterium, quod quilibet Juri suo renunciare potest.

Causa hujus decisionis difficultis inventu videtur. Plane Curtius Ju-
nior in l. pen. num. 37. C. de paciis, hujus mirabilis constitutionis ratio-
nem se asequi non posse fatetur. At Fulgentius, & Alciatus eam reddi-
dere, quia servitutem imponere, nisi perfecte dominus non potest, l. 2.
ff. de servitutibus, ubi Ulpianus habet, unum ex dominis communium
edium, servitutem imponere non posse; ideo ergo proprietarius & fru-
ctuarius simul servitutem constituere non possunt, quia neuter eorum
perfecte dominus est.

Sed hac ratio facile retorquetur, ut recte notat Pinellus hic s. 74.
Nam cum dicitur unum ex pluribus dominis servitutem fundo commu-
ni imponere prohiberi, id intelligitur, cum ceteri vel ignorant, vel re-
pugnant. Nam utique si aliorum consensu accedat, etiam ex inter-
vallo, servitus recte constituetur; quo casu plures domini haberentur,
ut unus, ex consenu, ut expresse habetur ex Paulo in l. receptione, ff. com-
muniæ præteriorum. Ergo in nostra specie, eti propretarius, ignoran-
te, vel invito fructuario servitutem prædio constituere nequeat, pot-
est tamen, quoties ipsius fructuarii consensus accedit.

Itaque mihi videtur rationem pendere ex natura ipsius ususfru-
ctus, in quo scilicet rei forma immutari non potest. Nam impense no-
tandum est, non euiscunq servitutis impositionem denegari propri-
etario cum fructuarii consensu, sed solum talis servitutis, quæ usumfru-
ctum per quam deteriorem faciat, d. l. nisi per quam. Hoc autem nono vide-
tur aliud denotare, nisi servitutem, quæ usumfructum immutet, mi-
nuat fructus, libertatemque utendi. Nam ususfructus talis ferè conserva-
si debet, qualis fuit receptus: &, si non potest melior & uberior fieri,
veluti ædificium inchoatum consummando, l. ususfructuarii 61. §. edi-
ficiu, ff. de ususfr. quanto magis non poterit deterior fieri? Regula igi-
tur quæ ait, quemcumque possè Juri suo renunciare, locum habet quo-
cies quis renunciando rei naturam non laceret, aut contra Juris regulas
non faceret. Ita Clericus non potest exceptioni fori renunciare, cap. se
diligenti, de foro competenti: nec quisquam aliis, ubi de præjudicio Juris
communis agitur, l. Jurisq. §. pen. ff. de paci. l. nra dubium, C. de legibus,
Nro. 51.

Male ergo Connarus 4. commiss. 3. decisi. d. §. ult. duram putavit,
ac veluti duram nixus est interpretando immutare, cui se comitem ad-
juauit Pinellus hic s. 74. Vult ergo Connarus responsum Ulpiani esse

affirmativum, hoc scilicet modo, *Proprietatis dominus, ne consentientia quidem fructario* (hoc est, licet ususfructarius non consentiat) servitatem imponere potest. Quia autem, ait ipse, ea Ulpiani decisio in uniusversum videbatur dura, & contra Juris rationes, quia ususfructarius invitus gravatur, ideo intelligit ex sequenti responso Pauli restringi, ut procedat tantum, quando servitus nullum incommodum fructuario afferat; & particula *Nisi*, accipiatur pro dumtaxat; ut eo modo ex utroque textu resulget una decisio, quae habeat, proprietarium, etiam non consentiente fructuario, posse servitutem fundo imponere, eam dumtaxat, per quam fructuario nullum dampnum inferatur.

Quae interpretatio pluribus de causis rejicitur. Primo enim, si hoc diceret Ulpianus ibi, posse scilicet dominum proprietatis servitutem fundo imponere, fructuario nequidquam repugnante, esset loquax, & sibi contrarius, nam jam de hac re egerat in principio *d. 5. ultimi*, Cur ergo in fine eandem rem iterum aggreditur? deinde in principio contrarium statuerat, in hac verba: *Sed nec servitutem imponere fundo possit proprietarius, nec omittere servitatem.* Ubi palam sermo est de solo proprietario, repugnante scilicet fructuario: nec naturaliter ea verba intelligi possunt, ut facile attendenti patet. II. rejicitur ex usu linguae latine; nam particula, *ne quidem*, refutatur in *non et si*; itaut, *non*, afficiat verbum, potest, ut est in nostra species est vero referatur ad proxima nomina, hoc est, *ususfructario consentiente*. Nisi autem pro *dumtaxat* non reportur. Quare Pinethus recte ad hanc Coniam responsonem seu interpretationem non acquievit: sed alio configit, & textum correxit, addita alia particula negativa, scilicet ut duæ negative affirmarent. Sed id adeo inepte facit, ut rejici non mereatur. Verum antequam ulterius progrediamur, sic.

An, & quando ususfructus sub dominio comprehendatur.

Q U E S T I O U N I C A.

Vtricet sunt in hac re opiniones ob leges sibi invicem adversantes. Nam Paulus in *l. ususfr. 4. ff. de ususfr.* haec verba habet: *Ususfructus in multis casibus pars dominii est.* Quae lex non solum obscura est, cum non explicet, quinam isti casus sint, in quibus ususfructus est dominii pars, verum etiam palam videtur contraria eidem Paulo in *l. recte dicimus, ff. de verb. signif.* ubi habetur: *Recte dicimus, eam fundum totum nostrum esse, etiam cuius ususfructus alienus est: quia ususfructus non dominii pars, sed servitutis sit, et via, & iter.*

Prima opinio post antiquiores est Bartoli, & Alexandri in *l. qui usum*

DE BONIS MATERNIS;

usumfructum, ff. de verb. oblig. Aretini cons. 159. ad finem, qui distinguunt inter usumfructum unitam proprietati, & usumfructum ab eadem distin-
ctum, & sejunctum. Docent itaque in priori casu usumfructum esse do-
minii partem: nam dominium plenum, ut vocant, ex duabus partibus
componitur, & coagmentatur, quarum una est proprietas, altera usus.
fructus. In posteriori autem casu usumfructum dominii partem esse ne-
gant, cum sit servitus: & tunc recte dicimus totum fundum esse no-
strum, etiam cuius ususfructus alienus sit. Illum vocant usumfructum
formalem, hunc causalem, ut in Institutionibus explicatum est lib. 2.
nam negari non potest dominum uti frui re sua, non quidem Jure servi-
tutis, sed Jure dominii: & Cicero lib. 7. ep. ad Curium ait, id cuiusque
esse proprium, quo quisque utitur, fruitur.

Quæ responsio facile rejicitur ex ipsa l. 4. ubi dicitur, usumfructum
in multis casibus esse partem dominii: at e contrario DD. supracitati,
usumfructum in uno tantum casu dominii partem faciunt, cum scilicet
est proprietati conjunctus. Ut interim præterea, non fieri verisimile
Paulum in dicta lege loqui de usufructu, qui proprietati copuletur,
cum in toto eo ff. t. t. semper, & ubique sermo sit de illo tantum usufruc-
tu, qui servitus est.

II. Opinio docet, usumfructum dici partem dominii in multis casi-
bus, id est habere similitudinem dominii: quia vere in multis casibus fru-
ctuario aliqua conoeduntur, quæ regulariter rei domino congruunt, nec
videtur, nisi domino competere. Ita post Gloss. Bald. & Fulg. in d.l. 4.
Alciat. in d.l. recte num. 7. Connarus 4. coement. 3. & 6. Verum multum
se torquent in tradendis casibus, in quibus fructuarius domino assimile-
tur. Sed hi magis recepti sunt. I. quod ususfructus in parte rei constitui
potest, l. 5. ff. de usufructu, quod quidem in dominio locum habet, non
item in aliis servitutibus, l. pro parte, ff. de servitut. II. quod per legem
Falcidiam diminui potest, l. hereditatem, ff. ad legem Falc. qua in re etiam
cum dominio convenit, & a ceteris servitutibus disconvenit, quæ mi-
nui nequeant, l. i. §. si usufructus, ff. cit. tit. III. Quia plures heredes
in usufructu pro partibus hereditariis remanent obligati, ut accidit in
dominis; cum e diverso in aliis servitutibus omnes in solidum tenean-
tur, l. 2. ff. de verb. oblig. l. loci, §. si fundus, l. si forte, §. si aedes, ff. si servitus
vindicetur. Hi omnes tres casus ab unica Juris ratione pendent, quia
usufructus dividuus est, ceteræ servitutes individuae, d.l. i. §. si usufruct.
ff. ad l. Falc. Vide Hotomannum qq. illustrium 18. Tandem fructuario ca-
vetur de damno infecto, uti domino, l. usufructu legato, §. i. ff. de usu-
fructu, l. qui bona, §. superficiarum, ff. de damno infecto. Alios casus ad-
dit Glossa in d.l. 4. qui tamen ad rem non faciunt, ideo omittimus.

Verum neque haec responsio aridet; quia Paulus dicit usumfru-
ctum in multis esse partem dominii: isti vero docent usumfructum in
multis assimilari dominio. Quæ duo longe distant: nam similitudo est in

gc.

genere qualitatis: pars vero in genere quantitatis, in quo etiam est totum, cui pars refertur. Itaque etsi verum sit, usumfructum in casibus praedictis aliquam cum dominio similitudinem habere; non propterea tamen sit satis Paulus, qui dicit, illum esse dominii partem.

III. Sententia est Vigilius Zuichemi in §. alienus, Institutionib. de hered. instituendis, qui considerat, usumfructum aliquando esse in corporum perceptione, ut si constituantur in agris, in grege: nam tum fructuarius ex agro percipit fructus, in grege percipit foetus, qui non sunt Iesu, sed corpora, *i. vaccae, f. de evictio*. Isto ergo casu: ususfructus pro domini parte haberi potest, cum fructuarius plene sibi & fructus, & foetus acquirat. E diverso usumfructum aliquando esse sine corpoream perceptione, uti est in ususfructu aedium, & dominii pars non erit. Nam si ususfructuarius ipse sedes inhabitet, non corpus ullum percipiet, sed Iure utetur: verum si easdem locet, pensionem a conductore accipiendo, videretur etiam corpus percipere. Quare tunc etiam ususfructus pars dominii erit. Et ita mihi videtur, vel intelligendus, vel explicandus. Vigilius in praedicto loco: etsi ipse generatim loquatur, dicendo in ususfructu aedium partem domiaii non considerari.

Et haec opinio recipi potest. Quod si objicias, textum in d. l. responde, loqui expresse de fundo, & tamen assere totum fundum nostrum esse, etiam cuius ususfructus alienus sit: respondetur hoc debere intelligi, cum ususfructus consideratur respectu ipsius fundi, ut palam textus loquitur: sed ut vero, si accipiatur respectu corporum, quae ex fundo percipiuntur.

De prohibita patri alienatione in bonis filii, qua administrat.

P A R S III.

Tandem in nostra lege 1. restringitur potestas patri concessa in administracione bonorum adventitiorum filiifamilias, ne scilicet pater ea possit alienare ullo modo; itaut filio usucatio ab emtore objecta non obstat: & filio quounque tempore salvum & integrum sit Ius res alienatas vindicandi. Sed antequam haec omnia explicemus, libet hic proclariori rerum dicundatum intelligentia non nihil divagari, & de alienatione altius sermonem ordiri. Sit ergo.

De natura alienationis.

C A P. I.

Alienationis nomen varie cum in Jure civili , tum canonico usurpatur . Vulgo putant , alienationem tunc tantum esse , cum dominium transfertur , ex l. i. C. de fundo dotali . Hinc est , quod qui rem suam vendit , ante traditionem non dicitur proprie alienare ; nam adhuc non est dominium translatum , sed apud venditorem ipsum manet , *l.alienatum* , ff. de verb. signif. & qui occasione acquirendi non utitur , nec etiam alienare intelligitur , non enim propterea dominium transfert in aliquem , cum nullum habuerit , *l.alienationis* , §. i. ff. cit. sit. quocirca non dicitur fecisse in fraudem creditorum , qui hereditatem sibi relictam non adit , aut legatum non agnoscit , *l. qua autem* , ff. *qua in fraudem cred.* E contrario autem , qui rem suam ab alio usucapi sinit & permittit , pro alienante habetur , *l.bona fides* , §. *veluti* , ff. de acq. rer. dom.

Verius tamen est , alienationem esse non solum cum dominium transfertur , sed etiam cum dominium amittitur sine translatione : ut aperte probatur ex d. *l.alienationis* , in hæc verba: *Ex quoque alienare dicimus, qui non utendo amissit servitutem*. Constat servitutem ita amissam extingui , nec ejus dominium transire in alium , & multo minus in proprietarium , cui res sua non servit . Alienat ergo amittendo dominium , licet non transferat .

Hæc questio utrum alienatio sit aliquando sola dominii desitio antiquos etiam Jurisconsultos , ut mihi videtur , sollicitos habuit : quod colligo ex duobus .

I. Quia apud ipsos disputatum est , num res pro derelicto habita , statim desinat domini esse , antequam ab alio possessa fuerit ? Qua in re invicem adversati sunt Proculjani , & Sabiniani . Proculus enim voluit , non desinere domini esse , donec ab alio non possideatur : & hoc non alia de causa , nisi quod putabat , non posse dominum res suas alienare , nisi simul in alterum transferat ; nam rem pro derelicto habere species est alienationis , DD. in d. *l.alienationis*: Sabinus tamen cum assecula Juliano , dum ediverso opinatur posse alienationem in sola dominii desitio consertere , docuit rei pro derelicto habitæ statim dominium amitti , licet non fiat alterius , nisi possessa fuerit . Idem docuit Cassius . Quare hæc sententia obtinuit , uti patet ex Paulo in l. 2. ff. *pro derelicto* , Ulpianus in *l.falsus creditor* , §. *qui alienans* , ff. *de furtis* , & tandem ex Justino in §. *qua ratione* , *de rer. divis.* Idem in simili habetur in d. *l.alienationis* , ut jam notavimus .

II. Quod hoc etiam in possessione disputatum est , utrum possit quis rei

rei possessionem ita amittere , ut alteri non queratur : quod tractat Celsus in *I.quod meo* , §. si furioso , ff.de acq.peß. veluti si furioso , quem sa- nae mentis esse existimas , eo forte , quod in conspectu inumbratae quietis fuit constitutus , rem tradideris . Et decidit Celsus , quod licet ille non sit adeptus possessionem , quæ sine affectu & animo non acquiritur , tu possidere desiris . Quæ fuerit ratio dubitandi , nesciunt Interpretes : nos dicimus eam omnino pendere a questione proposita , num scilicet possit quis alienare absque eo , quod alter acquirat : nam amissio possessionis etiam est alienatio , *I.fin. C.de reb.alien.* Quare Celsus , qui credidit id fieri posse , necessario etiam docuit amitti possessionem tradendo rem alte- ri , et si is eam non acquirat , d.*I.quod meo* , §. si furioso . Cujus rei con- trarium ob contrarium scilicet rationem habetur in *I.si me in vacuam* , *in fine secundi responsi* , ff.de acq.peß.

Hoc tamen distant dominium & possessio , quod possessio nuda vo- luntate amittitur , dominium non item , sed præterea adhibenda est vel traditio in alterum , vel usucatio , vel derelictio , *I.si quis vi* , §. differen- tia , ff.cit.tit. Vera discriminis ratio est , quod possessio est magis facti , dominium magis Juris , *I.i. §. i. cum seq. I.possessio quoque* , §. i. ff.cit.tit. Ea autem , quæ sunt facti , & magis naturalia , ex consensu nostro fere pendent ; cum civilia , & ea , quæ sunt Juris , non tam ex voluntate , & consensu nostro , quam ex præscripto Juris & legum pendent , ut la- te notat Giphanius ad d. §. differentia . Quocirca falluntur quotquot pu- tant id factum esse , quia possessio est res vilis , dominium pretiosa , con- tra textum in §. retinenda , *Institutionibus de interditis* . Aliter respon- dent Zasius lib.2. intellectuum singulium , & Connarus 3. comm.9.

Hinc ergo probatum remanet , quod asserebamus , nimirum posse quem res suas alienare , etiamsi alter non acquirat ; si enim hodie jam certi Juris est , dominum , qui rem suam pro derelicto habet , statim dominium amittere , et si statim res alterius non fiat ; consequens omni- no fit , ut dicamus alienationem dupliciter fieri posse , vel per simplicem dominii desitionem , ut accidit in derelinquenti , vel per ejusdem transla- tionem . Rationem autem , cur ita statutum sit , eam puto , quod sicut quis potest acquirere absque eo quod alter alienet , ut accidit in occupa- tione : ita e diverso poterit quis alienare absque eo quod alter acquirat , Omnia enim , quæ Jure acquiruntur , contrario Jure pereunt , *I.omnia* , ff.de reg.Jur.

Solet etiam alienationis nomen latius accipi , prout comprehendit non modo dominii , sed etiam Juris cuiuscunquam translationem , sive desi- tutionem . De delitione patet ex d.*I.alienationis* , ff.de verb.sign. ubi qui ser- vitutem non utesco amittit , dicitur alienare : De translatione habetur in *I.sancimus* , *C.de reb. alienis non alienandis* , ubi sive lex alienationem inh. buerit , sive testator , sive pactio contrahentium , intelligitur pro- hibita etiam ususfructus datio , hypotheca , pignoris nexus , servitu-

tis inpositio , & emphyteusos contractus .

Verum de hypotheca DD. distinguunt, ut si agatur de materia odiosa , ubi stricta fit interpretatio , nomine alienationis non complectatur: quare accusatus de crimine , ex quo bona fisco devolvantur , quamvis alienare non possit , licite tamen hypothecam contrahet . Secus si versemur in re favorabili , in qua alienatio hypothecam comprehendet . Ita Cynus , Baldus , aliquique in d.l.sancimus , Alexander conf.29. num.51. lib.2. Anton. Fanensis de pign. par.2. memb.3. num.59. Quae distinctio licet vulgo recepta sit , tamen facile falsa videtur ex ipsa l.sancimus , ubi generatim , & citra distinctionem ullam , sancitur nomen alienationis a quoconque prolatum , hypothecam includere . Et ratio est , quia Iuris translatio pro alienatione habetur , cuiusmodi utique est hypotheca . Ita recte Alciatus in d.l.alienationis , ff. de verb. signif. & alii apud Ti- raquellum i. de retracta , §.1. gl.18.

Probabilius est , quod alii tradunt distinguendo inter hypothecam generalem , & specialem , ut scilicet generalis non comprehendatur sub alienationis prohibitione , specialis vero secus , Covarruvias var.16. Redoanus de reb.Eccles.non alien. q.2. cap.6. Molina de contractib.disp.466. Quod patet primo , quia generalis hypotheca non omnem tollit administrandi potestatem , & vendendi : unde est , quod qui speciali hypothecæ servum supposuit , prohibetur eundem libertate donare : at vero qui generaliter omnia bona sua hypotheca obstrinxit , servum recte manumittit , l. etiam , l. pen. ff.in quibus causis pignus , l.1. C. de servo pignori dato . Deinde patet expresse ex cap.nulli liceat , de reb.Eccles.non alien. ubi dicitur : Nulli liceat alienare rem immobilem Ecclesia sue , neque specialis hypotheca titulo obligare : quocirca licitum erit generali hypothecæ supponere : nam qui unum includit; cetera excludit; & sane nunquam Concilium ibi specialis tantum hypothecæ meminisset , si generalis. quoque sub alienationis nomine esset comprehensa , ut recte communiter Canonistæ in d.cap.observant; quamvis repugnet Stephanus Quaranta in Summa bullarum , v.alienatio .

Illud in dubio est , quid sibi velit Concilium in d. cap.nulli , cum inter modos alienandi computat Conditionem . Id adeo videtur obscurum , ut plurimi pro conditione putaverint legendum Conductionem , quæ de Jure Canonico , si ultra triennium fiat , pro alienatione habetur , Extrav.ambitiose.de reb.Eccles.non alien.cap.ad audientiam, cit.tit. Quæ correctio rejici omnino debet , cum sit contra omnium librorum fidem . Præterea nunquam Jura Canonica cum de locati contractu inter species alienationis loquuntur , simpliciter de ipso meminerunt , ut hic fieret , si correctio admitteretur : sed semper addunt tempus , veluti , locando in perpetuum , vel ultra triennium , ut in d.Extrav. & in d.cap.ad au- dientiam , patet . Adde , quod non debuisse dici Conduçtio , sed Loca- tio ; nam Ecclesia potest res conductere ultra triennium , licet nequeat

locare; locamus enim res nostras, conducimus res alienas:

Placet itaque, quod ajunt Innocentius, Andreas, & alii apud Redoanum citat. *quest. 2.* Concilium nomine *Conditionis* comprehendit contractus, quibus non dominium, sed Jus in rem transfertur: nam deinde enumerat modos, quibus dominium transfertur, & insuper *emphyteusim*. Verba enim legis sunt: *Alienationis autem verbum consistit conditionem, donationem, venditionem, permutationem, & emphyteusim perpetuum contractum*. Itaut Prælato non solum prohibetur servitutem fundo Ecclesie imponere; sed neque etiam conditionem, aut onus nullum, veluti tributum, aut novum censum, ut patet ex cap. i. cum seqq. de censib.

Jam ex hactenus dictis colligi potest, quæ sit vera alienationis definitio, nempe, Est dominii, vel Juris translatio, aut desitio. Illud non omissendum, alienandi verbum in Edicto Proconsulis de alienatione judicis maritandi causa facta, specialia quedam habere, de quibus vide in *l. item si res, §. potest, & l. ex hoc edicto, §. alienare, cum seqq. ff. eod. tit. Verum, ut quæ hactenus dicta sunt, clarissim innoscant, nonnullas hic questiones ad examen vocabimus.*

Utrum sub prohibitione alienationis comprehendatur usucapio, & præscriptio.

Q u o d s i v i o . I.

Quam difficilis, & involuta sit haec controversia; patet vel ex his, quæ Pinellus assert, & disputat in *ant. n. i. tricennale a n. m. 24.* hoc nostro titulo, ubi plurimos adducit, qui contendunt prohibita alienatione, etiam usucaptionem, & præscriptionem prohiberi, cum e contrario alii contra pugnant, quibus ipse accedit. Inter has tricas mihi videtur amplectenda opinio Cujacii ad Paulum in *l. alienationis, ff. de verb. signif.* qui distinguit ita, ut qui prohibitus est alienare, nequeat pati bona usucapi vel præscribi; nam in patiendo videtur alienari, & incidit propter ea in commissum: at vero interim usucapio valet respectu ejus, qui usucapit; nisi a lege speciatim ipsa usucapio in alicujus favorem nulla declaretur. Regulam, & exceptionem probabimus.

Probatur regula ex Triphonino in *l. si fundum, ff. de fundo dotali*; ubi maritus, qui ob negligentiam permittit fundum mulieris dotalem usucapi ab alio, *rem*, ut ait textus, *periculi sui* facit. Id autem est temerari, tanquam si alienasset, de suo uxori damnum resarcire: neque enim usucapio irritatur, sed sibi constat; quippe lex Julia, ut subdit Juris.

consultus , non interpellat eam possessio nem , qua per longus tempus suis ; hoc est , usucaptionem non irritat . Constat ergo , quod dicebamus , usucaptionem valere , & usucipientem sibi rem acquirere; at eum qui usucapi permittit , incidere in commissum , & ex bonis suis illatum damnum reficere .

Ita quoque intelligendus est textus in *I.alienationis*, ff.de verb. sign. ubi qui patitur usucapi , vix est , ut non videatur alienare ; qui textus , ut Cujacius notat , desuinctus est ex Paulo lib. 23. ad edictum , in quo de judicio familie erescundas , & communis dividendo agebatur . Sensus itaque est , quod si alius ex heredibus , vel sociis , qui bona communia possident , patiatur rem usucapi , plebitur pro alienante : nam in judicio familie erescundas , vel communis dividendo , tenetur sociis , vel coheredibus tantundem de suo præstare , argumento ex *I.13. cwm s. q. ff. 28. mil.ercisc.* & ex *I.1. ff. communis dividendo* .

Nec aliud habet Scævola in *I.Sricha*, ff.de usufruct. legato , ubi si negligente eo , cui injunctum est fideicommissum , fundus obnoxius usucapiatur , usucipienti quasiitus dicteur . Ergo usucapio valeat ; & nihil minus ambigi non potest , heredem fideicommissio gravatum obligari fideicommissario ad damnum reficiendum , *I.fin. §. sed quia* , *C.communis de leg.*

Hoc sensu potest recipi , quod vulgo tradunt DD:de rebus litigiosis . Res nempe litigiosas alienari non posse , tot.tit. *C.de litigiosis* ; easdem tamen usucapi posse docent per textum in *I.1. C.de præscriptione longi temporis* , ibique Paulus ad finem , Tiraquellus de primogen. q.30. num.3. Nam in d.I.1. solum habetur eum , qui longo tempore præscriptus , non esse inquietandum ; nec propterea sequitur eum , qui præscriptionem post litem motam permisit , non plecti , & pro alienante non haberi . Hæc dicta veluti pro communis interpretatione d. I.1. nam ceteroqui verior mihi videtur interpretatio Accursii , qui ibi putat rem non fuisse amplius litigiosam , utpote quæ dicitur transisse ad novos dominos post motam quidem litem , sed omissam : ae ita omissam , ut jam viginti anni transierint .

Idipsum est de Jure Canonico in fundis Ecclesiasticis , qui licet alienari non possint , in eis tamen Jure subsistit præscriptio & usucapio , cap. de quarta , cap.ad aures , de præscriptionib. Subsistit , inquam , in quantum ad usucipientem ; nam prælatus , qui rem usucapi passus est , damnum Ecclesie resarcire tenetur , communiter Canonistæ in rub. de reb. Ecclesie non alienantis . Illud in Ecclesia speciale est , quod contra præscribentem , ex causa justæ ignorantiae potest intra quadriennium impetrare in integrum restitutionem : quod quidem tempus initio est utile , hoc est non fuit , nisi a dic , quo Ecclesia scivit & comperit usucaptionem esse completam : ubi vero jam cœpit fluere , est continuum , Glossa in cap. i. de in integrum restit. Immo Canonistæ frequentes docent , Ecclesia Romanæ

māne Jus istud, seu legis auxilium, intra centum annos competere. Vide late Aymonen Cravettam, de antiquit. tempor. par. 4. per tot. Decimum conf. 29. Alexand. conf. 105. lib. 2. quod est contra Boer. decis. 36. qui Ecclesiæ Romanæ nullum Jus, nisi intra quadriennium concedit.

Exceptio tandem probatur ex pluribus. Nam in l. 2. C. de usucacione pro emtore, habetur prohibitionem alienationis a testatore factam ex urgenti causa, impedire usucacionem, veluti si servos propter perfecionis artis notitiam vetuerit ab herede suo distrahi. Ita etiam res a pupillo sine tutoris auctoritate distractæ nullo capiuntur temporis usu, etate pupillari durante, *I.eum qui a pupillo*, C. cit. tit. et si putaverim pupillis licere res suas sine auctoritate tutoris administrare: quia Juris error nulli prodest. Secus si error sit facti, ut si pupillum puberem putem, quo casu plus non est in re, quam in existimatione, l. 2. §. si a pupillo, ff. de emtore. Ita pariter in nostra l. 1. patri legitimio administratori prohibetur rerum filiifam. alienatio, adeo ut accipienti nulla proposita usucacio: de qua tamen re infra latius. Ex his omnibus confirmatur quod supra dicemus, non esse satis prohibitionem alienationis ad hoc, ut res usucapi nequeat, nisi specialis legis prohibitio de usucacione ipsa accedit. Et sic intelligatur oportet textus in l. ubi lex, ff. de usucacionib. ubi non dicitur prohibita alienatione prohiberi usucacionem, ut Bartolus, & reliqui ibi somniant: cum tantum dicat prohibita in specie usucacione nullo casu usucapi posse. Verba legis sunt: *Ubi lex inhibet usucacionem, bona fides possidenti nihil prodest.*

An qui occasione acquirendi non utitur,
dicatur alienare.

Q U A S T I O I X

Hic separanda est hereditas a legato, etiæ vulgo DD. hæc omnia nesciant, & involvant; quippe diversa ratio est in uno casu, atque in altero, ut jam palam faciemus.

Dubium itaque nullum in hereditate est; nam leges ad unam omnes palam docent, repudiationem hereditatis non esse alienationem, hoc est eum, qui hereditatem sibi relictam non acquirit, nulli aut homini, aut legi fraudem facere, l. si sponsus, §. si maritus, ff. de donatio. sib. inter vir. l. qui autem, §. unde, ff. qna in fraudem creditorum, l. alienationis, §. 1. ff. de verb. signif. Ratio, cur difficultas in hereditate locum non habeat, dependet ex eo, quod hereditas non sit nostra, nisi per aditionem, ut propterea qui eam ante aditionem repudiat, nullo modo dici possit alienare, cum Jus non sit quæsumum, sed quærendum. Unde hereditas nondum adita non est in bonis nostris, argumento ex l. pretijs

re-

verum, ff. ad l. Falc. l. cum quidam, ff. de Jure fisci . Stet ergo in hac parte regula . Cum agitur de Jure querendo , qui occasionem acquirendi omittit, pro alienante non habetur, veluti si quis rem mihi offerat, quam se donare ait , & eam ego accipere nolim , utique non alieno : quippe de Jure querendo agebatur , Alciatus in d.l.alienationis .

Tota itaque difficultas versatur in legatis , ubi videtur agi de Jure quæsito , cum legatum statim a morte testatoris dicatur legatario quæsitum ipso Jure , sine ullo legatarii facto , l.a Titio, ff. de furtis . Hic leges sibi invicem adversantur . Nam Ulpianus in l.magis pato , §.fundum, ff. de reb.eorum , afferit quod alienat , qui legatum repudiat, in hæc verba: *Fundum legatum repudiare pupillus sine Prætoris auctoritate non potest . Eſſe enim & banc alienationem , cum res sit pupilli , nemo dubitat .* Ubi Jurisconsultus , ut appareat , rationem reddit , ut in hoc casu alienatio habeatur , quia , inquit , *res est pupilli : hoc est legatum jam a morte testatoris pupillo quæsitus est ipso Jure . Id sequuntur Jason in l.legatum, ff. de leg. i. Soccinus conf.189. & ex Canonistis Laurentius de Rodulfis in can. fine exceptione 12. q.2. Zabarella in Clem.gratis, de rescripti.*

Contrarium tamen afferit ab eodem Ulpiano in l.i. §.utrum , ff. quid in fraudem patroni , ubi habetur , Favianam actionem cessare , si liberus in fraudem patroni legatum repulerit, hoc est non posse patronum actione Faviana revocare repudiationem legati a liberto in fraudem suam factam . Et rationem addit Ulpianus : *Quamvis enim , inquit , legatum retro nostrum sit , nisi repudietur , attamen cum repudiatur , retro nostrum nou fuisse palam est . Concordat idem Ulpianus in l. qui autem , §. sed & illud , ff. quæ in fraudem ereditorum : Sed & illud probandum est , si legatum repudiorit , cessare hoc editum , quod Julianus quoque scribit .* Et tandem in l. si sponsus , §. si maritus heres , ff. de donationib.inter virum , docet Ulpianus etiam posse maritum repudiare in favorem uxoris non modo hereditatem , sed etiam legatum . Hanc opinionem amplexi sunt Roman. conf.83. Crot.conf.119. Federicus de Senis conf.9. Ex Canonistis Innocentius , Geminianus in cap. dudum , de reb. Eccles. cum aliis apud Puteum dec.219. lib.2.

Sed nostrum opus est videre , quæ via ad leges has conciliandas possit iniri . Primo ergo quidam opinati sunt , cum Ulpianus ait legati repudiationem pro alienatione non haberi, intelligi cum id sit ante hereditatem aditam , quo casu rei legatæ dominium vere quæsitus non est , sed quærendum . E contrario , si hereditas jam adita sit , quia legati Jus videtur jam quæsitus , repudiatio ejusdem alienatio erit . Sed hæc antinomia conciliatio facile admitti non potest , ut recte Accursius observat , non modo , quia divinat , sed etiam , quia ante hereditatem aditam legatum non recte repudiatur ; quandoquidem repudiatio est Juris delati , sed nondum quæsiti , hoc est earum solum rerum , quas in arbitrio nostro est acquirere , vel non . Juris autem quærendi nulla repudiatio est ,

It, cum repudiare sit idem, ac dicere nolle se id acquirere; ejus autem est nolle, cuius est velle, *i.nolle, ff.de acq. hered. l. qui potest, §. 1. ff.de reg. Juris.* Quare cum in Jure querendo dicere non possimus velle, ita neque nolle, hoc est repudiare. Sic ergo legatum sub conditione relictum nequit rejici, apposita conditione nondum existente, quia acquirere non possumus, et si velimus, *l.si ita scriptum, §. sub conditione, ff. de leg. i.* Id ipsum est in hereditate conditionali, *l. si qui heres, ff.de acq. hered.* veluti etiam si testator adhuc mortuus non sit, *l. qui superstitis, ff. cit. tit.* Unde regula est, Juris futuri repudiatio nulla est, nisi referatur ad id temporis, quo delatum erit, *DD. in cap. quamvis partum, de paciis in 6. & in l.i. C. de paciis.* Itaque si ante hereditatis aditionem legati Jus non est delatum, ut volunt, consequens omnino sit, ut nec repudiari possit.

Alii ergo conciliationem harum legum a Jure antiquo petunt, distinguendo inter legatum vindicationis & damnationis. Nam in legato vindicationis verum erat, quod statim a morte testatoris, recta via rei legatae dominium in legatarium transferretur: ex quo legatario vindicatio, seu in rem actio, illoco competebat, Ulpianus in *fragm. tit. de legatis*, uti est explicandus textus in *l.a Titio, ff.de furtis.* Secus erat in legato damnationis, quod non transferebat legatae rei dominium, sed tantum conditionem, seu personalem actionem ex testamento, quod idem Ulpianus docet, & notant *DD. ex l.si quis bonorum, ff. de leg. i.* Hinc est, quod olim non res quaecunque poterant per vindicationem legari, sed illae solum, quae testatoris essent: res vero alienae, vel quae futurae sperabantur, legati non poterant, nisi per damnationem, propterea quod illarum dominium nequibat statim, & ipso Jure in legatarium transcribi, ut explicatum est in *Institutionib. tit. de legatis.*

Hinc facile nodus antinomiae dissolvitur. Nam textus in *l. magistrato, § fundum*, locum habet in legato vindicationis, cuius cum dominium sit a morte testatoris quæsitum, utique nequit repudiari, quia alienatio non fiat, hoc est dominii translatio. Et sane Ulpianum de hoc legato ibi loqui, aperte patet ex ratione, quam addit, dicendo legatum jam quæsitum esse legatario seu pupillo: quod, ut notavimus, non nisi in vindicationis legato accidit. Haec est causa, cur ibidem Jurisconsultus dicat, *Nemo dubitat.* Nam clarissimi Juris est in repudiatione rei quæsitæ alienationem contineri. At e contrario in *l.i. §. utrum*, cum concordantibus, sermo habetur de legato damnationis, cuius repudiatio pro alienatione non habetur, quia per ipsum nullum Jus in rem, seu dominium in legatarium translatum est.

Verum licet ex novo Jure Justinianeo in *l.i.C communia de legatis*, statutum sit omnium legatorum eandem vim esse, ita ut ex quovis legato non solum hypothecaria, & personalis actio, verum etiam vindicatio concedatur; tamen hoc intelligamus oportet, cum id rei natura patitur.

tur. Nam utique in legato rei alienæ , in legato generis , optionis , rem quæ futuræ sperantur , nequit ullo modo dici dominum statim esse transcriptum in legatarium : & proinde ex his legatis interim nequit transferri , nisi actio in personam ex testamento . Quocirca in ipsis rebus procedet textus in d. s. utram , cum aliis similibus , scilicet , ut ipso-rum repudiatio pro alienatione non existimetur .

An prohibitus alienare extra familiam possit heredem extraneum instituere .

Q u a s t i o III.

Communis opinio in foro passim recepta docet , eum , qui prohibitus est extra familiam bona alienare , ceuseri etiam prohibitum instituere in his bonis heredem , qui de familia non sit : prorsus ut , qui secus fecerit , fraudem fideicommissio facere dicat . Ita Accurs. Bart. Alex. & alii in *I filius fam. §. divi 2. & in I. pater, §. fundum, ff. de leg. 1.* & in aliis Juris nostri locis , quæ infra adducemus , & explanabimus .

Sed in contrarium nititur Antonius Fab. 4. *conject. 6. & seqq.* qui contendit , facta simplici prohibitione , ne extra familiam alienetur , rebus posse extraneum heredem institui . Quod ex antiquis etiam voluit Angelus , notante Catelliano Cotta in *Memorab. Juris, v. alienatio* . Quæ sententia verior est .

Et I. probatur ratione , quia alienatio est actus , quo dominium transfertur vel definit: sed institutio heredis etiam extranei non est translationis , neque desitio: ergo non est alienatio . Minor propositio , in qua tota difficultas versari videtur , quam facilime probatur ex eo , quod in heredem dicitur dominium continuari idem , quod in defuncto fuerat , *I. cum heres, ff. de divers. praescript. I. in suis, ff. de suis & legit.* Quare defunctus & heres una omnino censentur persona , ut habetur in *autb. de Jure jur. a moriente praestito* . Quod sane ob necessariam Juris rationem introductum fuit , ne scilicet rerum hereditiarum dominium pro aliquo licet brevissimo tempore vacaret ; nam si hoc accideret , res fierent nullius , & occupanti essent concedendæ . Hinc ergo est , quod heridis institutio nequit per se dici alienatio , quæ translationem , vel desitionem dominii requirit , & in continuatione ejusdem locum habere non potest .

II. Probatur ex Papin. in *I. pto 71. §. fratre, ff. de leg. 2.* ubi proponitur fideicommissum his verbis conceptum , *Ne domus alienaretur , sed ut in familia relinqueretur* , quo loco palam ut diversa ponuntur , alienare , & in familia relinquere : quare Jureconsultus subdit : *Si non parcerit heres voluntati , sed domum alienaverit , vel extero herede instituto deserbit , omnes fideicommissum petent , qui in familia fuerint* . Ubi patiter

riter alienare , & exterum heredem instituere, disjunguntur per particulam , vel, que inter diversa poni solet, nisi aliud reperiatur expresse constitutum . Late DD. in *I. Lucias*, ff. de hered. instit. & in *I. generaliter* , §. cum antem , C. de institutionib.

III. Probatur ex vulgato Scævolæ responso in *I. pater* 36. §. quindecim , ff. de leg. 3. ubi patrona quindecim libertis prædiolum cum taberna legaverat , his verbis adjectis : *Sibique eos habere possidere volo ea legge , & conditione , ne quis eorum partem suam vendere , donare , aliudve quid facere alii velit. Quod si adversus ea quid factum erit, tunc eas portiones , prædiumve cum taberna , ad remp. Tusculanorum pertinere volo.* Illud accidit, quod duo ex his libertis emerunt partes collibertorum, ac deum extraneo herede instituto obierunt . Quæsitum est , an partes venditæ ad Rempublicam Tusculanorum pertinerent? Et Scævola respondet non pertinere , quia alienatio ex mente testatrix prohibita erat tantum in quantum ad extraneos , non etiam inter se.

Hactenus Scævola. Sed aliud hic dubium poterat oriri , num Respublica Tusculanorum petere posset ex fideicommissio partes libertorum non venditas , qui extraneo herede instituto deceperunt ? Ratio dubitandi est , quia testatrix non modo prohibuerat vendere , & donare ; sed alium omnem quemcunque ætum, per quem liberti contra suam voluntatem ficerent , transferendo in alios prædiolum cum taberna : nam verbum facere omnem omnino faciendi causam complectitur , *I. verbum facere*, ff. de verb. signif. Itaque Respublica Tusculanorum recte videbatus posse fideicommissum petere , cum duo ex libertis , decedendo , extraneum instituissent heredem .

Hanc difficultatem a Scævola omisssam , resolvit Claudius Jurisconsultus ibidem, qui notas ad Scævolam scripsit : & negat esse locum fideicommissio . Nam in fine ita generatim concludit : *Nec conditio existit dari fideicommissi Tusculanis* ; sane verba ita generatim prolata capere opus est , etiam de partibus non venditis , & extraneo heredi relictis . Quod si securus foret , utique Claudius distinxisset , dicendo fideicommissum ex parte extitisse , & ex parte non . Quod tamen Jurisconsultus non fecit . Quocirca fallitur Rogerius , quem sequitur Acc. ibidem , *v. conditio existit* , dum docet , fideicommissum non extitisse in quantum ad partes collibertis venditas , sed extitisse in quantum heres extraneus sicut institutus . Ceterum ratio Claudi ea videtur fuisse , quia verbum illud , *Aliudve facere* , fideicommissio adjectum , regitur ex propriis verbis , hoc est , *Vendere , donare* , ut propterea comprehendat veram alienationem , per quam fit dominii desitio , aut translatio ; non etiam complectitur heredis institutionem , in qua non est , nisi dominij continuatio .

IV. Probatur ex eadem *I. pater* , §. fundum , ubi pater fundum a filio, quoad vixerit , vetuerat venundari , donari , pignerari ; & deinde adjecit,

ut fundus is de nomine familie nunquam exiret. Dubitatum est, utrum filius decedendo posset extraneos sibi scribere in testamento heredes. Ratio dubitandi erat, quia testator sibi ipsi contrarius videbatur; nam primo filium prohibuerat, ne alienaret, *quoad vixerit*: deinde addiderat velle se fundum nunquam de nomine suo egredi; quippe particula, *nudam*, etiam post mortem extenditur. Eo non obstante Scævola respondit, posse extraneum heredem institui, licet filius *quoad viveret*, ne quis sit alienare, vel pignorare. Ratio est, quia testator oculum tantum ad alienationem videtur habuisse, dicendo, *venundari, donari, pignorari*, quæ omnia alienations sunt: quare non erat extendenda voluntas ad heredis extranei Institutionem, quæ alienatio non est. Itaque videntur omnino falli adversarii, qui hunc textum pro se citant.

Sed videamus quæ sint reliqua Adversariorum argumenta. I. objiciunt ex ead. l.pater, §. *Julius Agrippa*; nam quidam testamento cavit, ne ullo modo bona heres pignoraret, aut ullo modo alienaret; Scævola tamen ait institutum recte posse extraneum heredem scribere, neque id esse contra testatoris mentem. Cujus rei causam reddit, quia *hoc*, scilicet alienationis prohibitio, *nudam præceptum erat*, nempe sine causa. Ergo inquiunt adversarii, quando alienatio nuda non est, & cum causa sit, non poterit extraneus heres institui. Sed ita est in casu nostro, ubi prohibetur alienatio non simpliciter, sed extra familiam: nam illud extra familiam, vim causæ habet. Ergo heres extraneus institui non potest. Id vero est contrariorum Achilles.

Verum respondemus distinguendo consequens, hoc est, si causa expressa in prohibitione alienationis satia est ad excludendam extranei heredis institutionem, & concedimus confecutionem: si vero contra, satis non sit, negamus. Inde concessa minore propositione subsumta, negatur iterum consequutio. Et ratio est, quia licet prohibitio alienationis extra familiam, non sit nudum præceptum, sed habeat veluti fideicommissum tacite ex mente testatoris, cum causa deductum, proßsus ut nequeat heres extra familiam bona distrahere, seu alienare; tamen haec causa, seu familiæ favor, non est satis ad prohibendam heredis externi institutionem, utpote quæ alienatio non est, de qua testator sensit, & loquitus est. Non enim prohibito actu inter vivos, prohibetur etiam actus ultimæ voluntatis, l.peto, §.fratre, ff.de leg.z.

II. Objiciunt ex l. *quis solidum, §. prædium, ff. de leg.z.* quo loco pater verbis fideicommissi prohibuit liberos prædium de familia alienare: & accidit, ut ceteris filiis vita functis supremus ex his, sine liberis decedens, extraneum instituit heredem; respondet Papinianus, hunc extraneum heredem habere actionem ad petendum fideicommissum eorum bonorum, quæ liberi primo mortui transmiserunt in extraneas, non secus atque hanc actionem habebat postremus filius. Nam cum jam nullus alius ex liberis superstes sit, recte ultimus extraneum heredem instituit,

non

non etiam illi , qui primo deceperunt . Ergo prohibita alienatione extra familiam , prohibetur extranei heredis institutio .

Sed negatur consecutio . Ad textum Papiniani patet responsio , quia fideicommissum , de quo ibi agebatur , non fuit simplex , & ex sola mente testatoris proveniens ; nam , ut idem Jurisconsultus ait , fuit factum verbis fideicommissi . Qui diversus casus est : scilicet pater jussit praedium in familia servari , vel ut semper in familia esset , aut etiam , ne de suo nomine egredieretur ; nam in his casibus concedimus ultro heredem extraneum non posse institui .

Neque replices , si ita esset , ut dicimus , utique Jurisconsultus ibi decidisset rem , de qua nulla poterat inesse dubitatio : quod non est afferendum , cum certissimi Juri sit , in his causis non posse heredem externum institui .

Nam Faber respondet , rationem dubitandi non in hoc fuisse , sed in re alia , scilicet num posset extraneus heres ultimi decedentis , uti petitione fideicommissi contra alios heredes filiorum , qui antecedenter mortui fuerant ; nam hi heredes contendebant posse retinere partes praedii sibi relietas , quas licet potuisset avocare ex vi fideicommissi ultimus filius moriens ; non tamen idem Jus esse volebant in herede ejusdem , qui extraneus heres esset . Sed eo nihil obstante Papinianus respondit , recte heredem hunc ultimi morientis avocare ex fideicommisso partes praedii jam dictas , ex eo quod Jus istud avocandi jam quæsitum fuerat ultimo morienti : propterea nil mirum , si illud idem dicatur in ipsius heredem transmissum .

In hac ergo questione duos omnino casus distinguimus . Prior est , si fideicommissum simpliciter sit factam , jubendo bona non alienari extra familiam , quo casu recte heres extraneus instituitur , quia i institutio non est alienatio . Alter est , si prohibitio facta sit verbis fideicommissi , veluti ut bona remaneant in familia , & tunc heres extraneus heres non admittetur , quia vere bona in familia non remanerent .

Atque eo modo explicande sunt nonnullæ aliæ leges , præcipue in l.unum ex familia , §.sed & si fundum in d.l.peto , §.fratre , in l.filii:familias , §.cum pater , in quibus omnibus agitur de fideicommisso , quo bona jubentur in familia conservari .

De Patre alienante.

His ita generatim de alienatione positis, jam per se explicata propter modum remanent ea, quæcunque de alienatione patris, qui legitimus administrator bonorum adventitiorum filiifamilias sit, dici possunt; hæc enim particularia plerumque ex generalibus illis dependent. Verumtamen ad clariorem intelligentiam aliqua hic non præteribimus, quæ in tertia hac nostræ legis parte examinari solent.

Quamvis pater veluti pro domino se gerere possit, ob plenum usum fructum potestatemque agendi, & defendendi in adventitiis filii; tamen quia censetur positus ad ædificandum magis, quam ad destruendum, propterea ipsi eidem alienandi potestas est denegata, ut hie, & in *I.fin. §.spfum autem, C.de bonis quæ liberis*. Quæ prohibitio cessat, cum agitur de causa necessaria, puta si persolvendum sit æs alienum a filio herede debitum; quippe recte pater alienat res mobiles: sicut autem hæc non sufficiunt, etiam immobiles, solvet, *d.l.fin. §.fin autem æs*; scilicet, ut redditio ærc alieno, filius usurarum onere non prægravetur. Nec opus est, ut Judicis decretum interponatur, ut primus omnium docuit Azo in *rubr. nostri tit. num. 11.* sequitur & extollit Baldus in *d. §.fin autem æs*, Decius, Soccinus, aliisque apud Tiraquellum in *I.si unquam, in princ. num. 28. C.de revoc.donat.* Afflictus *decif. 393. num. 1.*

Contra tamen pugnant Salycetus in *I.præsens, C. de transactionib.* ubi etiam Jason *num. 5.* putat legendo & disputando contra Azonem dici posse, Crotus in *I.frater & fratre, num. 31.* Gomez in *I.48. Tauri ad finem*, aliquique. Movetur Salycetus a simili; nam pater tutor, aut curator filii, non potest alienare citra Judicis decretum, *I.si pupillorum, §.si pater, ff.de reb.eorum, l.3. C.de prædiis minorum*. Quod tamen minime obstat; loquimur enim nos hic de patre legitimo administratore, cui lex multum tribuit, certe magis quam tutori, vel curatori, ut supra in *2. parte latius a nobis deductum est.*

Alio se vertit Jason, qui movetur ex *d.l.fin. §.sed pater*, ubi dicitur: *Habent licentiam rite res filiorumfamilias vendere.* Nam illud, *rite*, Juris solermitatem significat. Sed rectius Tiraquellus docet, hic verbum *rite*, ad causam, & ordinem alienationis referendum esse, non etiam ad decretum, & auctoritatem Judicis, cuius nihil meminit textus in *§.fin autem æs*, ubi nominatim & specialiter de alienatione paterna agebatur. Causa autem, & ordo, quæ hic respiciuntur, sunt e contrario exposita in *cit. §. nimicum* ut alienatio fiat ob causam necessariam æris alieni: item ut fiat hoc ordine, ut tunc ad immobilia deveniatur, cum mobilia non sunt satis. Hæc, inquam, & non alia, *verbum rite*, respicit.

Ve.

Verum tamen est , cum regula sit negativa, ne pater alienet , patre alienante , filium dici habere fundatam intentionem vindicandi res alienatas , donec adversarius probet de necessitate alienationis , quæ regulam limitat , Decius *conf.8. num.11.* & *conf.60. col.2.* Alexander *conf.18. lib.3.* Nam ubi regula legis est prohibitiva , non statut confessioni alterius contrahentium , vel testantium. Quare si pater filio manzero , cui donare nequit , vendat , non creditur ei dicenti se pretium recepisse , ut contra *Gloss. in l.27. ff. de probationib. communiter est receptum post Jason. in l. si is qui ex bonis , col. fin. ff. de vulg. & Decium *conf.3. i. col.2.* & probatur ex *l. i. C. de natur. liber.**

Potest etiam pater alienare res tempore perituras , & onerosas : quod probatur ex *l. ult. C. de bonis quæ liberis* , in hæc verba : *Exceptis rebus, quæ onerosæ hereditati sunt, vel quocunqæ modo damnosæ, quas sine periculo vendere patri licet.* Ubi sub rebus quocumque modo damnosis jure comprehenduntur res tempore perituræ , & quæ servando servari non possunt . Probatur etiam , quia sœpe in Jure nostro causa utilitatis æquiparatur cause necessitatis , & in *l. Aristo* , *ff. de Jure deliberandi* , ubi heres inter deliberandum potest a Prætore impetrare , ut sine præjudicio Juris pretiis vendat res , quæ tractu temporis deteriores fiant , item ea , quæ nimium sumtuosa sunt , veluti jumenta , aut venalitia , tandem solvere æs alienum , quod sub poena , vel pretiosis pignoribus debeat ; cui dispositioni concordat sub *cod. tit. text. in l. i. Prætor* , §. in causa . Ita hæc eadem æquiparatio patet ex *l. non solam* , *ff. de petit. heredit. ubi possessori hereditatis permittitur alienatio* , tam si necessaria fuerit , quam si mera res perituræ , deterioresve futuræ sint . Ergo hæc in casu nostro etiam locum habere concordant DD. etsi in causis aliis causa necessitatis ab ea , quæ est utilitatis , distinguatur . Vide Decium in *l. 2. num.6. ff. de offic. ejus* , cui mandata est *jurisdic^{tio}* .

Idem est , si bona fuerint quidem stabilia , sed ruinam minentur , *l. verum* , §. *si locupleti* , *ff. de minorib. ubi prædia ruinosa recte a curatore venduntur* , ut etiam ea , quæ multis casibus obnoxia sunt : quod DD. de rebus in monte , vel propter mare , aut flumen positis , interpretantur , quæ inundationem facile pati possint , Bartolus in *l. 2. num. 19. ff. sol. matrim.* Alexander & Jason in *l. sciendum* , 4. *limit. ff. qui satisfidare cogantur* , *Tiraqu. de retract. §. 1. gl. 7. num. 9. i.*

Uterius licet patri alienare usumfructum ; quem in rebus filii adventitiis habet , ut & idem omni alteri fructuario licet , *l. arboribus* , §. *usufructuarius* , *ff. de usufr. juxta ea* , quæ supra disputavimus in principio secundæ partis . Immo Albericus hic *col. 2. num. 4.* putat , patrem alienantem res filii adventitias , intelligi facere id solum , quod potest , hoc est alienare usumfructum , quem in hisce rebus habet , juxta regulam , si quod ago non valet uti ago , valeat ut valere potest , argumento ex *l. qui tabernas* , *ff. de contr. emt.* ubi qui tabernas publicas vendit , censetur.

Sicut Jus vendidisse , quod in ipsis habet , seu usum , qui ad privatos pertinet . Ita quoque cum quis servum suum adoptat , quamvis nulla a proprio sit , servus tamen ex sententia Catonis liber fiet , §.ult. *Institutionibus* , de adoptionibus , l.un. §.simili , C. de latin. libert.

Sed objiciunt quidam apud Pinellum hic , num.37. textum in l.cum oportet , §.etsi quid , C.de bonis quæ liberis , ubi patri permittitur earum rerum alienatio , quæ sibi accrescunt ex fructibus , quasi in ipso usufructu alienando nihil Juris habeat . Itaque cum patre alienante , volunt statim cum proprietate consolidari . Sed quam faciliter respondetur ex eo , quod Justinianus ibi neutiquam loquitur de alienatione , sed de dispositione per testamentum , & transmissione ad heredes : quæ certe locum non habent , nisi in argumentis fructuum , quæ pater plene sibi acquirit , ut dominus ; non item in usufructu ipso , qui non alienatur , nisi quoad ipse alienans vixerit , DD. in d.l.arboribus , §.ususfructuarivs . Hæc ergo ratio est , cur in cit. textu Imperator solum de accretione ususfructus , non item de usufructu ipso loquatur : nec propterea innuit a patre usumfructum alienari non posse , ut consideranti facile patet .

Illud non negamus Pinello , patrem usumfructum alienante non transferre in alterum qualitatem legitimi administratoris , quæ personalis est , & alteri a patre non tribuitur , argumento ex l.quia tale , ff.sol.matri . & ex l.per procuratorem , ff.de acq.bered.

Tandem pater juxta nonnullorum opinionem , alienare potest adventitia filii in eum , a quo in filium eadem pervenerunt , quasi facilis regressus sit . Idque persuadere l. nituntur ex eo , quod Paulus Castrensis consuluit , statutum exigens auctoritatem consanguineorum ad contrarium mulieris , cessare cum mulier donat rem ei , qui sibi prius donaverat , ut refert Jason in l.cum filiosfamilias , n.n.168. ff. de leg. I. II. quia non censetur damnum pati , qui amittit lucrum jam quæsitum , si revertatur ad eum , a quo pervenerat , Glossa in l.ca quæ , v.conversa , ff.de donat.inter viram , & in l.si ita stipulatio , ff.de verb. oblig. ubi etiam Barolius , & alii .

Hæc tamen falsa sunt . Veriusque puto cum Pinello hic num.58. patri neque donare , neque alio modo distrahere licere res filii in eum , a quo semel pervenerunt . Idque patet ratione , quia ubi a filio dominium rei sibi donatae quæsitum est , jam ejus patrimonium factum dicitur , subitque naturam ceterarum rerum , quæ ipsius sunt , uti patet ex l.i. §.ult. ff.de reb.eorum , ubi cum dixerit Ulpianus non valere pignus , cui minor subjecit prædia a se emta , quoad pretium solveretur ; hanc reddit rationem : Nam ubi dominium quæsitum est minori , cœpit non posse obligari : hoc est , subit naturam , quam cetera minoris bona habent . Sic prorsus in specie nostra , res a filiosfamilias per donationem , aut aliam causam quæsitæ , non sunt in dispari ratione cum aliis ipsius adventitiis bonis : quocirca , ut hæc a patre nequeunt alienari , ita nec illa .

Pa-

Patet etiam ex *l. si ad resolvendum, C. de prædiis minorum*; nam pater donaverat filio minori emancipato prædium, & filius ante traditionem cautionem patri eidem remisit citra Judicis auctoritatem. Dictum est contra Senatusconsultum fecisse filium, nec remissionem ullius Juris esse. Itaque aperte deciditur, falsum esse, res facile, hoc est, sine Juris solemnitate, regredi posse in eum, a quo semel pervenisse dicuntur.

Rectius ergo contra Paulum de Castro sensit Tiraquellus de *Jure connub. gl. 5. u. 56.* nempe solemnitatem legis, aut statuti in rebus a minori, vel muliere alienandis, omnino adhiberi oportere, etiam cum alienatio sit in eum, a quo primum res profecta est. Nec verum est, hoc casu damnum non pati, cum revera patrimonium diminuatur, ut accidit in omni alienatione: & sane omnis patrimonii diminutio damnum est, ut patet tum ex *d. l. i. §. ult. f. de reb. eorum*, cum ex iis, quæ supra disputationis de eo, qui legatum, aut hereditatem sibi reliquit, repudiat.

Ad Autbent. *Nisi tricennale.*

Quamvis Constantinus in lege præcedenti generatim dixerit, nul-la præscriptione aut usucapione filios posse repelliri a rebus suis vindicandis, quas pater legitimus administrator contra formam Juris distraherit; tamen Irnerio, quem vulgo DD. sequuntur, visum est id capi solum oportere de præscriptione ordinaria, quæ est triennalis in rebus mobilibus, decenalnis vel etiam vicennialis in rebus solidis; hæc enim filiofamilias agenti ex vindicatione non obstat; obstat vero docuit præscriptiōnē longissimi temporis, seu annorum triginta, ductus ex *§. sed quod sanctum*, aut *de nuptiis*, vel, ut habet Haloander, *de bis qui nuptias iterant*, ubi habetur, a conjugé largita, mulierem, aut virum superstititem non posse alienare, cum ad secundas transeunt nuptias, filiis ex primo matrimonio existentibus. Quod si securus fecerit, filiis his, heredibusve, vindicandi potestas tribuitur, nisi ipsis triennalis obster præscriptio: quæ tamen præscriptio currit, cum duo simul concurrunt, hoc est filii suæ sunt potestatis, & impuberem ætatem excessere. Id ergo Irnerius ex paritate rationis, non modo in lucris nuptialibus locum habere voluit, sed in omnibus etiam adventitiis, quorum legitimus administrator sit pater: propterea hic post legem *i. inseruit autb. nisi tricennale*, quæ desumpta omnino est ex *d. §. sed quod sanctum*. Ratio autem, cur hic longissimi temporis præscriptio exigatur, nec ordinaria sit satis, est, quia obviam erat eundum fraudi patris alienantis bona filii, faciendo ne ita cito ab emtore, vel donatario, usucaperentur: qua similitude prospectum est filiis, quorum causa digna est favore, ut qui sub potestate patris manentes, sua bona ignorant, patre omnia possidente, & administrante, nec ad rationem reddendam obligato, ut in *l. fin. §. fin autem, C. de bonis quæ liberis*.

Pro-

Producitur ut exigatur longissimi temporis præscriptio ; etiam si *is*, in quem pater alienavit , bona fide rem possideat , & justo titulo , justoque facti errore juvetur , ignorando scilicet rem esse filii . Licet enim hoc casu ordinariam præscriptionem filii obstat crediderint Cynus , Albericus , & Paulus hic ; tamen veritas est hic quoque supradictam regulam tuendam esse, ut longissimi temporis præscriptio exigatur, ut docent Fulgoſ. & Corneus hic ; nam si regula nostri textus esset restringenda ad eum solum emtorem , qui rem esse filii sciat , & ignoret Jus , non factum , utique textus coarctaretur ad casum , qui nunquam fere contingerebat , præsertim quia filius probare deberet , emtorem non ignorasse rem esse alienam , juxta textum in *I. verius* , *ff.de probationibus* .

Id probatur ulterius ex *autb.mala fidei* , *C.de longi temporis præscriptionibus* , ubi mala fides venditoris nocet emtori bona fidei , ne præscribat longe tempore , sed omnino tempore longissimo indigeat , Paulus ibi , Alciatus , & alii , Gomez ad *II.Tauri* 40. num.90. Corneus *conf.38.* num.10. lib.1. Ita ergo mala fides patris alienantis (nam semper talenſe patrem , ambigendum non est) omni caſu nocere debet emtori , etiam si iustum titulum habeat , & in bona fide sit , ignorando rem esse filii , & patris vendentis esse credat .

Unde patet qua ratione intelligendus fit textus in *I.fieri* , *§.scd quia* , *C.communia de legatis* , ubi ordinaria præscriptio nihil obstat legatariis , aut fideicommissariis , quibus heres restituere Iesus est ; scilicet , ut locum habeat , quamvis emens ab herede bonae fidei sit , & justo facti errore ductus : adhuc enim lex legatarium aut fideicommissarium tuetur .

Semper ergo contra filium , patre alienante , longissimi temporis præscriptio exigitur , quæ tamen non indistincte incipit currere , sed ab eo tempore , quo filius familias in suam venit tutelam ; quia non valenti agere nulla currit præscriptio , *I.i. ad fin. C. de annali except.* Quæ regula ita demum capi oportet , cum impedimentum est a Jure negante alteri Jus agendi , ut in specie nostra ; nam si impedimentum sit facti , etiam a justissima causa precedens , utique præscriptio non retardatur , nisi forte in impossibili versemur , quo caſu datur restitutio , ut in *I. & Attilicinus* , *ff.de servit.rustic.prædiorum* , ubi iis qui aquam ex fonte alieno non duxerunt , quod fons exaruitset , aqua demum ad venam rediente , succurritur , Boerius *dec.40. num.3. Afflictus de Jure protomiscos* , *§.2. num.22.*

Verum difficultate non caret , utrum filius , cum adhuc est sub patris potestate , posse contra alienationem paternam agere ? Nam Bartolus in *I.si constante* , *num.63. ff.sol.matrimonio* , ait filio sub potestate denegari Jus revocandi alienationem adventitiorum a patre factam , quod præter alios sequitur Bellonius *conf.24. num.5.* Quod probant ex *I.i. §.fin. C.de annali except.* ubi filius sub manu paterna existens actionem movere non posse dicitur , ut etiam habetur in *d. §.scd quod sancitum* , *autb. de nuptiis* ,

ptiss; unde nostra authentica desumta est.

Proabant etiam ratione, quia filius sub potestate regulariter agere non potest sine patris ipius consensu, cuius est administratio, & Jus agendi in adventitiis, ut supra diximus ex nostra l.i. & l.cum oportet, C. de bonis qua liberis; attenta maxime verecundia, quam filius sub potestate patri debet; unde in l.8.in fine, ff.de alim.legat. dicitur, quod necessitas verecundiam adstringit.

Ex quibus satis appetat, contrariam Baldi opinionem in l.fin. §.in computatione, num.7. C. de Jure delib. recipiendam non esse, dum docet filium audiri deberi, & patrem compelli debere, ut filio volenti agere consentiat, quamvis pater ipse promiserit, se nunquam venturum contra alienationem. Quae opinio falsa est, præsertim quia lex in tantum filio sub potestate ait præscriptionem non currere, in quantum eidem Jus agendi denegat, ut patet ex dictis, quidquid in contrarium pro Baldo contra nitatur Pinellus hic, num.45. contra apertam dispositionem d.l.i. §.fin.C.de annali exceptione, & d.g.sed quod sancitum.

Pro majori dilucidatione nostræ authenticæ queri solet, an post completam longissimi temporis præscriptionem restitui possit is, qui ex causa justæ ignorantiae adversus præscribentem non egit? Quam difficultatem resolvit Bartolus in l.i. §.si quis propter, ff.de itinere, atque privato, qui per eum textum docet, ex causa justæ ignorantiae omnibus dari restitutionem contra eam præscriptionem, quæ triginta annorum est; nam in eo textu Prætor, si qua ipsi justa causa esse videbitur, concedit in integrum restitutionem ei, qui itinere atque privato usus non est; quæ autem justior causa, quam si quis justam ignorantiam habuit, quo minus agat, & Jure suo utatur? Adde ex Glossa in l.si partem, v.non utendo, ff.quemadmodum servitus amittatur, ubi notat in eo textu æquiparari causam justæ ignorantiae causæ justissimi impedimenti, hoc est ejus, de quo jam monuumus ex d.l. Attilicinus. Sequitur Affiliatus dec.329. num.6. Covarr. in cap.possessor, par.3. §.3. col.2. Romanus conf.149. in fine. Late Boerius dec.39. Soccinus in l.cum filius, §.in bac, ff.de verb.oblig. et si nonnulli hoc casu nullam contra ignorantem restitucionem dari dicant, cum Baldo in l.i. num.24. C. qui admitti, & Aretinus conf.104!

Hæc volumus dixisse pro explanatione nostri tituli: nam quæ in reliquis deinceps legibus traduntur, satis a nobis, prout occasio tulit, explicata sunt. Illud tantummodo advertendum, in lege 3. singularem casum proponi contra receptas Juris regulas, ut filius etiam emancipatus patri acquirat, aut nepos avo: ut si uxor decedat marito superstite, liberis jam a patre, vel avo emancipatis, viva uxore: tum patri, vel avo pro virili portio ususfructus acquiritur, quasi unus ex ipsis sit, nisi quod nihil in proprietate adipiscitur. Ratio specialis hujus dispositionis est, in solatium amissæ uxoris, & ne omnino privetur his bonis, quæ

super tanquam dominus possidebat , ut colligitur ex illis verbis d.l.3 :
Quoniam omni commodo deſtituitur . Falsi enim sunt , qui putant esse
 ob beneficium emancipationis , quod a patre receperunt ; nam in f. qno
ſi nepotes , id extenditur ad nepotes ex filio iam emancipato natos , & qui
 nunquam fuerunt sub potestate avi : imo , quod mirabilius , extenditur
ad nepotes ex filia , qui nec fuerunt , nec extitisse poterant sub potesta-
te avi , in cuius familia nunquam fuere . Quibus casibus parens ad-
mittitur una cum liberis , in quos nullum beneficium contulit ,

Cetera per se clara sunt , nec nostra indigent oratione ,
præsertim , cum ob temporis angustias

nostro labore jam tandem

ſtatuerit finis ,

ad Dei Optimi Maximi

honorem , & glo-

giani .



DO.



DOMINICI AULISII

J. C. CLARISSIMI,

De officio ejus, cui mandata est Jurisdictio;

*Ad lib. I. Pandectarum, Tit. XXI. & ad lib. II. Tit. I.
De Jurisdictione.*

Hos titulos conjungimus, non solum ob materię cognatiōnem, sed eo præsertim, quia ordo doctrine exigit, ut ordinem, quem illis Tribonianus dedit invertamus; præpostorum enim est, ut de mandata Jurisdictione agatur, antequam de Jurisdictione sermo institutus sit; quippe prius illud intelligi non potest, nisi posterius hoc antea sit explanatum; cum e contrario ex hoc ad illud facilis transitus sit. Nil ergo mirum, si nos ante omnia de Jurisdictione dicere aggredimur, deinde de mandata Jurisdictione acturi;

De Jurisdictione, & ordinariis Judiciis.

Q u a s t i o n e I.

Jurisdictionis nomen duplum in nostro Jure solet accipi, Bellonus de mandata Jurisdict. cap. 2. qz. 3. num. 53.

I. Quidem generatim pro omni auctoritate, & potestate Magistratus, & præsertim Prætoris, que in tribus consistit, Jurisdictione in specie accepta, mero, & mixto imperio; nam publici Judicij exercitationem Papinianus Jurisdictionem appellat, l. 1. in princ. ff. de officio ejus, & de capite civis Jus diei, scribit Pomponius in l. 2. §. & quia, ff. de orig. Jus. ejus. Idem constat ex princ. tit. de Pace constantia, ibi: In Jurisdictionem solum in causis criminalibus, quam in causis pecunioribus. Et tamen publi-

ca Judicia ad merum , & mixtum imperium pertinent ex potestate gladii ; *I.mperium* , ff.de Jurisdictione. Ita etiam quæ mixti imperii sunt , Jurisdictionis nomine veniunt, ut jubere caveri præatoria stipulatione , l.i.ff.de damno infecto , l.stipulationem s. ff.de verb. ob. eo scilicet, quia cum mixto imperio insit Jurisdictione, recte id, quod mixti imperii est, censetur Jurisdictionis esse: quippe in compositis insunt simplicia . Eodem modo bonorum possessionem concedere , & in bonorum possessionem mittere , quæ mixti imperii sunt , ad Jurisdictionem refert Ulpianus in l.i. ff. de Jurisdictione . Ita etiam restitutio in integrum , l.in causa 17.s. ult. ff.de minoribus .

Imo , quod nec imperii , nec Jurisdictionis est , ut datio tutoris , ad Jurisdictionem pertinere dicitur , d.l.i. in princ. ff.de off. ejus , §. sed hoc Jure , Institutionib. de Attil. tutor. Ita causæ extra ordinem ad Jurisdictionem referuntur , ut fideicommissorum , l.si res obligata , ff.de leg. i. Item causa liberalis , l.i. C.si mancipium ita venierit . E contrario , quod Jurisdictionis est , imperii quandoque nomen sortitur , ut ecce interlocutio , quod Jurisdictionis est , imperio fieri dicitur , l.quod jussit , ff.de re Judic. Et Judicis datio , quæ pariter ad Jurisdictionem pertinet , propter vim imperii fieri habetur in l.cam prætor, §. item b, ff.de Judic. Et duumviris , qui non nisi Jurisdictionem habent , fasces , quæ imperii sunt insigne , tribuuntur in l.duumviris , C. de dcur. lib. 10. Quæ notanda sunt , non modo ad varias tricas , quæ in Jure nostro ex varia hujus vocabuli acceptione oriuntur , evitandas; sed etiam ad recte intelligendam nostram rubricam de Jurisdictione , ut est Pandectis Florentinis , vel de Jurisdictione omnium Judicium , ut in vulgatis libris concipitur , ubi haec tria Jurisdictione , merum imperium , ut mixtum (de his enim omnibus in ea agitur) uno vocabulo Jurisdictione dicuntur.

Hæc tria , quæ diximus , ad cognoscendam potestatem & auctoritatem Magistratum , & maxime Prætorum , in medium producta sunt. Prætoris autem auctoritas duplex est , una in questionibus , seu causis criminalibus , ad quas merum imperium pertinet : altera in causis civilibus , seu pecuniariis , & hæc vel est in dicendo Jure , & est Jurisdictione : vel in faciendo , cum dat , vel addicit , & est imperium mixtum . Quocirca tota in civilibus causis Prætoris auctoritas tribus his verbis comprehenditur , Do , Dico , Addico , & dies , quibus hæc Prætori fari licebat , Fasti , quibus non licebat , Nefasti sunt , Varro 5. de L.L.Ovidius 1.Fastorum:

Ille nefastus erit , per quem tria verba silentur .

Hæc licet a nullo hactenus animadversa , magnam lucem nobis in sequentibus afferunt . Unum interim monemus , sermonem nobis esse de Prætore civili . non etiam de militari ; distincta enim hæc munera erant , quamvis Prætores Justiniane in Pisidia , Lycaonia , Thracia , utrumque munus implerunt , Novella 24. 25. & 26. .

II. Jurisdictione in specie , seu stricte sumta , ad verbum Dico tandem refertur , quo intellectu nos in praesenti accipimus . Et hæc ab Ul. piano.

piano in l. i. s. *damus*, ff. de *suspecti. r. orib.* dicitur, *Officium Juris dicundi*: at ab eodem in *l. imperium*, ff. de *Jurisd.* dicitur, *Judicis dandi licentia*. Ex quibus ita completa definitio concinnati potest, *Jurisdictionis est Juris dicundi*, & *Judicis dandi arbitrii*. Jus dicere est in *Judiciis ordinariis*, ubi Praetor *Judicem* dat; sunt enim alia *Judicia extraordinaria*, ubi ipse Praetor judicat. Primo de primis dicemus.

De Judiciis ordinariis.

Vetus ordo in *Judiciis ordinariis* ita se habet. Ubi reus in *Jus vocatus*, scilicet coram Praetore, statuisset potius contendere, quam liti cedere, postulabat actor a Praetore *judicium*, scilicet *Actorem*, & *Judicem*, scilicet quia in *ordinariis Judicis moris erat*, ut Praetores non *judicarent*, sed *Judices darent*, l. i. §. cum qui, ff. de *Jurisd.* l. cum *Praetor*, l. *Judicium solvit*, ff. de *Judiciis*, l. a. *D. Pio*, in princ. ff. de *re judic.* l. i. in princ. l. ult. ff. quis, & a quo appelleatur. Unde frequenter in Edicto Praetor ait, *Actionem dabo*, l. 2. ff. quod cum eo, l. ait *Praetor*, in princ. ff. de *Jurisdictionis* vel *Judicium dabo*, l. i. in princ. ff. de *dolo*; l. 3. in princ. ff. de *negot. gestis*. Praetor ergo *judicium dando tria statuebat*, primo *Judicem*, exempli gratia, *L. Octavius Iudex esto*. II. *Jus*, scilicet in *actione in rem*, hoc modo: *Si parer fundum Capenatum*, quem *Q. Catulus possidet*, ex *Jure Quiritium P. Servilii ejus*, *Q. Catulum condecurato*, Cic. 3. in *Verr.* at in *actione in personam* ita: *Si apparet cum dare*, aut facere oportere, §. is quoque, *Institutionibus quibus modis re contr. oblig.* §. præterea, *Institutionibus de exceptionibus*. Unde statutum est actorem non posse rem suam ita ab aliquo petere, *Si apparet cum dare oportere*, nisi sit, cuius odio formula *actionis personalis* substitetur etiam in *actione reali*, §. sic itaque, *Institutionibus de actionibus*. III. tandem Praetor præscribebat formulam *actionis*, qua agi opus erat, scilicet *stricto Jure*, vel *ex bona fide*, Cic. 3. de *officis*. Ex his satis aperte apparet sensus *suppositæ definitionis*, cum dicitur *Jurisdictionem esse officium Juris dicundi*, & *Judicis dandi licentiam*. Late *Sigonius lib. I. de Judiciis*, Bellonus loc. cit. cap. 1. qu. 3.

Verum hic plura notanda sunt. I. in *definitione Judicis nomen lat. sumi*, ut comprehendat etiam arbitrum; nam datorum *Judicium* alii dicuntur arbitri, alii vero *Judices* simpliciter, §. i. *Institutionibus de actionibus*, l. a. *D. Pio*, in princ. ff. de *re judic.* Arbitrarius enim, cui Praetor dabat facultatem statuendi, & estimandi ex bono & aequo, ut in *Judiciis bonæ fidei*, & *arbitrariis*, v.g. *Si parer C. Sejum L. Sempronio fundum Tusculanum vendidisse*, quidquid ex bona fide præstari oportebit, in id cum condemnato. Ex quo arbiter liberam habet potestatem statuendi, prout aequius melius, §. i. *bonæ fidei*, *Institutionibus de actionibus*. Hinc

arbiter pro focio , l. pro socio 38. ff. pro focio : arbiter familie exciscundæ, l. *sundus*, §. arbiter, ff. fam. excisc. arbiter de dote , l. *omnino*, ff. de impensis in rebus doralibus. Ceterum hos arbitros dari a Prætore, constat ex l. ult. ff. de Judie. l. cum fidicomenissum , ff. de confessis, l. 2. C. de sentent. & interloc. l. 2. C. a quibus appellare non licet , l. 1. C. de pedaneis Judicib. l. 1. C. de sententiis ex pericvio regit.

Judex e contrario formulæ fines sibi a Prætore præscriptæ egredi non potest , ut in Judiciis stricti Juris . Formula est hujusmodi , Si perret C. Sejum L. Scimpronio centam dare opertere , eum condemnato . Hinc fit primo , in bonis causis melius esse ad Judicem ire, quam ad arbitrum, Seneca 3. de benef. 7. II. Judicium esse pecunia certæ, arbitrium incertæ, Cic. pro Roscio Comædo . III. in arbitriis non subesse periculum plus petitionis , sicuti subest in Judiciis , Budæ. in l. 2. v. *vindicias filie* , ff. de orig. Iuris. Et quamvis hodie formularum conceptiones sublatæ sint , l. 1. C. de formulis , manet tamen antiquum inter actiones discrimen; nam plenior est Judicis potestas in actionibus bona fidei, quam in stricti Juris Judiciis , §. in bona fidei , Institutionib. de actionib. l. quia tantundem , ff. de negot. gest. l. *Lx. ius* , ff. depositi.

II. Judicem a Prætore dati in privatis tantum causis ; quare Judex privatus dicitur , Gellius 14. N. A. 2. *Sueton. in Claudio* , cap. 14. nam in causis publicis judicabat ipse Magistratus , qui publicam personam dicuntur habere , l. 1. in princ. ff. de officio ejus . Et hoc sane est precipuum discrimen inter judicia publica , & privata , quæ inde nomen habent , quod privata judicantur a Judice , qui privatus est , & a Magistratu distinguuntur , l. in omissione , l. ult. ff. de capite minuiss , l. quidam , ff. de re judic. & in tit. *Institutionum* , de divisi. stipulationum ; cum e contrario Magistratus , qui publicam personam gerit , nomen publicis Judiciis derit , de quibus infra.

Habet & alia nomina; nam dicitur quandoque Judex specialis , l. ult. ff. de off. Prætoris , Judex datus , l. *Judex* , ff. de Judiciis , Judex delegatus , l. a Judice , C. de judiciis . Item Judex pedaneus , quia non utebatur sella curuli , ut Prætor , aliisque Magistratus , sed stans , & pedibus nitens pronunciabat , ex Cicerone de claris Oratoribus , ibi : In comitiis veniant , adstant in Judicem dicant , & habetur in tit. C. de pedanis Judicibus : aliud omnino sunt pedanei Senatores , qui pedibus ibant in sententiam , Gellius 3. N. A. 18. Tandem appellatur recuperator , Theophilus in tit. quib. ex causis manumittere non licet.

III. Aliud esse Jus dicere , aliud judicare ; nam Prætor Jus dicit , Judex pedaneus , cum item dirimit , judicat , l. qui dolo , in princ. ff. ad l. Julianæ de vi publ. quæ duo Jus dicere , & Judicare , diversa inter se esse patet ex l. quidam consulebant , ff. de re judic. l. voluit , in fine , ff. de interrog. actionib. & in rubr. C. ne quis in sua causa judicet , vel Jus dicat , Paulus Manutius de legibus Romanis , pag. 105. & ter. Hinc Prætor Jurisdictionem

dictionem habet, Judex datus cognitionem, quippe ille de Jure, hic de facto cognoscit: utraque tamen, est jurisdictio, & cognitio communis nomine *Notio* vocatur, *i.notionem, ff.de verbosignis.* Hinc etiam aliud est in Jus vocare, aliud vocare in Judicium, illud est ad Praetorem, hoc ad Recuperatorem, *i.z. si quis, ff.ne quis cum, qui in Jus vocatus est;* & aliud in Jure fieri, & fieri in Judicio, *i.i. §.i. ff.de postulando, cum aliis notatis a Vultejo discept. i.*

IV. Dato per Praetorem Judice, litigatores sibi invicem denunciasse de eundo, & comparendo coram Judice dato, his verbis, *In perenditum diem, quae res conductio, seu comperendinatio vocatur, §.appellamus, Institutionibus de actionibus,* ubi Theophilus, Asconius in 3. *Verr.* Adveniente de die comparebat uterque coram Judice dato proponendo suam actionem actor, suam defensionem reus, testato, ita, *Testes efficie;* ideo dicitur litis contestatio, a qua Judicium incipit, *i.i. C.de litis contestatione.* Post eam siebant scripturarum, & instrumentorum editiones, *i.i. §.edendo, ff.de edendo:* testes examinabantur, interponerentur plerumque stipulationes judiciales, *Institutionibus de div stipulationibus.* Tandem pronunciabat Judex. Quo facto expirabat eius officium, scilicet, quia sententiae executio non ad eum, sed ad Praetorem ipsum, qui dedicerat, pertinebat, *i.e. D.Pio, in princ. ff.de re judic.* Quapropter Judex, ubi judicavit, functus dicitur officio duo, & Judex esse definit, *I.Judex posteaquam, ff. de re judic.* Late Bellonus cap. 1. qu. 3. Itaque questiones emergentes in executione sententiae, a Praetore cognoscabantur, *d.l.a D.Pio, §.si super:* & si appellandum erat, Praetor ipse appellabatur, argumento ex *i.i. in princ. l.ult. ff.quis & a quo, I.In imperatores, ff.de appellationsibus.*

V. Judicem non semper dari a Praetore, sed ab aliis etiam Magistris, secundum Jurisdictionis suæ modum, *I.cum Praetor, §.i. ff.de Judiciss, I.a D.Pio, in princ. ff. de re judic. I. ult. ff. quis & a quo appelletur:* ita quandoque datur a Consulibus, *I.i. §.si quis, ff.de appellationsibus, & a Praefecto Urbi, & Praefecto Praetorio, I.i. ff.quis & a quo appelletur.*

Non leve dubium est de datione Judicis, utrum misti imperii sit, an potius Jurisdictionis?

Et quidem eam ad mistum imperium referunt Alciatus 2. paradoxos 8. Cujacius 21. obs. 30. Eguinarius in *I Imperium, ff.de Jurisd.* Turratinus 2. ep. 14. post alios Bellonus cap. 8. q. 8. num. 6. Quæ assertio suadendi videtur ex pluribus. I. quia Judicis datio potius ad verbum *Do*, quam ad verbum *Dico* pertinet, ut in illis editorum verbis, *Judicium dabo:* proinde non Jurisdictionis, sed misti imperii est. II. quia in dando Judice vis imperii relucet; inest enim jussio, cum Praetor dicat, *L.Octavius Judex es: condemnato, I.cum qui, I.jubere, ff.de Jurisdictione.* III. Tandem ex *I.cum Praetor, §.item bi, ff. de Judiciss,* ubi Paulus de iis sermone habens, qui Judicem dare possunt: *Item ii, inquit, quibus id more*

com-

concessum est propter vim imperii, sicuti Praefectus Urbi, ceterique Romae Magistratus. Ubi imperium promisso imperio positum est, ut in l. quod iurit, fide re judic.

Verius tamen est, dationem Judicis ad Jurisdictionem pertinere, ut post Glossam, & Bartolum in l. i. v. litigatorib. ff. de Jurisd. communis opinio docet. Sequitur Duarenus de officio Proconsuliss, cap. 3. Goveanus i. de Jurisd. num. 7. Donellus 17. comm. 8. & 23. Fab. 4. conject. 4. Fachin. 9. contr. 96. & decidit aperte Ulpian. in l. imperium, ff. de Jurisd. illis verbis: *Jurisdiction est etiam Judicis dandi licentia*; super quo textu varie cibillantur Adversarii, ob particulam *Et*, quem vim relativam habet. At cui refertur? Mihi aperte videtur referri ad id, quod ipsum Jurisdictionis verbum per se, & sine alia explicatione demonstrat, id est Juris dicundi auctoritatem; ut sensus sit, *Jurisdiction est non solum Jus dicere, quod ex ipsa vi verbi constat, sed etiam Judicis dandi licentia*.

Ita in eadem l. imperium Ulpianus idem: *Mistum imperium est, cui etiam Jurisdiction inest*; quippe illud *Etiam relationem* habet ad id, quod per se inest in verbo *Mistum imperium*.

Ea scilicet ratione, quia *Jus dicere*, & *Judicem dare*, ad unam, eandemque rem omnino tendunt, & unico actu Praetor *Jus* dicit, & *Judicem* dat, ut ex supradictis constat. Quare sunt Jurisdictionis partes, *Jus dicere*, & *Judicem dare*: illud tamen inest re ipsa, istud ex interpretatione. Fallitur ergo Siganus i. de antiquo Jure Civium Roman. 20. qui non attendens illud, *Etiam*, ab Ulpiano positum, statuit *Jus dicere esse Judicis dandi potestatem habere*, atque ei formulam judicandi prescribere. Fallitur ob eandem rationem Vigilius, qui pro *Judicis dandi licentia*, legit *Jurisdictioni licentia*, in §. præterea, num. 7. *Institutionibus quibus non est permisum facere testamentum*; si enim ita legamus, adverbium, *Etiam*, amplius in eo textu tocum habere non potest.

Nec contraria obstant. Nam *Datio*, & *Jussio* pertinent quidem ad mistum imperium, sed non semper; tunc enim pertinent, cum in cognitionibus extraordinariis adhibentur, ut *bonorum possessionem dabo*, l. un. ff. ut ex legibus: *Caveri jubebo*, aut *satisfari*, l. *Praetor* ait, in princ. & §. 1. ff. de *danno infecto*. Immo quandoque *Dandi* verbum, neque ad Jurisdictionem, neque ad mistum imperium pertinet, ut est in datione tutoris, l. *muto*, §. *tutoris*, ff. de *tutelis*. Et non omnis *Jussio* actus imperii est; nam & *Judices* dati possunt *jubere caveri* Judiciali stipulatione, l. *stipulationum*, in princ. ff. de *verb. oblig.* & *jubere rem restituiri*, & *cam interdum manu militari auferre*, l. *qui restitueri*, ff. de *re vindic.* nec tamen ob id recte quis dixerint, eos habere mistum imperium, cum nec Jurisdictionem habeant; id enim faciunt propter vim notionis, non propter vim imperii, Bellonus cap. 8. qu. 23. num. 19.

In quantum ad textum in d. l. cum *Praetor*, §. item bi, dicimus verba

ba illa propter vim imperii, non accipi pro misto imperio, ut vult Cujacius, nec pro mero, quod putat Turaminus loc.cit. sed pro Jurisdictione, ut in *I. quod iussit, ff. de re judic.*

Ceterum cum apud nos Praeses S.C. judicem causae assignet, quem Commissarium dicimus, non facile Praetori Romano comparari potest; nam licet Judicem det, non tamen Jus dicit; ut propterea Judex datus, pedaneus non sit, ut qui tam Juris, quam facti notionem habet, ut rete nota Joann.Verstegen. in *dissertat. de Jurisdictione*, num. 24. quidquid repugnet Turam. i. ep. 8. Formula dandi Judicem apud nos haec est: *Magnificus V.J.D. D.NN.Regis Confiliarius supplicata recognoscat, parres audiat, provideat, & in S.C. referat.*

De extraordinariis Judiciis.

Quaestio II.

Praetor vel Judicem dabat, vel Judicabat ipse. Duarenus quidem *I. disp. 53.* Goveanus in *I. eum qui, n. 6. ff. de Jurisdictione*. Cujacius in *I. ve-
sis, ff. de verb. signif.* docent, Praetorem judicare non posse, nisi in *I. 2. C. de pedanis Judicib.* ibi: *Quod ipsi non possent cognoscere*; id tamen Vul-
tejo *discept. 1.* cum Glossa, accipiendo videtur de impedimento facti,
veluti ob Reipublicæ occupationes, ob causarum multitudinem, ut ipse
textus in sequentibus explicat. Sequitur Donellus *17. comm. 6. 7. & 21.*
Eguin. *i. var. 99.* Eduardus pro Eguinario adv. Goveanum *lib. 2.* qui om-
nes volunt, id quidem Praetores non consuevisse, potuisse tamen, ex
verbis Ciceronis ad *Q. Fratrem*: *Quid? Praetor solet ne judicare deberi?*
Vide Fabrum de variis solutionibus, cap. 7. num. 48. & seq.

Verum distinguere oportet; nam si de ordinariis Judiciis sermo sit,
utique Praetor judicare non potest; aliter se ipsum Praetor Judicem dare
posset, contra textum in *I. alt. ff. de officio Praetoris, I. Praeses, ff. de officio
Præfidis, I. Prator. ff. de tutor. & curat.* Hinc est, quod Claudius Cæsar
apud Suetonium in *vita cap. 15.* negat quandam causam sua cognitionis
esse, sed Juris ordinarii. E contrario si judicia sunt extra ordinem, ipse
Praetor, vel Magistratus, sine formula judicat, quo casu prohibentur a se
causam rejicere in Judicem pedaneum, *d. I. 2. C. de pedanis Judicib.* scilicet,
nisi ex justa causa id faciant, veluti ob Reipublicæ occupationes, ob cau-
sarum multitudinem, ut ibidem dicitur.

Et juxta hanc distinctionem explicandus est Ulpianus in *I. quidam
consulibant, §. 1. ff. de re judic.* ibi: *Praetor, vel Consul Justixerit,
sententiamve protulerit.* Ubi & Jus dicere, & judicare, Magistratui con-
ceditur, nempe ut in ordinariis Judiciis Jus dicat, non judicet, in ex-
traordinariis e contrario judicet, non Jus dicat. Eodem modo expli-

candus est Cicero 3. de legibus, cum ait: *Juris disceptator, qui privata Judicet, judicarive jubeat, Prætor est: quibus verbis omnem Prætoris notionem in civilibus causis complexus est.* Et ita demum explicandas sunt leges omnes, quæ de cognitione, vel sententia Prætoris, aut alterius Magistratus loquuntur, l.s. Prætor in princ. & §. i. ff. de Judiciis, l.voluit, §. xii. ff. de inst. l.judicata, in princ. ff. de exceptione rei judicata, l.s. cui legatum, ff. de conditionib. & demonstr.

Ceterum causæ, quæ ordinariæ sint, quæve extra ordinem, in numerato sunt. Non negamus tamen, interdum in arbitrio Magistratus esse, vel Judicare, vel Judicem dare. Exemplum est in specie l.s. epe cum seq. ff. de offic. Præsidis, cum scilicet Princeps rescribendo, remittit litigatorem ad Præsidem, his verbis, *Eum, qui Provincia præst, adire posse: non enim censetur Magistratui injecta necessitas judicandi, sed potius in arbitrio ejus remissum, utrum Judicet ipse, an Judicem det,* Bellonus cap. i. qu. 2. num. 24.

Sec hic tria notanda. I. Prætorem, Præsidemve, ubi judicat, loco Judicis haberi: ob quam rem *Majores* judices appellantur in l.s. non difin- guemus, §. de liberali, ff. de arbitris. Et ipse Prætor *Maximus* Judex est in l. ult. C. ubi causa status. At simpliciter *Judex* vocatur in l. in fideicommissi, ff. de usuris. Proinde eo casu neque *Jus* dicit, neque dicere potest.

II. Cum Prætor de Judiciis extra ordinem loquitur in Edicto, non dicere *Actionem* dabo, *Judicium* dabo, ut in Judiciis ordinariis, sed *Ani- madvertam*, ut in l. i. §. i. ff. de minoribus, ibi: *Quod cum minore, quam 25. annis natu, gestum esse dicetur, utri quaque res erit, ei cum causa cognitione animadvertam;* & in litem apud Labeonem, §. ait Prætor, ff. ibi: *Ne quid infamandi causa fiat. Si quis adversus ea fecerit, prout quaque res erit, animadvertam.*

III. Hæc Judicia appellari cognitiones extraordinarias in tit. ff. de ex- traordinariis cognitionibus: ideo additur extraordinarios, quia Judex datus in causis ordinariis etiam *Cognitionem* dicitur habere, ut videtur accipiens textus in l. motionem, ff. de verb. signif. Verum Salmasius de modo usuraram, pag. 111. cum seq. existimat, Cognitionem per se nunquam dici, nisi de extraordinario judicio, l. 3. ff. de crim. stell. l. 2. ff. de crim. expil. hereditatis, ex Suet. in Claudio, cap. 15. ubi cognitio opponitur *Juri ordinario*; & Callistratus suos libros simpliciter *Cognitionum inscripti*, ut patet ex inscriptione l. 5. ff. de extr. cogn.

Enumerandas modo hic sunt ex inter extraordinarias cognitiones, quæ præcipuae, & nobiliores sunt.

I. In fideicommissis, quorum persecutioes sunt extraordinarie, l. pe- cunia 178. §. persecutionis, ff. de verb. signif. Horum cognitio Romæ Prætorum erat, qui specialiter dicebantur *Prætores Fideicommissarii*, quos duos D. Claudius constituit, sed unum Titus detraxit, l. 2. §. deinde Cor- nelius, ff. de orig. *Juris*. Hæc vera sunt nonnisi de minoris summae fidei- commissis;

commissis; majorum enim cognitionem sibi vindicabant Consules, ut monet Cujacius 2. 1. obs. 34. ex Quintiliano 3. Institut. cap. 6. Non debes, inquit, apud Praetorem petere fideicommissum, sed apud Consules: maior enim præterea Jurisdictione summa est. Et hoc referenda sunt verba textus in l. cum quidam, §. 1. ff. de Jurisdictione: Quodlibet de quantitate ad Jurisdictionem persistente queritur, semper quantum petatur, querendum est, non quantum debeatur. Quæ desumpta sunt ex Ulpiano lib. 6. fideicommissorum. In Provinciis cognitione erat Praesidium, l. si res obligata, ff. de leg. 1. ubi cum dicuntur, fideicommissum praestari per Jurisdictionem Praesidium Provincie, id ideo factum est, quia quæ missi imperii sunt, Jurisdictionis etiam sunt, non quidem simplicis, sed mixta, ut supra monuimus.

Fideicommissorum persecutionem esse arbitriam constat ex l. in fiduc. ff. de usur. ubi præterea Praetor Fideicommissarius simpliciter Judeex dicitur. Ibi ergo Papinianus monet, in eo Judicio duas intervenire sententias, quarum prior strictius Arbitrium dicitur ex §. præterea quasdam, Institutionib. de actionib. At a Papiniano ambæ indistincte vocantur sententias. Primo Judeex jubet fideicommissum restituiri. Si heres abnuit, sequitur condemnatio una cum poenit. veluti ejus; quod interest, vel quanti in item juratum fuerit, Accursius in d. §. præterea quasdam, v. ex arbitria.

II. In causis status, quibus Praetor liberalis præterat, l. i. C. si mancipium ita venierit, l. i. C. cit. tit. l. 2. C. de pedaneis Judicibus, l. non distinguemus, §. de liberali, ff. de arbitris, ad distinctionem scilicet Arbitri, & Judicis pedanei. A causis status non multum absunt causa patris potestatis, quæ propterera & ipse extra ordinem cognoscabantur, l. i. §. 1. ff. de rei vind. Hotomann. 7. obs. 4. Donell. 17. comm. 22.

III. Judicium suspecti tutoris extra ordinem Praetorum, & Praesidium est, l. i. §. damus, ff. de suspectis tutor. §. 1. Institut. eod. l. i. §. suspecti, ff. ad Terpil. Prædia quoque minorum alienari nequeunt, nisi decreto Praetoris Constantiniani, l. ult. C. de præsis minorum. Qui erat unus ex Praetoribus Urbis Constantinopolitanae, de quibus vide Cujacium 7. obs. 23.

IV. Cognitione extra ordinem est de mercedibus Professorum. Professores sunt, qui in liberalibus studiis Juvenes instituunt; quæ studia & animam alunt, & animas medicina sunt: sapienter sane ab Ægyptiis factum, cum in frontispicio Bibliothecæ inscriberant, iheros suum. Ex his motus Ulpianus, medicis, & nutricibus etiam extra ordinem pro mercedibus, & nutriciis Jus dici debere statuit, l. i. in princ. & §. medicorum, & §. ad nutricia, ff. de extraord. cognitionib. Hinc factum est, ut si cui alimenta in testamento, aut codicillis relicta sint, nequeat alimentarius ita transigere, ut contentus presente sit, nisi Praetoris, aut Praesidii auctoritate fiat, ex oratione D. Marci, de qua re late in 18. ff. de transact. & in l. de alimentis, C. cit. tit. Factum quoque est, ut filios familias, qui viaticum solum munum dedit, cum studiorum causa Romæ ageret, extraordinario judicio subveniatur, l. cum filius familias, ff. de rebus creditiss.

Quod attinet ad Juris Professores , meminerimus olim , quicunque his studiis operam erant nataturi , sacramento se abstrinxisse Professori , ut milites sacramento se obstringebant Duci ; quo in sacramento honorarium sponte Professori offerebant : quod deinde si non praestabant , perjurii quidem ipsi erant , vetitum tamen erat Professori petere ; est enim res Sanctissima civilis sapientia , quæ pretio nummario non est estimanda , nec de honestanda , ut verba sunt Ulpiani in d.l.i. §.proinde. Verum dein ab Antonino Pio statutum est , Juris studiosos salario petere posse , l.Divus , ff.cit.tit.

Petebantur etiam mercedes coram Tribuuo , Juvenalis : *Rara quidem merces , qua cognitione Tribuni non egat .*

V. Causæ de ventre inspicio , custodiendique partu , ad Prætorem pertinent , l.i. cum seqq. ff.de vestre inspic. Sunt & aliæ causæ , quarum cognitio extraordinaria est , de quibus videndum est in d.tit.de extraordinariis cognitionibus , ubi in l. 5. ad quatuor genera reducuntur ; aut enim Magistratus de numeribus , & honoribus extra ordinem cognoscebant , aut de re pecuniaria , aut de fama & existimatione , aut denique de crimine capitali . Verum ex his duo tantum ad præsentem materiam pertinent , ubi de causis privatis agimus , de re pecuniaria , & de existimatione ; reliqua enim duo publicas causas respiciunt .

Ceterum hodie , quia mos ille vetus dandorum Judicum abolitus est , l.2. C.de ped.Judicib. & omnis formularum conceptio sublata , l.i. C. de formulis , & imprestationib.action.sublatis ; omnia proinde Judicia , omnique cognitiones factæ sunt extraordinarie , §. ult. Institutionibus de interdictis , §.i. Institutionib. de successionib. sublatis .

De Misto imperio.

Quæstio III.

Interdum Prætor non modo non judicabat ipse , verum nec Jus dicebat simpliciter , sed miscendo Jurisdictionem cum Imperio exequebatur . Nam Multum Imperium est , cui etiam Jurisdictione inest , ut Ulpianus in d.l. imperium definit , idest , præter imperium , cohæret ei Jurisdictione . Imperium principaliter consistit in dando & addicendo , Jurisdictione in decernendo quid justum sit , quidve injustum . Et cum hæc copulantur , mistum imperium est , ad quod referuntur duo ea verba , *Do* , & *Ad* dico . Minus principaliter ad mistum imperium refertur Jussio , aut Vettatio ; nam aliquando Prætor alterutrum facit , ut *Vim fieri veto* , l.u.s. ff.de glande legenda ; vel *Exhibeas* , *restituas* , l.i. ff.de libero homine exhibib. l.i. ff. quod vi aut clam . Ita ad idem imperium refertur coercitio ,

tio, & executio Edicti, de quibus mox patebit.

I. *Dicitur*. Hinc successoribus bonorum possessionem dare, misti imperii est, ut expresse habetur in *d.l. imperium*. Prætor enim cum bonorum possessionem decernit, Jus dicit: cum vero executioni demandat, imperio utitur. Harmenopolus tamen i. *Procbiri* 4. *schol.* i. dare bonorum possessionem Jurisdictionis esse scribit, quem sequuti sunt Goveanus in *d.l. imperium*, num. 34. Longovallius *ibidem par.3. cap.2. num.7. Fab.4. conjec.4.* aliique, qui textum varie emendare conantur. Sed facile est hoc dissidium tollere; Prætor enim petenti bonorum possessionem decernit, quod Jurisdictionis est: præterea eidem possessionem bonorum tribuit, quod imperii est; illud enim in Jure, hoc in facto & executione consistit. Utriusque rei complexus misti imperii est. Prius illud tantum Harmenopolus respexit, tamen non satis recte. Quoniam ergo datio bonorum possessionis misti imperii est, ideo dabat eam Prætor in Urbe, Praeses in Provincia. Vide Cujacum 4. obf. 5. At ex Constitutione Constantini in *l. ult. C. qui admitti*, hodie potestas est cujuscunque Judicis, etiam Duumvirum; qui sunt in municipibus loco Consulum, ut latius in *d.l. ult.* a nobis explicatum est.

II. *Addico*. Ita debitoris corpus olim ex lege Decemvirali adjudicatum, addictumque creditori fuit, ut vinciretur, & si plures creditores essent, inter eos secaretur, verba sunt: *Tertiis nundinis partes secantur: si plus, minusve secaverint, se fraude esto*. Quam diri carminis legem mos publicus repudiavit, vinculorum pena solum retenta, Quintil. 3. *Instit. 8.* Tertullianus in *Apologetico*, Anton. Augustinus ad *ll. XII. 2. ab. cap. 38.* late Salmas. *de modo usurarum*, pag. 820. & seqq. Erat & Addictio in rebus, cum earum a Magistratu transferebatur dominium. Ita olim erat in cessione in Jure, ubi Prætor bona cedentis addicebat cessionario, Boerius in *Topicis Ciceronis*. Ita hodie est, cum, debitore pinguis non reluente, creditor a Principe Jus dominii impetrat, *l. ult. §. fin. autem tempore, C. de Jure dominii impetrando*.

Hæc Addictio fit Jussu, seu imperio, proinde ad mistum imperium pertinet. Aliud est in adjudicatione, quæ sententia Judicis, seu Arbitri fit; nam id, quod in tribus Judiciis familiaz eriscundæ, communi dividendo, & finium regundorum, alicui adjudicatum est, statim ejus fit, quod adjudicatum est, *§. si familia, cum sequentib. Institutionib. de officia Judicis, non quidem ex vi sententia Judicis, seu Arbitri, sed ex potestate adjudicationis: quæ adjudicatio ex lege XII. Tabularum unus est, ex modis sex acquirendi Jure Quiritium dominii*, Ulpianus in *Institut. tit. 19. de acquisitione rerum*. Et quidem adjudicatio in judicio familiaz eriscundæ, & communi dividendo, fit per arbitrum, cum sint bona fidei, *§. actionum Institutionib. de actione l. fundus, §. arbiter, ff. sam. erisc.* At in Judicio finium regundorum, quod stricti Juris est, fit per Judicem, *Glossa in d. §. actionum, v. communi dividendo, ubi eam disparitatis rationem redit.*

reddit, quia in finibus regundis, pars agri mei potest alterius agri dominio adjudicari, praestita mihi estimatione: at in aliis duobus, non mea res, sed communis adjudicatur, d.h. si familiæ, cum seq.

Non omnis ergo additio misti imperii est, sed ea tantum quæ fit a Prætore, vel Principe, qui imperium habet, non etiam quæ fit a Juge, vel Arbitro, qui eo carent: Ita similiter si jubet cavere Judex, non est misti imperii; at est, si jubet Prætor, *I. iubere caveri, ff. de Jurisdictione.*

Tutoris datio misti imperii esse videtur, cum referatur ad verbum, *Do;* contrarium tamen habet Ulpianus in *I. mato, §. tutoris, ff. de tutelis*, ubi ait: *Tutoris datio neque imperii est, neque jurisdictionis.* Cujus rationem reddit, quia tutoris datio non competit more majorum, seu Jure Magistratus, idest non statim ac quis Jurisdictionem, aut mistum imperium habet, haber quoque tutoris dandi potestatem; sed iis tantum competit, quibus specialiter, seu nominatim hoc dedit vel lex, vel Senatusconsultum, vel Princeps, ut constat ex *tit. Institution. de Attiliano sentore.* Exempli gratia ex constitutione D. Marci data est illi Prætori, qui specialiter *Tutelaris* dictus est, *I. 2. C. quando mulier tutela officio, Capitolinus in Marco.* Ejusdem constitutione data est Juridico Alexandriæ, *I. 3. ff. de offic. Jur. Alex.*

Hinc fit, tutoris dationem competere etiam iis, qui Magistratus non sunt, si hoc eis specialiter iudicatum sit; nam competit Legato Proconsulis, *I. 1. §. legatus, ff. de tutoribus*, qui privatus est, non Magistratus, seu, ut dicitur, Ordinarius, quia non est creatus in comitiis, & populi suffragiis, moreque majorum, ut Magistratus populi Romani creari solent, Cujacius in *lib. 1. qq. Papiniani*, ad *I. 1. ff. de offic. ejus*, Petrus Faber in *I. nemo potest, ff. de reg. Jaris.* Ita quoque deficiente Magistratu competit Decurionibus, *I. ubi absunt, ff. de tutor. I. decreto, ff. qui petere tatem: qui & ipsi Magistratus non sunt, & a Magistribus distinguuntur, ut in citatis Jaribus patet.*

Fit etiam, ut tutoris datio mandari non possit, scilicet quia competit iis tantum, quibus nominatim concessa est, *I. acc. mandante, ff. de tutorib.*

Objicies I. ex *Accusatio in d. l. mato, §. Tutoris*, Tutores inviti extra ordinem captis pignoribus, aut multe dictione tutelam injunctam suscipere compelluntur, *I. 1. ff. de admin. tutor.* quæ tutoris datio misti imperii est. Verum nihil obstat, quia potestas dandi tutoris a potestate tutoris cogendi distincta est: illa neque Jurisdictionis, nec misti imperii est, *hæc secus, Wissembachius 7. disp. tb. 29.*

Objicies II. ex *§. scilicet hoc Jure, Institutionib. de Attil. tute*re, ubi tutor a Prætore secundum suam Jurisdictionem creatur: ergo tutoris datio Jurisdictionis est. Sed neque id obstat; non enim dicitur tuteorem dari vi Jurisdictionis, sed hoc solum, *Præfectum urbi, & Prætorem posse crea*

re tutores; Praetorem tantum in urbe, ubi Jurisdictionem habet, Praefectum non in una modo Urbe, sed ubicumque Jurisdictionem habet. Quod ideo dictum est, quia Praefecti Urbi Jurisdictione non in Urbe tantum, sed ad centesimum miliarium extra urbem extenditur, l.i. §. in aiso, ff. de offic. Praefecti urbi. Præterea quod imperii misti est, Jurisdictionis etiam dici, ut etiam acrescendus est Ulpianus in l.i. ff. de offic. ejus, & diximus supra qu. i.

III. *Jub. o.* Ita est de Praetoriis stipulationibus, quibus Praetor jubet caveri, exempli gratia, de opere demoliendo, si apparuerit justam operis novi denunciationem fuisse, rem pupilli salvam fore, Judicio sisti, & alia, de quibus in l.i. ff. de Stipulationibus Praetoriis. Non enim videntur ad mistum imperium pertinere, quia neque verbum *Do*, neque *Aldico* respiciunt; quare omnino Jurisdictionis erunt. Aliud tamen statuit Ulpianus in *I. Jubere*, ff. de Jurisdictione, iHis verbis: *Jubere caveri Praetoria stipulatione, imperii magis est, quam Jurisdictionis*; receptum enim est iussionem Praetoris actum etiam imperii esse, l. quod jussit, ff. de re judic. ibi: *Quod Jussit, vetuitur Praetor, contrario imperio tollere, & remittere potest*. Ergo cum Praetor caveri jubet, magis facit propter vim imperii, quam propter vim Jurisdictionis; magis, inquam, comparative, non elective: quippe elucet vis Jurisdictionis, sed magis imperii, *Cura* suus, & Cujacius post Gloss. in d.l. *Jubere*.

Etsi autem *Judex* quoque caveri jubet Stipulatione Judiciali, l. *Sti*-*pulationum s. in princ. ff. de verb. oblig.* veluti si agam pignoratitia actione, *Judex* caveri jubet, ne rei *Jus* in aliquo laeseris, l. *creditor*, ff. de pi-*gnor actione*. Jubet etiam, heredem legatario caveri de persecundo servo, qui in fuga sit, & se natus fuerit, restituturus, l. . . tamen id neque ad Jurisdictionem, neque ad imperium pertinet, cum *Judex* utroque ca-reat, l. ait *Praetor*, in princ. ff. de re judic. Itaque non omnis Jussus est imperium, sed *iz* tantum, qui sit ab eo, qui imperium habet. Ita *Dua-**tenus*, & *Goveanus* in d.l. *Jubere*.

Neque supradictis obstat Pomponius in d.l. *Stipulationem*, cum di-*cit*, *prætorias stipulationes, & sedilitias, a Jurisdictione venire*; nec Ulpianus in l.i. ff. de *damno infecto*, ubi *Jubere caveri de damno infecto Ju*-*risdictioni Praetoris tribuitur*. Nam respondetur, quidquid est misti imperii, dici posse Jurisdictionis, quia cum misto imperio insit Jurisdictione, d.l. *imperium*, recte id, quod misti imperii est, centeri potest Jurisdictionis esse; quippe in compositis insunt simplicia, Bellonus cap. 8. quaest. 23. sum. 21. & nos supra qu. i. in princ.

Eodem modo statutum est, *Jubere possidere*, vel *rei servandæ causa*, scilicet ob *damnum infectum*, vel *causa servandæ dotis*, vel *legatosum servandorum causa*, statutum inquam est, imperii magis esse, quam Jurisdictionis, d.l. *Jubere*, l.ca quæ, ff. ad *municipalem*.

IV. *Exequor editum*, Ex hoc capite in integrum restitutio magis im-

imperii est , quam Jurisdictionis , d.l.ca quæ , ubi Magistratibus municipiis , idest , Duum viris , non permittetur in integrum restituere , quia id magis imperii est , quam Jurisdictionis , Duumviri autem sine imperio sunt , l.nec Magistratibus , ff.de injuriis . Quæ in integrum restitutio executionem edicti respicit , quæ minoribus non ita a Prætore permissa est : *Dabo in integrum restitutionem , l.i. §.fin. ff.quod falso tute.* Majoribus vero ita : *In integrum restituam , l.i. §. 1. ff.en quibus causis maiores.*

Idque verum est inspecko etiam Jure novo Justiniani , qui non mutant Jus antiquum in alio , præterquam in eo , quod constituit , mandata generali Jurisdictione , in integrum restitutionem transferri , quod olim non erat , l.ult. vers. five hoc , C.ubi & apud quem . Itaque recipi nequeunt Alciatus in d.l.sipulationum s. num. 17. Longovallus in d.l.imperium , num. 126. cum seqq. Goveanus in l.i. nam. 20. ff. de Jurisd. qui restitutionem in integrum esse simplicis Jurisdictionis opinantur ex l.17. §.ult. ff.de minoribꝫ , ibi : *Et tam Praefectus Urbi , quam alii Magistratus pro Jurisdictione sua restituere in integrum possunt .* Nam ibi Jurisdictionis nomen generatim accepum est . Aliter respondet Accursius ibi . Quod si objicias , restitutionem in integrum auxilium extraordinarium dici ex l.in causa 17.in princ. ff.de minor. l.sed cum ab herede , ff.ad Trebell. Ergo ad Judicia extra ordinem pertinet , non ad mistum imperium . Respondendum est , auxilium dici extraordinarium non respectu judicii , sed quia novum beneficium est a Prætore impertitum , cum Juris meri actio deest , d.l. 17. Eodem sensu quædam bonorum possessiones extraordinaria dicuntur , & tamen omnes misti imperii sunt , d.l.imperium .

V. Executio sententia ; executio enim sententia a Judice , vel ab Arbitro latæ , ad Prætorem pertinet , l.a D.Pio , in princ. ff.de re Judic. ubi Glossa , Bartolus , & alii communiter , quia fit , vel multam indicendo , l.sacrilegi , §.ult. ff.ad l.Jul.pecul. vel pignus capiendo , & distrahenndo , l.i. & 2.C.de exec.rei judic. vel retinendo corpus , Paulus s. sent. 26. Quæ omnia misti imperii esse mox patebit . Idipsum docuit Duarenus de Jurisdict. cap.8. Cujacius 21. obs.30. Verum quamvis pignoris capionem multam , vincula , esse imperii misti fateamur : hæc tamen omnia ab executione sententiae distincta sunt , quæ non nisi Jurisdictionis est . Constat id ex l.i. §.i. ff.si quis Jurisdictioni non obtemperaverit , ubi executio sententiae contra contumacem manu etiam militari facta , dicitur supremum Jurisdictionis .

De Modica coercitione.

Quarto IV.

Coercitio duplex est, una gravior, quae est meri imperii, *i. si quid erit, ff.de offic. Procons. altera modica, quae ad imperium non merum pertinet, l. ult. §. ult. ff.de offic.ejas, idest ad mixtum imperium, ut est communis opinio, Duaren. i. disp. 53. Cujac. 21. obs. 30. Fab. 4. conject. 4. contra Glossam in d.l. imperium, v. mixtum, & Sigonium 2. de Judiciis 4. Hæc etiam simpliciter Coercitio dicitur, l. 2. §. exactis, ff.de orig.Juris, l. 2. ff.de in Jus vocando. Et est potestas plebisciendi eos, qui Jus dicenti non obtemperant, l. 1. §. propter casum, ff.de postul. l. contumacia, in princ. ff.de re judic. quæ ideo data est Magistratibus, quia sine ea vana & eluforia esset eorum Jurisdictio, l. ult. §. ult. ff.de officio ejus.*

Hujus plures partes sunt, quæ Prætoria remedia dicuntur in l. i. §. ex hoc, ff. de ventre insp. & sunt Multæ diætio, Pœnale Judicium, Pignoris capio, Verbera, Vincula, a Possessione expulsio.

I. Ergo est Multa, seu indictio certæ pecuniae ad coercendos contumaces, quæ indictio Magistratibus majoribus licita est, ut Prætori, d.l. i. §. ex hoc, & Præsidi, l. aliud, §. ult. ff.de verb. signif. l. illicitas, §. ult. ff.de offic. Præsidis. Olim apud Romanos multa suprema indicebatur in ovibus, aut bubus: sed cum hæc non omnia unius essent pretii, ideo ad æqualem multæ punitionem, pro ove indictus est decussis, pro bove centassis, quod L. Ateriæ tribuit Gellius 11. A.A. 1. Tarpejæ Festus, quæ tamen eadem lex est, varie appellata a duobus ejusdem anni Consulibus, a quibus lata est, P. Manutius de legibus Romanis pag. 90. Et hoc est, quod voluit Ulpianus in d.l. aliud, in princ. cum multæ animadversionem hodie esse pecuniariam ait, nempe quia olim in bubus, & ovibus indicebatur, ut explicat Briss. i. selectarum antiquitatum 3.

II. Datio pœnalis Judicij, quod datur contra eum, qui Jus dicenti non obtemperavit in eo, quod extremum in Jurisdictione est. Exemplum esto. Quidam Judicio reivindicationis pro re mobili conventus, non est passus rem a se vindicari, id est in Jus vocatus, non venit; quo casu Prætor ad defendendam suam Jurisdictionem, manu militari rem abducit, vel aufert a reo, ut etiam sit si condemnatus sententia non paruit, l. qui restituere, ff.de reivind. Si id reus passus est fieri, non datur contra eum pœnale Judicium, quia licet fuerit inobediens in eo, quod respicit Jurisdictionis initium, non restitit tamen Jusdicenti in eo, quod Jurisdictionis extremum est, ut qui passus est rem duci, seu ferri: Ceterum si & sequentia recusavit, idest rem duci vel ferri repugnavit, tunc non obtemperasse videtur, ut sunt verba Ulpiani in l.un. §. 1. ff. si quis

Inſtſicentis non obtemperaverit. Quæ ſatis demonstrant, hōc tantum caſu locum habere pœnale Judicium, ſcilicet, cum quis & ſequentia recuſavit; nam adverbium *tunc* ex ſui natura reſtringit, & coarctat, *l.in ſubſtitutione, in fin. ff. de iug. l.in iis, §.ult ff. de conditionib. & demonstrationibus, l.Gallus, in princ. ff. de lib. & poſtb.* Et ita rektiſſime textum in d. §.i. poſt Bulgarum explicat ibidem Zasius, Cujac. in 1. & 2. recitatione, Al. ciat. i. parad. 5. Duaren. i. disp. 50. Idipſum eſt, ſi non admittatur iſ, qui in poſſeſſionem miſſus eſt, five ex cauſa damni infecti, five ex alia, *l. dies cautioni*, *§.fi intra, ff. de damno infecto, l.i. in princ. ff. ne viſ fiaſ ei, qui in poſſeſſionem miſſus eſt.*

Objicies ex hac interpretatione ſequi, eam tantum contumaciam coerceri, quæ reſpicit Jurifdiſtionis finem, non etiam eam, quæ reſpicit initium, vel medium, quod absurdum eſt, *l.2. §.i. ff. si quis in Jus vocatus non ierit.* Qua ſola ratione moti Bartolus, Angelus, Alexander, & alii coatra Bulgarum diſputarunt.

Facilis tamen reſponſio eſt, contumaciam omnem quandocunque admiſſam coerceri, ſed non ſemper eadem pœna; nam qui initio, vel me-dio Jurifdiſtionis non paret, coeretur quidem, ſed aut multa, aut vinculis, aut pignoribus, *l.i. §. cogenda, ff. de ventre in/p.d.l.2. §.i. ff. si quis in Jus vocatus, l. injuriarum, §. si quis, ff. de injur.* At pœnali Judicio, quod proponitur in edicto, *Si quis Jus dicenti non obtemperaverit, non coeretur, niſi iſ, qui non fecit id, quod extreum in Jurifdiſtione eſt, d.l.un. §.i.*

Hoc Judicium eſt ex Prætore, *d.l.un. §.non tantum*, & conceditur actori non ad id, quod intereſt, ſeu impenſas, ſed quanti ea res eſt, ideſt, ad rei perſeſutæ valorem, *d.l.un. §.ult.* Unde diſſert pœnale Ju-dicium a multa, quia haec applicatur fisco, *l.ult. C. de modo multarum: pœnale Judicium litigatori, Cujacius, & Duarenus locis citat. contra Glossam, Ba.tolum, aliosque, qui docuerunt ex co edicto dupli-cem ori-ationem, unam fisco, alteram litigatori.* Ita ſi non admittatur iſ, qui in poſſeſſionem miſſus eſt, non coeretur contumax pignoris capione, aut multæ diſtione, ſed aetione in factum ex edicto Prætoris, quanti ea res eſt, *d.l.dies cautioni, §.si intra, d.l.i. in princ.*

Quæ diximus in reo, locum quoque habent in aetore, ſi ſcilicet a reo coram eodem Judice reconvenitus, condeſmnatū ad aliquid reo præſtandum, ut in *l.cum Papinianus, C. de ſententiis, & interloc.* nam ſi Jus dicenti non obtempereret in eo, quod eſt extreum Jurifdiſtionis, coeretur & ipſe pœnali Judicio, *d.l.un. §.non ſolum.*

III. Pignoris capio ex Prætoris edicto deſcendit; quippe duplex hu-jus cauſa eſt; vel enim capitū ob contumaciam, vel ob executionem rei judicatæ, *l.2. C. qui potiores in pignore.* Ob contumaciam eſt, quoties aetor mittitur in poſſeſſionem, vel rei unius, vel rerum omnium ejus, qui Jus dicenti non obtemperat, quo caſu Pignus prætorium contrahi dici-tur,

tur, l.3. §. i. ff. de reb. eorum, l.2. in princ. ff. pro herede, l. si postquam, C. ut in posseß. legatorum. Ob executionem rei judicatae: quippe executio sententiae plerumque fit per pignorum capionem, & distractionem, l. i. & 2. C. de executione rei Judicata, l. a D. Pio, §. in venditione, ff. de re judic. l. si pignora, ff. de evictionib. Pignoris capio est imperii, d. l. sacrilegi, §. ult. Quod verum est, si fiat a majore Magistratu, qui imperium habet, non etiam si a minore, puta municipali, qui imperio caret, ut distinxit Alexander in l. dies cautioni, §. si intra, ff. de danno infelio, Jason in l. Jubere, ff. de Jurisd.

IV. A possessione expulsio, & in possessionem missio. Hac distante in eo, quod in possessionem missio, quae sit ex primo decreto, non tribuit possessionem, sed tantummodo custodiam, possessione apud reum manente, ut contra Q. Mutium docet Paulus in l.3. §. ult. ff. de acq. poss. At a possessione expulsio fit post secundum decretum, vel ex alia iusta causa, cum vera actori tribuitur possessio, quae aufertur a reo, qui alioquin prætoria potestate, vel etiam militari, cogitur a possessione decedere, l. & quis missus, in princ. ff. ne bis fiat ei, l. i. §. coget, ff. si ventris nomine.

V. Vincula; potest enim Praetor contumaces coercere, jubendo in vincula duci, l.2. ff. de in Jus voc. l. in injuriarum, §. si quis, ff. de injariis. Et licet hæc coercitio meri imperii sit, si fiat ex causa criminali, sive in poenam, sive ad custodiam, quoad de crimine cognoscatur; tamen cum in contumacem irrogatur ex causa civili, misti imperii est: nam qui corpus retinet, imperio utitur, d. l. sacrilegi, §. ult. ff. ad L. Jul. pecul. Longovallius in l. imperium, num. 116. & 169. Eguin. in l. ult. ff. de offic. ejus, Cujac. in l. i. ff. cit. tit. Govean. lib. i. de Jurisd. num. 33. Qui carcere clausus est, is non videtur neque vincitus, neque in vinculis esse, nisi corpori ejus vincula sint adhibita, l. verum est, ff. de verb. signif.

VI. Verbera; hæc si gravia sunt, ad merum imperium pertinent: si levia, distinguendum est, ut sint misti imperii, si contumacibus infligantur ex causa civili, §. si vero ignori, aut b. de testib. si ex causa criminali, sunt imperii meri, Bartolus in d. l. imperium, num. 11. & ibi Alexander num. 27. Salomonius in l. i. in princ. num. 15. de ff. officio ejus.

Utrum modica coercitio Magistratibus municipalibus competit.

Q U E S T I O V.

Varia Magistratum genera sunt. Alii enim sunt Majores, qui imperium, sive potestatem habent, l.2. ff. de in Jus vocando, l. nec Magistribus, ff. de injuriis; ubi nomine potestatis venit imperium merum ex l. imperium, ff. de Jurisdictione: propterea nomine imperii intel-

ligitur mistum; tum quia alioqui frustra in d.l. nec *Magistratibus* dis-junctive diceretur, *sine imperio*, aut *sine potestate*; tum etiam quia in d.l.2. imperii exempla hæc adducerentur, coercere, & jubere in carce-rez duci, quæ ad mistum imperium sunt referenda, ut in l.sacrilegi, §.ult. ff.ad l.Jul. pecul. nam proprium meri imperii exemplum est Jus gla-dii, d.l. *imperium*; tum tertio, quia Prætor urbanus major Magistratus est, & cum imperio, d.l.2. nec tamen in criminosos animadvertere po-test; quare si contingat, ut tutor ob factum atrocius in tutela admissum, gravius, quam suspecti infamia, sit puniendus, a Prætore, apud quem fuit accusatus, remittitur ad Præfectum urbi, ut pro merito in eum ani-madvertat, l.1.§.folent, ff.de offic. *Præfecti urbi*, l.1.§.ult.l.2. ff.de *suspectis tutoribus*, l.nisi, C.de *administr. tutor*. Excepta cognitione de domino a familia occiso, quæ Senatusconsulto Silaniano fuit nominatim tributa Prætori urbano, l.1. i.v *princ. vers. et si a familia*, ff.de officio ejus. Ita con-tra Alexandrum, & Veteres alias, imperium in majore Magistratu acci-piunt Corasius 3. miscell. 6. num. 1. Goveanus 1. de Jurisd. num. 4. Ho-tomannus in lexico, v. *Magistratus*. Inter maiores Magistratus alii habent imperium more, seu Jure Magistratus, ut Urbani: alii lege, ut Provin-ciales.

Inter maiores Magistratus, quidam sunt ordinarii, ut Romæ Præ-tor, Consul, Præfectus, in Provinciis Proconsul, Præses: quidam ex-traordinarii, ut Dictator, Interrex, Censor, Manutius de legibus Ro-manis, pag. 144. Vide Bell. cap. 2. qu. 1.

Minores Magistratus sunt, qui sine imperio, aut sine potestate sunt, d.l. nec *Magistratibus*, ut Romæ Tribunus plebis, Ædilis curu-lis, Ædiles Plebeji. In eo genere sunt Duumviri, seu Magistratus Mu-nicipales, qui non habent merum imperium, ut constat apud omnes in d.l. nec *Magistratibus*, Corasius 3. misc. 6. Nec obstat, quod dicuntur habere fascium potestatem, l. *Duumvirum*, C.de decurzionib. lib. 10. nam fasces pro simplici dignitate positæ sunt, ut post Gloss. ibi recte notat Eguin. in d.l. nec *Magistratibus*; constat enim Magistratus municipales nec habuisse lictores, nec fasces, cum hæc sint insignia Magistratum, l. *Proconsules*, ff.de officio *Proconsulis*, Briss. 3. seleet. 14. In dubio tamen est, an modicam coercionem habeant, quæ pars est imperii misti.

His ita positis, quidam docent, Magistratus municipales, sive minores, habere modicam coercionem, Gloss. Bartol. & alii in l.un. in princ. ff.si quis judicanti non obtemperaverit, Cujacius ibid. & in l.1. ff. de officio ejus, & lib. 1. qq. Papin. Unde orta est illa opinio, Jurisdictionem simplicem non dari, sed eam semper & ubique cum imperio esse con-junctam, Cujacius 4. obs. 15. & 21. obs. 30. Eguin. in l.ult. ff. de officio ejus.

Ceterum alii iisdem Magistratibus modicam coercionem negant, post alios Alciatus in l. stipulationum in princ. num. 23. ff. de verb. oblig.

Za-

Zasius sygnt.intellectuum, cap. 10. Anton. August. 3. emend. 6. Bellonus cap. 8. quæst. 16. Nos hanc quæstionem in plures propositiones distinguimus.

P R O P O S I T I O I.

Multæ dictionem Magistratus Municipales non habent more, sed mandatis Principum. Id aperte docet Ulpianus in *I.alius*, §.ult. ff.de verb.signif. ibi: *Magistratus solos, & Praesides Provinciarum, posse multam dicere mandatis permisam est*. Nam tria sunt genera Magistratum; quidam enim sunt Urbani, quidam Provinciales, & quidam Municipales; illa vero verba, *Praesides Provinciarum*, ad Provinciales referuntur, quippe nomen Praesidis generale est, comprehendens omnes, qui Provinciam regunt, ut Proconsulem, Legatum Cæsaris, *I.i. ff.de offic. Praesidis*. At illa alia, *Magistratus solos*, nequeunt referri ad Magistratus Urbanos, quidquid Bellonus dicat, quia hi multam dicunt more, ut *Egnatius, Goveanus, & Cujacius ostendunt ex Gellio lib. 11. cap. 1. ubi ait: Quando igitur nunc quoque a Magistratis Populi Romani more majorum multa dicitur; tum etiam, quia mandata Principum non ad urbanos Magistratus, sed ad municipales, vel provinciales dirigebantur, I.3. ff. et iff. Procons. Autb. de mandatis Principum.*

Ideo autem dicit Ulpianus, *Solos Magistratus*, quia qui in Magistratu non erant, nec etiam mandato Principis, multæ dictionem habebant, *I.defensores, C.de defensoribus civitatum*, ubi Impp. de civitatum defensoribus, qui erant in municipibus loco Tribunorum plebis, ajunt, *Nullas infligant multas*. Qui defensores Magistratus non sunt, ut aper-te constat ex titulorum diversitate in *tit.C.de defensorio.Civit. & tit.C. de Magistratis municipilibus*, ut recte contra Veteres docent Duarenus in *I.Magistratis, ff.de Jurisd. Cujac.in lib. 1. Pauli ad editum, I.ca qua, ff.ad municipalem*. Ex quo textu in *d.I.defensores* comprobatur no-stra propositio; nam si Magistratus municipalis, qui major est defen-sore, non posset dicere multam; absurdè quæstum esset, an multæ dictio defensori competit, ut argumentatur Cujac. in *I. i. ff.de offic.ejas, &c in lib. 1. qq.Papin.*

Exciendum tamen videtur, si Defensores nuncios suos delinquen-tes in officio coercere vellent; nam generatim Judicibus omnibus etiam delegatis concessum ab Imperatoribus est, ut nuncios non obsequen-tes mandatis, vel removere, vel etiam multis afficere, *I.2. C.de sportulis*. Qui textus tantum de nunciis, de quibus nominatim loquitur, acci-piendus est, Corasius in *d. I. Magistratis nura. 7.* Ceterum constat de-fensores Judices esse, olim quidem de levioribus causis urbanæ, rusticæ-que plebis, *I.i. & 3. C.de defensoribus Civitatum*; hodie de omnibus cau-sis pecuniariis usque ad aureos 300. §. & *judicare, autb. de defensoribus Civitatum.*

Vet.

Verum quia ex Justiniano in §. audient, auth. cit. Defensores le-
viora crimina cognoscere possunt, & castigationi competenti tradere,
propterea eis imperium videtur concessum, & multæ dictio.

Ex dictis intelligimus eundem Ulpian. in l.2. §.ult. ff. de Judiciis;
cum ait: *His datur multæ dicenda Jus, quibus publice Judicium est,*
& non aliis, nisi hoc specialiter eis permisum sit. Nam cum dicit, mul-
tae irrogandæ Jus competere omnibus, quibus publice Judicium est, lo-
quitur de Magistratibus urbanis, qui dicuntur publice Judicium habere,
hoc est auctoritate populi Romani; nam id publicum dicitur, quod Po-
puli Romani est, *I.bona civitatis, ff.de verb.signif.* Quo sensu publice
coerceri crimen dicitur in *l. Lucius Titius*, §.ult. ff.de evictionib. Cum
vero addit, multæ dictio habere etiam illos, quibus ea specialiter
permissa est, intelligit de Præsidibus, & Magistratibus municipalibus,
ex d.l.alii, §.ult.

Duumviti suam Jurisdictonem imperio tueri non possunt, quo-
niam eorum Jurisdiction a lege municipaliter proficiscitur, vel certe more
municipii. Ita lege vel more habent, ut unius personæ vicem gerant,
l.Magistratus, ff.ad municip. Et ex lege municipii obtinent potestatem,
ut coram ipsis emancipentur filii, etiam ab exteris, *l.1. C.de emancipa-*
tionibus liberorum. At municipium imperio caret, quod solius populi
Romani est; quare soli Magistratus Romani dicuntur habere imperium,
l.nec Magistratibus, ff.de iniuriis, l.ctsi Prætor, ff.de offic.ejus, l.sed et si,
§.hæc clausula, ff.ex quibus causis major. Ergo Duumvirum Jurisdictione
ne imperio est.

Obstat tamen, quia qui habet Jurisdictionem habet & ea, sine qua
bus nulla & inutilis Jurisdictione est, *l.2. ff.de Jurisd.* Sed sine modica coer-
cione Jurisdictione nulla & inutilis est, *l.ult. §.ult. ff.de officio ejus.* Debet
ergo Magistratus municipalis habere modicam coercionem, & in con-
sequens mistum imperium, quoniam modica coercione misti imperii est,
d.l.ult. §.ult.

Quæ difficultas varie DD. exercuit. Eguin. in *d. l.un. ff.si quis Jus*
dicendi non obtemperav. putat, a Duumviris Præsidis auctoritatem esse
implorandam; quæ responsio difficultatem non solvit; quippe hoc modo
Duumvirum Jurisdictione adhuc est sine modica coercione. Corasius in
l.Magistratibus, num.7. ff. de Jurisdictione duplē distinguit coercionem,
unam quæ sit imperium mixtum, Jurisdictioni cohærens, sed ab
ea distinctum: alteram, quæ sit pars Jurisdictionis, & hanc in pignoris
capione consistere, quam Duumviri habent ex lege, ut testatur Ulp. in
l.quemadmodum, §.Magistratus, ff.ad l.Aquis. id est ex lege municipii, quæ
pignoris capionem fecit partem Jurisdictionis, non etiam partem imperii,
quia municipium potest impetrari Jurisdictionem, *l.Magistratus, ff.ad mu-*
nicipalem, l.1. C.de emancipatione liberorum: at non potest tribuere im-
perium, quod solius Populi Romani est. Hac igitur coercione Duum-
viri

yiri suam Jurisdictionem tueruntur. Sequitur Bell. cap. 8. q. 16. n. 68.

Progressu temporis fuerunt deinde Duumviris nonnulla concessa; quæ misti imperii sunt, vel edicto Prætoris, vel mandatis Principum.

P R O P O S I T I O I I .

POENale Judicium Magistratibus municipalibus non competit, ut scribit Ulpianus in l. s. in princ. ff. si quis Jus dicenti non obtemperaverit, his verbis: *Omnibus Magistratibus, non tamen Duumviris, secundum Jus potestatis sue concessum est, Jurisdictionem suam descendere per seali Judicio.* Quibus verbis dationem pœnalis Judicij Magistratibus Urbanis, & Provincialibus, ex Prætoris edicto concessam testatur, non item Magistratibus municipalibus. Quæ apertissima sunt; quorum vim Adversarii ut effugiant, pro eo, quod legitur, *Non samen Duumviris*, ut habent meliores libri, & Pandectæ Florentinæ, reponunt, *Non tantum Duumviris*, cuius lesionis meminit Glossa ibidem. Quæ tamen lectio inepta est, significaret enim mihius esse dubitationis in Duumviris, quam in aliis Magistratibus; cum tamen e contrario certum sit, minus subesse dubitationis in Magistratibus Populi Romani, & in Provincialibus, quam in Duumviris, quia illi plus Jutis, quam isti, habent, ut notant Bart. Castr. Alex. & Jas. in d. l. s. n.

P R O P O S I T I O I I I .

Magistratus municipales pignus capere possunt, Longovallius in d. l. imperiam, n. 176. Cujacius in l. i. ff. de offic. ejus. Et docet Ulpianus in l. qui modum, §. Magistratus, ff. ad l. Aquilam, ubi Duumviri dicuntur aliquando ex lege pgnus capere, aliquando per errorē non ex lege; qui textus varie a Doctoribus exponitur: sed certe recta explicatio desumenda est ex eodem U. p. in l. dies cautioni, §. si intra, ff. de domno infecto, ubi Duumviris contra non caventem de damno infecto (nam jubere caveri hic ob periculosam dilationem Duumviris Prætor permisit, quamvis misti imperii sit, l. i. ff. cit. tit.) licitum est mittere in possessionem ex primo decreto, quod pignus Prætorium est: at si idem missum non admittat, captis pignoribus a Duumviris coerceri non potest, ut nec a Prætore, nec a Præside; sed contra eum datur in factum actio. Illo ergo casu Duumviri pignus capient ex lege, isto non ex lege.

Itaque cum pignus ex lege capi a Magistratibus potest, utique a Duumviris recte etiam capietur, sive ob contumaciam capit, sive in executionem rei judicatae, d. §. Magistratus, l. 3 §. 1. ff. de rcb. eorum, Longovall. loc. cit. Bellonus cap. 8. q. 16. n. 68. qui id intelligit ex lege municipali, ex qua Duumviri Jurisdictionem habent, Eguin. de lege contractus lib. 1. variar. qq. pag. 36.

Pao-

PROPOSITIO IV.

Magistratus municipales non habent prehensionem , neque vinculis coercere possunt ; nam qui tale Jus habent , nequeunt sine fraude in Jus vocari , l.2. ff. de in Jus vocando , ubi Ulpianus ait : *In Jus vocare non oporteat Magistratus , qui possunt Jubere in carcere duci .* Et hi erant Magistratus majores , l. nec Magistribus , ff. de injuriis , l. sed et si , §. bac clausula , ff. ex quibus causis majores , l. qui accusare , §. alii , ff. de accusationibus , l. si reus , ff. judicatum solvi , Gellius lib. 13. cap. 13. Quod ideo factum est , quia si reus protinus & sine mora auctorem in Jus vocantem non esset sequutus , potest auctor in eum manus injicere , & eum rapere , invitumque trahere in Jus , obtorto collo , l. si vero , §. ult. ff. qui fastidare cogit . l. si quis instituatur , §. ult. ff. de hered. instit. & extit. ff. ne quis eum , qui in Jus vocatus est , vi eximat . Plautus in *Penulo*.

Priusquam obtorto collo ad Praetorem trabor.

At Magistratus minores , ut sunt Duumviri , in Jus possunt vocari , d. l. nec Magistribus , etiam si Quæstor Populi Romani sit , Gellius loc. cit. Unde fit , ut prehensionem non habeant .

Excipimus tamen in servo , quem Duumviri ex justa causa , veluti ob fugam , possunt in vincula conjicere : quod etiam liminarchis , & stationariis licet , l. si quis uxori , §. fugitivum , ff. de furtis , l. liminarchæ , ff. de servis fugitivis . Imo defensores Civitatis in quoscumque criminum reos hanc potestatem conjiciendi in vincula habent , dum non suo nomine , sed Præsidis faciant , mox ad Præsidem transmissuri ; ne dum Præsidis Jussus alibi commorantis expectatur , reus in tutum se recipiat , l. defensores , C. de defens. Civit. antb. cit. sit.

Hinc Magistratus , qui vocationem & prehensionem habebant , ut Consules , Praetores , Praefecti , Praesides , iidem habebant & Accensum , & Lictorem , illum ad vocationem , hunc ad prehensionem . Qui vero non vocationem , sed prehensionem , ut Tribuni plebis , hi non habebant Accensum , sed Lictorem . Qui denique nec vocationem habebant , nec prehensionem , ut Quæstores , & Aediles , utroque carebant . Vide Gellium lib. 13. cap. 12. & seq. Signonum de antiquo Jure Provinc. 15. Alciatum in Imperium , num. 22. Cujac. 21. obs. 30.

PROPOSITIO V.

Duumviri verberibus inobedientes coercere non possunt ; possunt tamen servum , qui eis resistat . Utrumque constat ex l. quemadmodum , §. Magistratus , in fine , ff. ad l. Aquilam , ubi Magistratus municipales in resistentem servum possunt quid violentius facere ; quæ verba explicantur in l. apud Labeconem , §. adjicitur , ff. de injuriis , ubi Magistratus

gistratus municipalis servum , honorem ornamentaque petulanter attentantem, loris cedere , & rumpere potest. Pro ornamentis intelligit praetextam , qua utebantur , Livio teste .

P R O P O S I T I O V L.

Expulsio a possessione licita non est Magistratibus municipalibus, nec etiam in causa damni infecti , quia ex ea causa Praetor sibi Jurisdictionem reservavit , *L. dies cautioni* , §. si forte , ff. de *damno infecto* .

С О Р О В Б А З И А :

Ex hac tenus dictis plura colliguntur. I. Magistratus municipales habere non omnia , sed aliqua , quae misti imperii sunt , quæque ipsi specialiter concessa sunt . Ita ex lege Constantini eis permitta est datio bonorum possessionis , *I. ult. C. qui admitti* . Ex edicto Praetoris Jubere cavere in causa damni infecti , *I. i. ff. de damno infecto* . Ex eodem edito conceditur missio in possessionem causa pignoris , *L. dies cautioni* , §. *ff. intra* , ff. *cit. sit.* imo omnis capio pignoris lege permitta est , *I. quemadmodum* , §. *Magistratus* , ff. *ad I. Aquilius* . Ita quoque multæ dictio ex mandatis Principum , *I. alsud* , §. *ult. ff. de verb. signif.* In reliquis locum habere regulam textus in *I. ea quæ 26. ff. ad munic. nempe* , quæ magis imperii sunt , quam Jurisdictionis , ea Magistratus municipalis facere non potest .

II. Colligitur intellectus textus in *I. nec Magistratibus ff. de injuriis* ; ubi Magistratus minores sunt , qui nec potestatem , nec imperium habent ; intelligi enim id debet respectu originis , quoties scilicet Magistratus , cum primum constitutus fuit , nil nisi unam Jurisdictionem habuit ; quamvis progressu temporis ex speciali concessione nonnulla , quæ imperii misti sunt , acceperit , quoties Magistratus generali imperio caret , seu caret Jure Magistratus , licet aliquando ex speciali concessione imperio possit uti . Nam Magistratus municipales in quibusdam mistum imperium ex lege obtinent , quia tamen id in omnibus non habent , ideo minores adhuc Magistratus sunt , & Imperio carere dicuntur . Ita Praetor urbanus meru imperio caret , quamvis ex Senatus consulo Silaniano ei tributa sit animadversio in familiam , quæ dominum occidit , *I. i. in princ. ff. de officio ejus* .

III. Mistum imperium , quod Magistratibus urbanis , & ad eorum imitationem , Provincialibus competit more , seu Jure Magistratus , id Duumviris non nisi lege competit , seu quia id specialiter , & nominatum eis concessum est ; de qua tamen re latius infra .

IV. Intelligentia textus in *I. Magistratibus ff. de Jurisit* . cum Ulpianus ait : *Magistratibus municipalibus supplicium a ferro sumere non licet* ,

cet, modica autem castigatio eis non est deneganda. Nam alii hinc concludunt, Duumviris modicam coercionem, quæ Jurisdictioni coheret, contra contumaces in causis civilibus permitti. Alii ab Ulpiano sermonem haberi de causis criminalibus, prorsus ut Duumviri queant de criminalibus levioribus cognoscere, Castre. in l. an. in princ. s. ff. si quis Jus dicenti non obtemper. Alii tandem modicam castigationem Duumviris non licet, nisi in servos, de quibus nominatum Ulpianus loquitur. Ita Bellonus cap. 8. qn. 16. num. 62. Quæ sententia verior est; nam facilis permittitur potestas coercendi servos, quam liberos homines. Ita Duumviri servos vinculis coercere possunt, & verberibus afficere, ut diximus; nec mirum, nam servorum coercitio quandoque etiam privatis permittitur; nam & servum, qui publicam viam effodiat, cuiilibet obvio castigandi Jus est: at homo liber ex hac causa non a privato castigari, sed ad libus tantum demonstrari debet, Ladiis, s. curent, ff. de via publica.

Itaque in causis criminalibus nec etiam levibus, cum de homine libero agitur, ullam Duumviri coercionem habent. Nec obstat, eam habere Defensores Civitatis, qui minores Duumviris sunt, §. audent, extb. de defens. Civit. Nam respondetur, non esse novum in Jure nostro, coercionem in causis criminalibus quandoque minoribus dignitatibus committi. Quod clare ostendit Ulpian. in l. aliad, §. ult. ff. de verb. signif. cum dixisset, Magistratus solos, & Praesides Provinciarum, posse mandatis multam dicere, tam addit: *Ponam autem unusquisque interrogare potest, cuius bujus criminis, sive delicti, executio competit.*

Ucrum detur Jurisdictionis simplex, & sine imperio.

Q u a s t i o VI.

Sunt, qui docent, nullam dari Jurisdictionem simplicem, sed omnem esse cum imperio mixto conjunctam, propterea quod nequit dari Jurisdictionis sine modica coercitione, quæ coercitio est imperium non merum, sive mixtum, l. ult. ff. de officio ejus. Unde factum volunt, ut quæ Jurisdictionis sunt, dicantur imperii etiam esse; ut ecce interlocutio est Jurisdictionis, & tamen imperium appellatur, l. quod Jaffit, ff. de re judicata: & contra quæ imperii sunt, dicantur etiam Jurisdictionis esse, ut in quest. 1. diximus. Ita sensere Veteres quidam, de quibus mentionit Glossa in d. l. imperium. Sequuti sunt Salomonius, & Eguinarius in l. 1. in princ. ff. de officio ejus. Et Cujacius pluribus in locis, præcipue 4. obs. 15. & 21. obs. 30.

Hæc tamen opinio, utpote Jurisprudentiæ principiis contraria, merito rejicitur a Glossa ibidem, Fabro 4. conject. 4. Fachin. 9. contruv. Bel-

Bellon. cap. 8. qu. 23. 2 nam s. qui omnes simplicem Jurisdictionem ab imperio disjunctam, vel distinctam, dari docent.

Etenim primo disjuncta in Magistratibus minoribus, qui teste Ulpiano sine imperio & potestate sunt, i.ecc. Magistratibus, ff. de injuriis quare in ipsis est Jurisdictionis disjuncta ab omni imperio. Exemplum est in Duumviris, qui Jurisdictionem habent, i.ecc. municip. l. 2. in princ. ff. si quis Jus dic. non obtemper. imperio tamen mixto carent, ut jam docuimus.

Est secundo distincta in Magistratibus majoribus, primo ratione propriæ essentiae, cum alia sit Jurisdictionis natura, & definitio, alia imperii. Secundo, ratione exercitii, & actus, quippe Praetor, e.g. cum Jus dicit, quod est Jurisdictionis, non utitur imperio: & contra, cum restituit in integrum, quod est imperii, non utitur Jurisdictione.

Nec obstanta contraria, jam enim diximus in questione antecedenti, duplex esse coercionis genus, unum quod ex imperio descendit, alterum quod Jurisdictionis est proprium. Præterea ex abusu vocabulorum Imperii, & Jurisdictionis, nihil colligi posse, constat ex his, quæ diximus quest. 1.

De Mero imperio.

Quarto VII.

HAETenus de Jure Praetoris in causis pecuniariis, in quibus Jurisdictionio, & Mistum Imperium locum habent. Obtinet præterea Praetor Jus efficiendi nocentes vario pœnarum genere, quod potestas, & merum imperium dicitur; non ideo, quod causæ criminales mere judicantis voluntati relinquantur, ut falso putat Alciatus in I. potestatis, ff. de verb. signif. quippe et si Judex multæ distinctionem pro arbitrio habeat, pœna tamen prosecutio non ab ejus voluntate, sed a legis auctoritate dependet, l. 1. §. 4. ff. ad Tarpil. l. 15. ff. ad municip. Harm. Prochiri 3. Sed ideo, quia non cohaeret Jurisdictioni, nec ei deservit, ut est de imperio mixto: imo ab ea est omnino disjunctum, & per se stat, Eguin. de Jurisd. pag. 26. Proximum itaque est, ut de eo agamus.

Et ab Ulpiano definitur: *Est potestas gladii ad animadvertisendum in facinorosos homines, i.ecc. imperium, ff. de Jurisd.* Quam definitionem multis oppositis difficultatibus DD. revertete conati sunt, quod nullum genus, nullaque in ea differentia cerni possit: item quod cum dicit, *Gladii, unam*, & non omnes animadvertisendi species enumeret, ut propteræ definitio non sequet definitum, ut videre est apud Waltherum l. miscell. 22. Quæ omnia nullius esse momenti per se in sequentibus patet.

Dicitur ergo Potestas, id est Jus, aut Vis; & in homine triplex est;

X 2 vel

vel enim est in patre erga filios , & dicitur Patria potestas , vel Jus patrum : vel in Domino erga servum ; & dicitur Jus despoticum : vel in Magistratu erga Cives , & dicitur Imperium , *I.potestatis* , ff.de verbor. signific. Quocirca hic est loco generis , quod mirum est non esse a Dotoribus animadversum. Quod autem potestatis nomen hic explicandum sit pro Vi, seu Jure , constat ex simili, nempe ex definitione patrii Juris, quod definitur *Vis*, seu *Potestas* : vel, ut legit Theophilus , *J.s.*, seu *Potestas* . Et clarius constat ex *I.cum Praetor* , §.item hi , ff.de *Judicis* , ibi; *Propter vim imperii* .

Dicitur *Gladis* , loco differentiae . Id tamen varie explicatur . Quidam enim id per figuram d' Etum volunt pro Justitia punitiva , vel pro qualibet graviori coercitione , licet sanguinis non sit , ut sacrificiorum interdictio in Jure Canonico appellatur gladius Ecclesiasticus , cap. *discretio* , de sententia excemm. in 6. Ideo ita explicant , ne cogantur facili , Ulpianum pro multis meri imperii speciebus , unam enumerasse , quasi ceterarum oblitum ; octo enim idem Ulpianus enumerat poenarum genera in *I.si quis* , §.ult. juncta *I.aut damnum* , in princ. ff.de *poenis* ; aut enim vitam adinunt , aut servitutem injungunt , aut civitatem auferunt , aut exilium , aut coercionem corporis continent , aut damnum cum infamia , aut dignitatis depositionem , aut alicujus actus prohibitionem , ut cum *Praeses* adovationibus interdicit , *I.moris est* , *f.cit.tit*. Si autem gladium proprio accipimus , non refertur nisi ad eam speciem , quæ vitam adimit , nec tamen eam omnem exhaustit ; nam vita adimitur etiam securi , laquo , fustibus , aliisve modis , *d.I.aut damnum* , §.i. Videtur ergo omnino dicendum , gladii nomen in ea definitione possumus pro Justitia punitiva .

Hec tamen explicatio a consuetudine Juris nostri abhorret , in quo semper gladius pro una meri imperii specie ponitur , *I.soleat* , in princ. ff.de offic. *Praecons* . *I.nemo potest* , ff.de reg. *Juris* , *I.slicitas* , §.qui universas , ff.de offic. *Praefidis* . Quare *Praeses* , qui habet Jus gladii , d. §.universas , non habet omnem gravem coercionem : nam neque securi , neque telo , neque laquo , neque alio modo vitam adimere potest , sed solum gladio , *d.I.aut damnum* , §.i. ita nec potest in Insulam deportare , sed tantum deportandum adnotat , *I.inter paens* , §.i. ff.de *interditis* .

Pro difficultate removenda , meminerimus , apud Dialeticos inter varias definitionis species , eam quoque extare , quæ Typus appellatur , cum id , quod definimus , exemplo declaramus , ut Victorinus , & Boettius in *Topicis* tradunt , & non desunt exempla in Jure nostro , quorum nonnulla habet Waltherus *loc. cit.* quibus addimus definitionem Aëtus , qui dicitur Jus agendi jumentum , vel vehiculum ; ubi jumenti fit mentio gratia exempli ; nam qui Aëtum habet , agere etiam potest boves , qui non continentur nomine jumenti , sed armenti , *I.boves* , ff.de verb. signif. item *oves* , *capras* , *sues* , licet eis gregis tantum appellatio convenient ,

I.i.

I. i. §. fin. ff. de revind. Itaque definitio Actus Typus est, non Oris. Eodem modo definitio meri Imperii Typum esse affirmat idem Waltherus, ab uno exemplo, eoque nobiliore ductam, nam gladio cingebantur potestates ad hoc imperium signandum, ut de Praefecto Praetorio constat ex Dione, Eguin. *de Jurisd.* pag. 26.

Dicitur *Ad animadvertisendum*. Solet verbum istud de summo supplicio usui patris quandoque tamen pro leviорibus poenis accipi posse, ostendit textus in *I. i. ff. de offic. Proconsulis*, & in *I. i. §. solent, ff. de offic. Praefecti urbi*, ubi distinguitur inter majorem seu graviores animadversiones, & minorem vel leviorem. Ceterum animadversionis nomine non ipsum supplicium venit: aliter carnifex dum homines necat, merum imperium diceretur habere; sed ipsa sententia pronunciatio intelligitur, ex cuius carminibus homo ad supplicium rapitur.

Dicitur *In facinorosos homines*; leges enim ad homines maxime regendos instituerunt sunt, aliudque praeter homines, ante oculos non habent: hos praeiis donant, hos poenis afficiunt; quamvis quandoque ob damnatorum odium, corundemque memoriam abolendam, statuas dejiciunt, aedes solo sequant, ut notat Cicero *pro domo sua*.

Verum etiam in bestias aliquando, male, ut ita dicam, de hominibus meritas, animadversum, memorie proditum est: ea scilicet ratione, ut homines intelligent quanto odio digna sint ea delicta, quae etiam in bestiis damnari solent. Itaque D.O.M. legibus a se latis precipit, neei tradi pecudem, quae monstrosa venere hominem experta est, *Levit. cap. 25.* & bovem cornupetam, si hominem occiderit, lapidibus obrui Jubet, *Exod. cap. 21.* Quae poena non sunt, sed usus dominii in bestias, ut ait Hugo Grotius *z. de Jure belli & pacis* 21. num. 11. Hec exempla sequuti sunt Judices, qui suem, quod puerum vorasset, laqueo suspenderunt, Guidon Papa *qu. 238.* Et qui Villici canes, ob Fratrem Franciscanæ Familiae disceptum, gladio feriendos damnarunt, inter quos & fuisse testatur Mornacius in *I. i. ff. si quadrupes pauper*.

Præterea cadaveribus quandoque poena dicta est, ut si quis doloris impatientia, vel rædio vita, sibi mortem concivit, capite plectitur, *I.* Poenæ enim non solum infliguntur ad hominem delinquenter emendandum, vel puniendum, cui rei post mortem locus non est, *I. 6. ff. de publ. delictis*, *I. 6. poena, ff. de poenis*, *I. 3. cum duab. seqq. C. fore vel accusator*: sed etiam ad deterrendos alios, *t. ff. de cadaveribus punitorum*, Gellius *15. N. A. 10.*

Quibus merum imperium competit,
& quomodo.

Q U E S T I O VIII.

I. **E**x aetate ab Urbe Roma Regibus, Consules constituti sunt duo, penes quos summum Jus uti esset, lege Curiata cautum est, l.2. §.ex aetate, ff. de orig. Juris, quosque in signum meri imperii praesent lictores cum fascibus, in quibus singulis erat securis ad necem, & virgæ ad verbera. Deinde paulo post summum ipsorum Jus, & regium imperium, lege Valeria a P. Valerio Poplicola lata restrictum est, factumque ut a Consulibus provocatio esset ad populum, & ne Consules injussu populi in caput Civis Romani animadvertere posset, d.l.a. §.ex aetate, & §. & quia. Unde Cons. extra Urbem fasces cum securibus habebant, intra Urbem secures non habebant, Dionys. l.5. Quod & L. Sempronius, quam C. Gracchus rogavit, repetitum, Manutius de legibus pag. 133. Itaque si quid admissum erat, quod capital esset, de ea referebatur ad populum, qui quæstionem mandabat Quæstoribus Parricidii, d. §. & quia. Hi re quæsita, denuo referebant ad populum: nam populus in Comitiis de Capite Civis judicabat, Muretus ad rub. ff. de offic. ejus.

Verum si gravius aliquod discrimen Republicæ imminere videretur, tum Consulibus summum Jus nominatim Senatus consulto mandabatur. his verbis: *Dent operam Cons. ne quid Res publica detrimens capiat.* Ex quo intelligebatur permissa Cons. etiam in caput Civis Romani animadversio, Cicero in Catilin. Siganus l. de antiquo Jure Civ. Rom. cap. ult.

Postea pro tergo Civium lata est lex Porcia, Livius lib. 10. Valerius ergo fascibus secures detraxit, Porcius etiam virgas.

II. L. Cornelius Sylla Dictator (diminuta populi potestate) quæstiones publicas quatuor Praetoribus commisit, qui cognoscerent de criminibus; veluti de falso, de parricidio, de sicariis, de injuriis, d.l.2. §. deinde Cornelius. Quare Praetori in Urbe duo lictores cum fascibus praesibant, in Provincia sex, ut ex Censorino, & Polybio docet Siganus lac. cit. Cum ergo numerus Praetorum ad decem & octo tempore excresisset, eorum nomina omnia conjiciebantur in urnam, & sorte obveniebat, ut unus urbanus Praetor esset, unus Peregrinus, ita Tutclaris unus, duo fideicommissarii, unus liberalis, Syllani quatuor, unus de pecuniis repetundis, cuius meminit Cic. l. Verr. in proæmio: atque ita similiter alii, qui Provinciis praesent, Siciliæ, Sardiniae, Hispaniae, Narbonensi, l.2. §. . . . ff. de orig. Jur. De hac sortitione loquitur Pap. in l.1. in princ. vers. busus, ff. de offic. ejus.

Factum est etiam, ut publici Judicii cognitio quibusdam privatis da-

daretur, qui simul cum ipso Prætore cognoscerent, qui Judices Quæstiōnum dicuntur, d. l. i. §. 1. ff. ad l. Corn. de scur. Horum pariter nomina conjiciebantur in urnam, ut eorum sortitio, & in rejectorum locum sub-sortitio fieret, Budæus in l. ult. ff. de Senator.

III. Merum imperium Romæ extra ordinem de omnibus criminibus cœpit habere Præfectus Urbi, imo extra Urbem ad centesimum milia-rium, ex tempore D. Severi epistola ad Fabium Cilonem missa, ex qua ha-bet Jus relegandi, d. portandique in Insulam, quam Imperator assignave-rit, l. i. §. relegandi, ff. de officio Præfetti urbi: Jus quoque damnandi in me-tallum, l. aut damnum, §. Præfetti, ff. de pænis: & fustibus verberandi, d. l. i. §. cum patrenus.

Sunt tamen quædam crimina, quorum notio non pertinet ad Præ-fectum Urbi, sed ad alios urbanos Magistratus, ut cognitio de domino a familia occiso, quæ Senatusconfulto Silaniano fuit nominatim tribu-ta Prætori urbano, l. i. in princ. ff. de officio ejus. Et cognitio de incen-diariis, effractoribus, furibus, raptoribus, & receptatoribus, quæ a D. Au-gusto specialiter concessa fuit Præfecto Vigilum; nisi tam atrox, tan-que famosa sit persona, ut ad Præfectum Urbi remitti debeat, l. 3. §. ce-gnoscit, ff. de officio Præfetti Vigilum.

IV. Sicuti Reges sibi adjungebant Tribunum Celerum, D. Etatores Magistrum Equitum, ita Impp. Præfectum Prætorio, l. 2. §. populo, ff. de orig. Juris, l. i. ff. de officio Præfetti Prætorio. Qui ad merum imperium denotandum, gladio succingebantur sibi ab Imperatore tradito, ut ex Dione supra notavimus. Hi duplici privilegio sunt subnixi, ut Jus ha-beant extrema provocatio[n]is, & ne a sententiis eorum, minores æta-te ab aliis Magistratibus, nisi ab ipsis Præfectis Prætorio, restitui possint, d. l. i.

V. In Provinciis de criminibus extra ordinem cognoscunt Præsides, ex speciali permisso Principum, l. lege Julia, §. 1. ff. ad l. Julianam pecul. Et præter eos nemo in Provincia criminum notionem habet; quia non, ut in urbe, ita & in Provincia distincta sunt officia, sed unus idemque Præses, & Præfeti, & Prætoris, reliquorumque Magistratum parti-bus, & officio fungitur, l. si in aliquam, §. fin. ff. de officio Proconsulis, l. de omnibus, & l. seq. ff. de officio Præsidis.

Hi ergo habent Jus gladii, & Jus damnandi in metallum, l. illici-tas, §. qui universas, ff. cit. rit. Jus relegandi, l. relegatorum, §. 1. ff. de interdictis. Carent tamen Jure deportandi: nam quoties aliquem in Insulam deportandum censem, id adnotare debent, & scribere Imperato-ri, ut deportet, l. anter pænas.

Nec enim verum est, quod quidam opinantur, id intelligi cum Præses non habet Insulam, alias nihil esse impedimento, quominus & ip-se deportare possit, Glossa in d. §. qui universas, Bartolus in d. l. relegato-rum, Hotomannus 3. observ. 12. Nam si Jus haberet deportandi, & so-lus

lus ei defectus Insulae sua Jurisdictioni subjectus ad deportandum obserret, non scriberet Imperatori, ut deportet, sed ut Iusulam assignet, ut servatur in Praefecto Urbi, l.i. §.relegandi, ff. de officio Praefecti urbi: & servatur in eodem Praeside, cum relegat in Insulam; scribit enim Imperatori, non ut releget, sed ut Insulam assignet, d.l.relegatorum, §.i. Præterea si Praeses Jus deportandi haberet, sola ejus sententia vim deportationis haberet, & operaretur ut reus statim civitatem amitteret, ut servatur in Praefecto Urbi, l.2. §.i. ff. de pœnis. Et tamen in contrarium est, quia sola Praesidis sententia non adimic civitatem, priusquam reus sit a Principe deportatus, l.1. §.deportatus, ff. de leg.3. d.l.2. §.i. ff. de pœnis. Ita post alios Bellonus cap.8. qu.2. a num.50.

Objicies, Praeses vitam, libertatem adimere potest. Ergo multo magis civitatem.

Respondemus, in iis, quæ nominatim tribuuntur, ut sunt caulemeri imperii, non valere argumentum a majori ad minus; eate nus enim quis habet pœnæ irrogandæ potestatem, quatenus lege ei concessum est. Itaque Praeses, qui Jus habet gladii, gladio vitam adimat opus est, non securi, non laqueo, laut.damnum, §.i. ff.de pœnis. Et licet habeat Jus damnandi in metallum, non ob id recte sibi tribuit Jus deportandi, quod illo Jure minus est: imo nec Jus confiscandi bona, l.uu. C.ne sine Jus Principis; quæ lex de Praesidibus est accipienda, uti constat ex C.T.b. & monent Petr. Faber in Lsemo potest, ff. de reg. Juris, Gugacius in l.1. ff. de officio ejus, & in lib.1. qq. Papin.

In municipiis Defensores civitatum ex constitutione Justiniani levia solvi crimina cognoscunt, competentique castigationi tradere posunt, §.audient, autb. de defensorib. civit. Corasius tamen 3. misc.17. num.10. non omnem potestatem de criminibus cognoscendis merum imperium esse putat, aitque Defensores civitatum, Duumviro, dum servos coercent, & Praefectos Vigilum, merum imperium non habere, ad quod omnino requiri existimat potestatem vitæ, necisque, ut gladii nomen indicat in d.l.imperium. At Joann. Verstegenus de imperio, num.11. in contrarium docet, merum imperium ex multis capitibus constare, quæ non omnia conceduntur omnibus; sed pro diversa Magistratum conditione, modo plenius, modo strictius concessum fuit.

Ex haec tenus dictis appareat, merum imperium nulli datum esse more majorum, seu nulli competere Jure Magistratus: sed dari specialiter, & nominatim, vel lege, l.qui, §.mandatam, ff. de officio ejus, l.2. §.exactis, ff. de orig. Juris: vel Senatusconsulto, d.l.1.iu. princ. ff. de officio ejus: vel demum constitutione, laut.damnum, §.Praefecto, ff. de pœnis, l.1. §.a Praefectis, ff. de leg.3. l.inter pœnas, §.i. ff. de interdictis.

Hinc Praetor urbanus, etsi Magistratus sit, & quidem major, l.2. ff. de in Jus voc. tamen merum imperium non habet, nec de criminibus cognoscit, sed ad Praefectum Urbi remittit, l.1. §.solent, ff. de offic. Praef.

arbi, l.1. §.ult. l.2. ff. de susp. tutor. l.nisi, C. de administratione tutorum; nisi in casu domini a familia occisi ex Senatuscoasulto Silaniano, ut dictum supra est.

Hinc etiam merum imperium competere privatis etiam potest, si non minatum eis tale Jus datum sit, ut est de Defensoribus Civitatum, qui non Magistratus, sed privati sunt. Et constat ex Ulpiano in *l. aliud, §.ult. ff. de verb. signif.* ubi multæ dictionem, quæ est misti imperii, & comprehendit Jure Magistratus, soli habent Magistratus: Pœnæ vero irrogationem, quæ est meri imperii, & specialiter tribuitur, non habent soli Magistratus, sed omnes, quibus specialiter tributa est, ut eleganter explicat Cujac. in *d.l.1. ff. de officio ejus*, & Petr. Faber in *d.l.nem o potest, ff. de reg. Juris.*

Utrum Magistratus meri imperii habeat tantum exercitium, Jure penes Principem manente.

Q U E S T I O N E I X.

Anceps difficultas est, quæ olim Lotharium, & Azonem exercuit: Lotharius enim contendebat, Magistratum, qui a Principe merum obtinuit imperium, habere unum modo ejus exercitium, Jure apud Principem residente. Contra Azo Magistratum exercitio & jure frui volebat. Henricus V. Imperator Bononiae in hac controversia electus arbitrus, pro Lothario pronunciavit, cui etiam adjudicatus est equus ex sponsione apud sequestrem depositus. Verum hæc Imperatoris decisio pluribus contra Juris rationem visa est; quare nata est cantilena illa: *Lotharius iniquum dixit, & equum abstulit: Azo equum dixit, & equum perdidit*, Gothofredus in *l.5. ff. de Juris.*

Hæc questio imperfecta est in Autographo:
& fortasse alia desunt, quæ scribere destinabat Vir doctissimus de hac materia, quæ tamen nunquam scripsit, quia nunquam se præbuit occasio eandem materiam dictandi, ut in epistola ad Lectorem monimus.



DOMINICI AULISII

J. C. CLARISSIMI,

De Edendo,

ad librum II. C. Titulo I.


 Lurimum affinitatis est huic titulo eum antecedentibus. Egerat Justinianus de his, quæ ad statum Reipublicæ pertinent, idest de Sacris, Sacerdotibus, & tandem de Magistratibus, quæ propterea Jus publicum constituant, l.i. §. bujus studiis, ff. de Justitia, & Jure. Proximum est, ut agat de Jure Privato, & præ omnibus Fori morem in Judiciis, & litibus explanet; quæ tractatio apte connectitur cum variis Magistratum generibus, eorumque officiis; quæ quidem officia in contentiosa Jurisdictione, sive in Judiciorum cognitione, versantur. Et recte ab Editione, non quod inde Judicium sumat initium (sumit enim a litis contestatione) sed quod editio, ut etiam in Jus vocatio, ita præparant Judicium, ut ab eo avelli non possint; editio enim speciem futuræ litis demonstrat, l.edita, C.cod.

Imo litis nomen bifariam in Jure nostro accipitur. Nam quamvis proprie lis initium capiat a contestatione, ex qua res in Judicium deduceta dicitur, l.i. C.de litis contestatione: & ita quod contestationem præedit, lis non est, sed controversia potius, l.5. l. se si lege, §. si ante a ff. de petitione hereditatis, ibi: Post litem contestatam omnes incipiunt malæ fidei possessores esse, quinimmo post controversiam motam. Plenius tamen sub litis nomine aliquando venit etiam controversia, ut in Edicto de litigiosis, res, cuius alienatio interdicitur, litigiosa esse existimatur, non tantum si lis sit contestata, sed etiam si mota controversia sit, aut h. de litigiosis, in princ. Cujac.9. observ.21.

Olim hæc omnia præcedebat petitio & impetratio actionis a Prætor.

re , quas substituit deinde Constantinus in l.2. C. de formulis & impetratis zionibus fablatis . Præcedunt ergo hodie litem duo tantum, editio, & in Jus vocatio . Dubium tamen est , utra ex his duabus alteram præcedat ? Oritur difficultas ex diversa serie , qua tituli in Codice , & in Pandectis concipiuntur ; nam in Codice titulus noster *De edendo* præcedit , & hunc subsequitur *De in Jus vocando* ; quem ordinem Paulus , & Ulpianus in libris ad Edictum sequuti sunt, ut hic Cujacius notat . Quare constat hunc ordinem tenuisse Edictum perpetuum , & fori quoque mos talis fuisse videtur , ut prius actio ederetur , post in Jus vocaretur . Confirmatur ex Terentio in *Adelphis*:

Quid ? si ego tibi illam nolo vendere ,

Coges me? Minime. Namque id metui. Neque vendendam censeo,

Quæ libera est : nam ego illam liberali offero causa manu :

Nunc vide , utrumvis , argentum accipere , an causum meditari tuam .

Delibera hoc , dum ego redeo , leno .

Contrarium tamen suadere videtur ordo , quem Pandectæ tenent ; ubi prius de in Jus vocando , deinde de edendo agitur ; unde habetur , editionem reo non fieri , nisi post vocationem in Jus . Id quoque probat locus Plauti in *Persa* :

Age , ambula in Jus leno. Quid me in Jus vocas ?

Illic dicam apud Prætorem , sed ego in Jus voco .

Pro qua difficultate removenda , Duarenus in ff. boc tit. docet , vocationem in Jus præcedere editionem , sed non necessario: potuisse tamen ex auctoris arbitrio prius editionem fieri . Sequitur Bellonus *de mandata Jurisdictione , cap. i. qu. 3. a num. 17. ad 20. & num. 35.* At Cujacius hic , illico & eodem tempore actionis fieri editionem , & in Jus vocari .

In foro apud nos utraque sententia recepta est , sed in diversis casibus . Nam cum duplex editio sit , ut dicemus , una actionis , altera instrumentorum , si de priori sermo sit , regulariter editio actionis , & vocatione in Jus eodem tempore , eodemque libello fit ; aliquando tamen reus prius vocatur in Jus , deinde apud Magistrum auctorum ei actio editur . At si de posteriore loquamur , editio semper subsequitur vocationem in Jus ; quippe reus , si velit , petit sibi ab auctore edi scripturas , vel instrumenta , de quibus in libello mentio facta est , ut in progressu patebit .

Ceterum Edictum Prætoris de edendo duplex fuit . Unum est proxime dictum , in quo Prætor jubet , ab auctore edi reo actionem , & instrumenta litis , ut sciat reus utrum cedere , an contendere ultra debeat , l.1. in princ. ff. eod . Alterum est , quo jubet argentarios rationes suas cuique edere , ut exhibitis istis causam suam instruat is , ad quem ratio pertinet , largentarius , ff. cit. tit.

De priori Edicto.

Hujus duæ partes sunt. In prima agitur de editione actionis. Et quia omnis edicti vis in voce *edere* posita est, ideo Ulpianus in d.s. i. §. i. vim vocis hujus, quatenus ad actionem attinet, diligenter explanat. Et primo eum actionem edere dicit, qui copiam describendi facit; & ita est apud nos, cum reus per schedulam, sive sola voce a viatore in Jus vocatur, addito ut compareat apud mensam designati actorum Magistri; nam ibi reus libellum, & descriptam in libello actionem reperit, quam describere, si velit, potest. Idque in causis levioribus, & parvi momenti fieri solitum est. Huc quoque spectat, quod Ulpianus de dictatione subdit; potest enim actor ipse apud mensam reo actionem dictare. Et hoc casu editionem præcedit *vocatio in Jus*.

II. Edere etiam dicitur, qui actionem in libello comprehensam reo dat. Quod ex more nostri fori, non fit ab auctore ipso, sed a viatore: nec datur reo exemplar libelli, quod remanet apud Magistrum actorum, sed exemplum. Et ita *vocatio in Jus*, & *editio eodem tempore fit*, ut notavimus.

Ita Ulpianus ex ingenio suo: tum ex ingenio Labeonis addit: *Eum quoque edere, qui producat adversarium suum ad album, & demonstret quid dictatus sit: vel id dicendo, quo uti velit.* Quæ verba diu, multumque ab Interpretibus vexata sunt. Forcatulus pro *producat*, in *Cupid. Jurisperito cap. 17.* legit, *perducat*, ex eodem Ulpiano in *l. si quis, ff. eod.* sed utrovis modo legas, idem sensus manet. Alciatus 2. *disputat.* ult. legit *Adversaria sua*, quod etiam facit 8. *parerg. 7.* Sunt autem adversaria Codices tumultuarie & sine ordine memoriae causa facti, ut postea illa, quæ in eis perscruplitas, in ordinem redigamus. Quæ sane nihil ad rem nostram faciunt. Cujacius 8. *obs. 15.* ex *Basilicis* legit: *Et demonstrat ex quo editio dicturus sit.* Quæ lectio quamvis planior sit, in idem tamen cum vulgata recidit.

Placet tamen nihil movendum, ut Wultejus *discept. 5.* monet, cum quo dicimus, duo ex Labeone haberi; primum, eum quoque pro edente esse, qui adversarium suum, idest reum, producit, seu perducit ad Album Prætoris, quod sit in muro descriptum, & ei digito demonstrat, quodnam edictum dictatus sit, quod metonymicans accipi debet, idest *ex quo editio actionem sit dictatus*. E.g. Agam tecum ex eo editio, quod est de dolo malo. Erant enim edicta in Albo proposta, & vulgo interpretantur, in gypsato pariete: quod est contrarium Theophilo, qui Edictum Prætoris propositum ait: *λευχοῖς γράμμασι, Albis literis;* constat autem in tabula dealbata non albis, sed nigris literis scribi oportere: quare si literæ erant albae, falso creditur album Prætoris in dealbato pariete scriptum fuisse; quamvis Cujacius hic *Albas*

literas pro claris accipiat, ut Aristoteli in Topicis λευκὴ ρωγὴ, vox alba, est clara, & quæ facile excipitur.

Deinde Labeo habet pro Edente etiam esse, qui reo dicit, quo editio uti velit, scilicet non omnino necesse esse reum ad album perducere, demonstrando digito, quo editio uti velit; sed satis esse, si quocunque loco parti adversæ dicat, & declareret, quodnam sit edictum, cuius acturus sit. Et hoc fortasse Labeo subdit, quia jam Iussu Adriani Imperatoris edicta erant libro descripta, qui liber *Editum perpetuum* appellatus est, & etiam *Adriani*, Cujacius ad *Digesta Juliani*, initio. Et poterat acturus librum reo proferre, ut ibi inspiceret edictum, quo in agendo uti voluisse.

Vade perperam Rævardus in *libro singulari Protribunalium cap.4.* ex hoc nostro textu colligit, duplex album fuisse, unum editorum, alterum formularum, seu actionum, cum revera unum fuerit, in quod edicta, & ex eis actiones, sive interdicta erant relata, *Wulfejus loc.cit.*

Verum hodie hac amplius locum non habent; non enim potest editio actionis fieri sermone nudo, & omnino libellus exigitur, ex *Novaella Justiniani de exhibendis reis*. Ceterum latius patet edendi, quam exhibendi verbum: nam eduntur rationes & actiones: at exhibentur rationes, non etiam actiones. Late Cujacius hic in *l.1. & 9. ob.21.*

In altera parte nostri editi agitur de editione instrumentorum. Ex qua aequitatis ratione edenda est actio, ex eadem Prætor jubet edi instrumenta, vel scripturas alias, de quibus in libello facta mentio est, scilicet, ut ita reus deliberare possit, utrum cedere aut ultra contendere debeat, *d.l.1. §.editiones*. Et ita apud nos observatur ex stylo M.C. de quo testatur Foller. ad *Mirantam par.6. actu decimo, num.9.* Quapropter si quis agat, ut cessionarius, vel donatarius, utili suo nomine, debet reo petenti instrumentum cessionis, vel donationis edere, Baldus in *l.qui stipendia, in fine, C.de procuratoribus*, licet contrarium senserit in *d.§.editiones*, Decius *conf.301.* Guidon Papa *singul.245.*

Si actor instrumenta, instante reo, non edat, agere nequit. Prætor tamen iis subveniendum censet, qui ob rusticitatem, vel ob etatem, vel ob sexum lapsi non ediderunt, ob justum scilicet errorem, *d.l.1. §.ult. & §.si quis agens, Institut. de actionib.*

Non est autem opus edere authenticum, clm sit satis exemplum si ne die, & consule; nam editio, quæ fit Judici, post litem contestatam, ad probandum, authenticum exigit, *l.2. ff. de fide instrumentorum, l.3. C. de diversis rescriptis*: at ea, quæ fit reo, ut instructior in judicium veniat, ea solemnitate opus non habet: quippe satis instruitur, quamvis in exemplo dies & consul appositus non sit: præterea verendum est, ne quid falsi fabricetur, prolata die, & consule, *d.l.1. §.editiones*.

Hinc etiam fit, non esse edenda nomina testimoni, qui instrumento se subsignavunt, nec edendum tabellionis nomen, qui scripsit, *Harm.1.*

Pro.

Probris 4. Cujacius hic ; tum quia appositi signatorum , & tabellionis nihil ad instruendum pertinet : & haec editio solum ad instructionem a Praetore jubetur : tum etiam , quia periculum falsi imminet : tum tandem ex i. non omnibus , ff. de recepis arbitris , ubi qui non edit nomina testium , in poenam compromissi non incidit . Quae sententia verior est , quamvis renitur Accursius in d. §. editiones , v. die , & consule , ad finem .

Verum tamen est , stipulationis instrumentum totum edendum esse : alioqui non videtur edere , d. l. i. §. edere ; aut dolo malo videtur edere , l. ubi , §. i. ff. eod.

Haec tamen editio cessat , quando instrumenta , & scripturæ apud ipsum reum sunt , Baldus in l. si legatum , ff. eod. ubi si legatarius ab herede legatum petat , non jubet Praetor legatarium verba testamenti edere , quia heres solet habere exemplum testamenti . Excipitur tamen in specie a Papiniano proposita in l. postquam , §. si dies , ff. ut legatorum nomine caveatur ; nam si dies aut conditio legato adjecta sit , & legatarius satisfactionem ab herede petat , se legatum post diem , vel conditionem solutum , non aliter auditur , quam si scripturam , qua legatum relictum affirmet , exhibuerit .

Cessat etiam , cum scriptura , de qua in libello mentio fit , affixa per Urbem , vel pro rostris esset ; nam cum eam scire teneatur , ab aliis certior fieri non debet , l. si quis ex argentariis , §. fix. ff. eod. Baldus in l. i. i. civile , ff. de legib.

Potes , an instrumenta litis , quæ ad probandum deserviunt , edenda sint ? Et vulgo DD. uno consensu tradunt , ea non edi ; quæ opinio improbatur a Cujacio hic ex d. l. i. §. edenda , ubi haec Ulpianus habet : *Edenda autem sunt omnia , quæ quis apud Judicem editurus est . Duplex quippe editio fiebat , una in Jure , id est apud Praetorem , & haec erat ante litem contestatam : altera in Judicio , id est coram Judice per Praetorem dato , & haec post litem contestatam erat , ut recte Bellonus loc. cit. Ex quibus constat prædictum §. ad instrumenta etiam litis pertinere : quandoquidem instrumenta , quæ coram Judice , lite contestata , eduntur , litis instrumenta sunt . At Ulpianus haec eadem dicit edenda ante contestationem coram Praetore . Ergo litis quoque instrumenta edenda sunt .*

Roborat hanc opinionem eadem æquitatis ratio , qua & actio & alia instrumenta edenda sunt , scilicet , ut reus veniat instructior ; & ita sane consultius deliberabit , an cedere , an potius ultra contendere debeat . Quæ quidem sententia , si hisce temporibus reciperetur , utilissima esset futura , multique à litibus deterrentur , ut idem Cujacius monet .

Notandum præterea est , ex Primo Edicto auctorem edere aliquando etiam post litem contestatam , ex i. non est novum , C. eod. Species est . Creditor petit pecuniam ex chirographo , actione si certum petatur de chirographis . Reus dicit se eam pecuniam solvisse , sed non accepisse apo-

apocam casu majore amisisse , & postulat edi sibi rationes actoris . Utique actor proferre rationes suas compellitur, ut fides veri constare possit. Vide Cæsarem Costam 1. ambig. 22. Hæc certe editio ex Primo edicto est , & tamen post litem contestatam fit . Quare distinguendum est cum Cujacio ibidem 3 nempe , ante litis contestationem actor edit reo instrumenta litis, quibus scilicet fundatur & constituitur intentio actoris. Post litem vero contestatam edit reo actor rationes , vel instrumenta , quibus reus possit probare defensionem suam .

Idipsum est , si agat fiscus , a quo reus petere etiam potest rationes sibi publicas editi , *I. justum* , *C. cod. I. 4. C. de fide instr. I. 2. C. de discussio-*

sib. lib. 10. I. 2. C. de conven. fisci debitor. lib. 10. quibus locis ostenditur, eum , qui intulit annonas , vel tributa fisco debita , & accepit apocham, ea a missa , posse fidem delationis comprobare ex archiis publicis , atque adeo posse fisicum compellere , ut eas rationes edat .

De emendatione , & mutatione actionis .

D r a c u s s i o . I.

Postquam edita actio est , emendari , & mutari potest , *I. 3. C. cod.* ubi hæc habentur : *Edita actio speciem futurae litis demonstrat* : quam emendari vel mutari licet , prout editi perpetui monet auctoritas , vel *Jus reddentis decernit equitas* . Emendare est , cum retento actionis nomine , error tollitur , *l. actorem* , *ff. de re judicata* : ut si qui plus debito petiit , ne in pœnam plus peteturum incidat , *justum* petat : aut pro Sticho , qui petitus est actione ex stipulatu , petitur Erotes . Mutare est , cum priore actione omessa , alia instituitur , vel cum nonen actionis mutatur : ut si actor omisso judicio petitorio , possessorum intentet : vel omisso via ordinaria agat executiva . Unde sit , ut cum actio mutatur , vel emendatur , opus sit editione nova , cum nova actio loco prioris substituatur , *Cujacius in d. I. 3. col 5.*

Hæc emendatio legitime sit tam in diversum , quam in contrarium . Et quidem in diversum , si qui egit ex emto ut sibi equus daretur , deinde comperiat eundem sibi esse legatum , recte aget ex testamento , *l. bujusmodi* , *§. qui servum in fine* , *ff. de leg. I. §. si quis agens* , *Institut. de actionib.* In contrarium vero , si servus meus damnum tibi dedit , & agam adversus te in solidum , quasi te sciente damnum datum sit ex *I. 2. ff. de noxalibus* , donec id judicium agitatur , non prohibebo mutare actionem , & quasi te in scio damnum acceperim , agere ut servum noxae dedas : vel si prius egit actione noxali , agere deinde in solidum , *l. in delictis 4. §. ult. ff. cit. tit.* Quæ actiones contrariae sunt ; nam actio in solidum contraria est actioni noxali : in illa , *Dominus contra quem agitur* , est conscius , in ista est in-

scius .

scius. Ita quoque ei , qui cœpit viadicare , licitum fit recurrere ad interdictum Uti possidetis , quamvis hæc Judicia contraria sint ; nam reivindicatio arguit possessionem esse apud reum : interdictum Uti possidetis arguit e contrario possessionem esse apud actorem, *I.naturaliter, s.nibil commune, ff.de acq. possessione* , ut latius ibi a nobis explicatum est .

Quæritur tamen *I. de parte controversie* , & judicii , in qua emendatio , & mutatio fieri possit . Et quidem Joann. hic usque ad litis contestationem permitti docet . Sequuntur Bart. Bald. cum Fachingo 11. contr.92. & 95. ex textu in *I. alt. C. de plus petitionibus* ; ubi qui plus petiit , totius debiti causa mulctatur , nisi ante litem contestatam , errorem suum corrigat . Et ex *I. nos potest* , *ff.de judiciss* , ubi dicitur non posse videri deductum in Judicium , quod accidit post Judicium acceptum , & ideo nova instantia opus esse .

Et ratio est , quia cum actio edita emendatur , vel mutatur , opus est editione nova , per quam emendatio , vel mutatione insinuetur adversario , exemplo scilicet prioris editionis , cum posterior priori substituatur . Ergo sicut prior editio litis contestationem præcedit , ita & hæc posterior . Unde fit , ut non debeat mutari , vel emendari actio , nisi ante litis contestationem , ut hic Cujacius monet .

Joanni tamen contrarius fuit Martinus , qui utrumque ad sententiam usque permisit , cui adherent Alciatus , & Donellus tum hic , tum 23. comit.9. Vaconius 6. declar.39. Gonzalez in *cap.examinata, sam. 10. de causa possessionis.*

Visum est Cujacio utramque sententiam adhibita distinctione quæ concordiam revocare , scilicet ut regula sit , ante litis contestationem , non post , mutationem & emendationem licitam ; nonnumquam tamen Prætorem ex causa permettere utrumque post litem contestatam . Nihilominus verius puto ita distingui , ut licitum sit emendare & mutare usque ad sententiam : Prætori tamen Jus esse ex magna justi erroris causa permettere etiam post sententiam .

Et quidem hic distinguendum esse inter Jus ordinarium , & arbitrium Prætoris , palam est in nostra *I.3. ibi : Prout Edicti Perpetui monet autoritas, vel Jus redditis decernit aequitas* ; nam duo distinguit , legem , sive edictum a Salvio Juliano compilatum , & Prætorem , seu Judicem , cui ex justa causa legem temperare licet . Nec opus est cum Cujacio legere Decernet , quia etiam legendo , Decernit , verba satis clara sunt ; cum saepè tempus pro tempore usurpetur . Hæc generatim , nunc partes ambas nostræ distinctionis probemus oportet .

Prior pars est , licitum esse actionem editam emendare , & mutare usque ad sententiam .

Et probatur *I. ex d.ssi quis aliud, Institutionib. de actionibus* , ubi Justinianus sermonem primo instituit de emendatione , veluti si quis aliud pro alio intendat : tum de mutatione , ut si quis ex testamento &

bi dari oportere intendat , quod ex stipulatu debetur ; & utroque casu indistincte concludit : *In eodem iudicio cognita errorem suum corrigerem ei permittitur* . Ait in eodem Judicio , id est usque ad sententiam , quae judicium concludit , l.4. §.ult. ff. de noxalibus actionibus , ibi : *Absolutione facta , & finito iudicio* . Et longe aberrat a vero Joann. qui in eodem Judicio interpretatur coram eadem Justice , quam interpretationem recte reprehendit Cujacius ; qui tamen & ipse labitur , dum in d. §. si quis aliud , ait emendationem , & mutationem permissam ex aequitate judicantis : quod omnino gratis affirmatur , neque de hac re ulla in eo textu mentio fit.

II. Ex eadem l.4. §.ult. ubi donec prius judicium agitatur , licentia est agenti pro solido , si eum poeniteat , ad noxalem causam transire : & e contrario qui cœpit agere de noxali , in eodem Judicio agere pro solido non est prohibendus . Secus vero finito iudicio . Qui textus est clarissimus .

III. Ex l. cum fundum , §.ult. ff. de vi & vi arm. ubi qui fundum vindicavit , pendente Judicio nihilominus interdicto Unde vi agere potest . Et pendente Judicio , idem est , quod *In eodem Judicio* , vel donec prius Judicium agitatur ; quidquid Granata , & Fermosinus in cap. pastoralis , de causa possessionis , velint , dum interpretantur usque ad conclusionem .

Probatur ultimo ratione , quia Praetoris Edictum de emendatione , & mutatione actionis , ante contestationem necessarium non erat actori , qui poterat ante litem a litigando impune decadere : quamvis deinde id a Justiniano immutatum sit in auth. qui semel , C. quomodo , & quando Judex : at eidem necessarium erat post contestationem , ut si litem jam institutam deserat , instantे reo , potest cogi ut in lite usque ad sententiam persistat , nisi in Eremodicium incidere velit , l. ait Praetor , alias Letfi , §.item in eremodiciis , ff. de minoribus , l. properandum , §.etf. quidem , C. de Judicis ; quippe eremodicium est desertio litis contestatae . ut definit Cujacius in d. §. etf. quidem , & Gaveanus l. lett. 40. contra Budaeum in l.2. §. vindicias , ff. de orig. Juris . Cujus poenæ sunt . I. ut possit Judex disceptare non presente actore ; quod etiam singulariter receptum est in causa appellantionis , l. ult. ff. ad Trebell. l. ult. §. illud , ff. de temporibus appellantionum . II. Ut si facta disceptatione cause , vincat absens & contumax , reddat omnes sumitus litis victo , contra regulam Juris , quae vult victum actori condemnari impensarum nomine . Vide in d. §. etf. quidem , & in §. omnem , auth. de lisigiosis . Hinc oriebantur angustiae actoris , qui in proponenda actione lapsus est ; alterutrum enim non poterat effugere , vel ut prosequendo litem succumberet ob errorem admissum : vel ut eam deserendo , incideret in eremodicium . Huic malo necesse fuit , ut obviam iret Praetoris Edictum , permissa actori emendatione , vel mutatione actionis . Itaque olim solum lite contestata opus actori erat Edicto Praetoris , hodie etiam ante : quapropter eo , ante & post litem contestatam , uti poterit .

Po-

Posterior pars est; Prætori ex magna Justi erroris causa licere, mutationem & emendationem permettere etiam post sententiam, etiam finito Judicio. Id palam sit ex Juliano in *I.bazusmodi*, §. qui servum in fine, ff. de leg. i. Species est, legatus est mihi Stichus, & ego inscius legati, eundem hominem ab herede emi, & pretium dedi. Deinde herede moras necante, nes tradente Stichum, cum herede, eodemque venditore, egi Judicio ex emto. Si judicio peracto comperiam, Stichum mihi fuisse legatum, agere ex testamento possum, alio scilicet judicio, & alia actione. Et heres non aliter absolvitur, quam si pretium restituerit, & hominem meum fecerit. Ceterum quod prius judicium ex emto absolutum & finitum fuerit, cum ex testamento agere coepi, constat ex illis verbis: *Quod si judicio ex emto actum fuerit: quæ tempus præteritum demonstrant, & Judicium finitum.* Et recte Acc. ibi verba *Et agam ex testamento, interpretatur, Alio judicio, & alia actione.* Id autem factum est, quia magna subest Justi erroris causa. Idipsum habetur ex *I.3. §. ult. ff. quod cum eo, & I.babebat, ff. de institoria att.*

Nec contraria obstant. Nam textus in *d.l.ult. C. de plus petitionib.* cum ait, ante litem contestatam, non etiam post, licere libellum mutare, loquitur non de errore, sed de dolo & machinatione. Et species est. Debes mihi centum, ego per dolum & calliditatem extorqueo a te cautionem de ampliore pecunia, puta centum viginti. Deinde ex hac cautione ago tecum. Justinianus duos casus distinguit: aut ante inchoatam litem me pœnitet calliditatis, & confiteor debiti veram quantitatem, nullo dispendio, aut pœna afficio. Aut patior litem contestari, & permanens in malitia arguor de falsa quantitate; & non solum ea, sed toto debito fraudor. Est ergo casus singularis, cum dolus adest, quo mutatio, vel emendatio libelli non nisi ante contestationem permittitur. Nob's autem sermo est non de dolo, sed de errore. Et ita post alias tradit Oswaldus ad Donellum *lib.22. cap.9. lit.I.*

II. Textus in *d.l.non potest, ff. de Judicisis*, sermonem habet, cum alia res est, quæ accidit post litem contestatam; & fatemur hanc nova instantia opus habere. Et sumendum est exemplum ex *I. Attejus*, alias *Antæus*, *in fine*, ff. de aqua pluvia; ubi si egero aquæ pluviae arcendæ de operc præterito, & post litem contestatam aliud opus fiat: de hoc ope- re novo necesse erit aliam actionem institui, quoniam alia res est, sepa- rata a præsenti judicio, orta de novo post contestationem.

III. Ad rationem a Cujacio productam, fatemur emendata, vel mu- tata actione, esse opus nova editione, & hanc substitui in locum prioris editionis; at negamus, inde sequi emendationem vel mutationem fieri ante contestationem debere. Ob specialem scilicet rationem, quia hoc auxi- lio Prætoris non indiget, nisi contestata jam lite, ut expositum jam est.

Superest inquirendum de sententia Accursii in nostra *I.3.dum docet*, hodie ubi reus legitimate citatus est, nunquam nec etiam ante contestatio-

item licitam esse mutationem ex autb. qui semel , C. quomodo , & quando Judex , quas desumta est ex §. omnem , autb. de litigiofis , ubi habetus , eum , qui semel actionem inchoavit , & eam edidit , necesse habere usque ad finem litem exercere . Quod tamen nihil nos movet ; nam nullus ibi de mutatione aut emendatione sermo est , sed solum de contumacia , ut scilicet litem institutam actor ne deseret : quam utique actor non deserere dicitur , cum actionem mutat , vel emendat : aliter de contumacia damnari posset : quod est falsissimum , ut omnes consensunt .

Hac de tempore emendationis , & mutationis actionis . Agit etiam hic Accursius de cumulatione , de qua diximus in I. naturaliter , §. nibil commune , ff. de acq. poss.

Queritur II. quoties actionem mutare , vel emendare licet ? Et non una est Doctorum opinio , de quibus habemus apud Cæsarem Costam r. ambig. 42. Placet , ut dicamus , semel tantum licere , ut docuit Baldus in Lfin. col. 3. C. de Codicillis . Quod palam fit argumento ex posteriori Prætoris Edicto de edendo in I. 6. §. Prætor ait , ff. eod. ubi si argentarius iterum sibi edi postulet rationes suas , Prætor ait , se causa cognita , iterum edi jussurum . Quæ clausula deest in priori edicto de edendo , de quo agimus ; quapropter ex eo non nisi semel emendare & mutare licet . Nam si ut iterum posset edi , necesse fuit , ut id nominatum a Prætore impertiretur , aliter argentario non nisi semel ederetur ; consequens est , ut ubi Prætor id nominatum non est impertitus , de unica vice capiatur .

Firmatur id ratione ; quia legis dispositio si non aberrat a regulis Juris , non intelligitur de prima vice : secus vero si sola æquitate nitatur , nisi aliter expressum sit , post alias Barbosa in I. 1. par. 4. num. 140. & seq. ff. sol. matrim. qui inde docet , patrem , qui ex Juris regula , ad filiam dotandam adstringitur , cogi eandem iterum dotare , si dote amissa , iterum nubat , autb. quod locum , C. de collationibus : non ita in fratre , qui ex æquitate tantum tenetur , & capropter ad iterum dotandum non cogetur , & legis dispositio intelligetur de prima vice . Quoniam ergo Jus emendandi , mutandive actionem , ex Prætoris æquitate actori concessa est , I. 1. in princ. ff. eod. inde fit , ut non nisi semel tantum licet .

Neque I. obstat , quod Bolognettus hic objicit , appellare bis licere , ut in tit. C. se liceat tertio provocare ; ergo etiam bis emendare , & mutare : dicimus enim id contra Bolognettum facere ; nam ideo licet semel & iterum provocare , quia id nominatum est a Justiniano concessum , & ex ejus beneficio est , ut qui a Duumviro appellavit ad Præsidem Provinciarum , possit a Præside appellare ad Praefectum Urbi ; alioquin ei non licuisset , nisi semel tantum appellare , non iterum , ut constat ex C. Tber. I. 1. de possib. ab eo , qui iterum provocavit , transserenda . Quod edixit etiam Alaricus Italiae Rex apud Cassiodorum lib. 9.

Ne-

Neque ill. obstat, quod Casar Costa ait, in nostra l.3. dici, *Proximis dicens is decernit aequitas*, ex quibus colligit, id totum ex Judicis arbitrio pendere; respondetur enim, haec verba, non ad numerum referri, de quo nihil in eo textu, sed ad tempus, ut ex dictis constat.

Quibus casibus reus edat actori.

DISCUSSIONE II.

Regula est, reum actori ad suas rationes, aut sua instrumenta, actos edenda non compelli, cum nulla actio neque directa, neque utilis eo nomine actori competit, l.1. C.eod. & vulgo dicitur, arma non esse petenda e domo rei, cap.1. de probationibus, l. nimis grave, C. de testib. Hinc auctore non probante, reus obtinet, quamquam nihil ipse præstiterit, aut probaverit, aut titulum non ediderit, l.4. C.eod. l.cogi, C. de pet. it. heredit.

Dices: Jus debet esse æquabile inter auctorem, & reum, l.ult. C. de fructibus & litium expensis: cur ergo cogitur actor edere reo, non contra?

Respondet Imperator Alexander in l.ult. C. eod. hic rationem non pati æquitatem; tum quia æquum non est, ut subveniatur actori, qui sponte in Judicium veniens, venire debet instructus, & paratus, l. qui in alterias, ff. de reg. Juris: at contra subveniendum est reo, qui invitatus in judicium venit, & præter spem venit non instructus, l.2. C. de dilationibus. Tum etiam, quia æquitas postulat, ut sit favorabilior reus, quam actor; ob quam causam actor non utitur pluribus actionibus, reus utitur pluribus defensionibus etiam diversis, l.43. ff. de reg. Juris: & accusator absens damnatur, non item reus, l. absentem, ff. de paenit: & olim duæ dabantur accusatori horæ, reo tres, Dio lib.39. Cum ergo edictum de edendo totum in æquitate fundetur, l. i. ff. eod. inde æquitate suadente factum est, ut actor edat reo, non contra.

Ex hac tamen regula nonnulli excipiuntur casus. I. Fiscus actor ex privilegio D. Adriani potest reum compellere ad edenda instrumenta, quæ secum faciunt, quoties scilicet de Jure capiendi (id est usucapiendi) vel de Jure dominii, vel de alia causa simili rei pecuniariae queritur, l.2. §. Divis, cum seq. ff. de Jure fisci. Ita si quis privatus a transiuntibus exigat pro transitu pontis vectigal, vel pro transitu fluminis portorium, conventus a fisco, cogitur edere titulum; nam Jura exigendi haec vectigalia de regalibus sunt, & nemini privato competunt, nisi ei, cui fiscus concesserit, cap. an. quæ sint regalia, in usibus funderum; ubi DD. Ita etiam delatori bonorum vacantium cogitur possessor edere instrumenta, quæ cum fisco faciunt, l.3. ff. eod.

Hoc

Hoc fisci privilegium ita interpretatum est a Divis Fratribus, ut lo-
cum habeat solum si de re nammaria *quaestio* sit, casset vero si de *capito-
li causa agatur*, ut dicitur in d.l.2. §.item *Divi*. Quæ verba varie expli-
cantur; nam Fermosinus in *cap. i. de probationibus*, q.5. num.5. causam
capitalem large pro omni causa criminali accipit. Pacianus vero de *proba-
tionibus*, cap.63. a num.65. intelligit de ea criminali causa, ubi corpora-
lis pena irrogatur, non etiam cum pena est pecuniaria, sive multa
fisco applicanda. Quæ interpretationes non facile recipiendæ sunt; nam
in Jure nostro constat causam capitalem dici eam tantummodo, ubi dam-
natio vel mors, vel etiam civitatis amissio, vel servitus contingit, l.2. ff.
de pænis.

Non dubium tamen est, in causa capitali, accusatorem, vel Judi-
cem, si inciderit in rationes ejus privati, qui criminis reus postulatus
est, posse ex iis probationem deducere, & condemnationem facere. Quid
Cujacius hic in l.1. confirmat ex Asconio in *Prætura Urbana*, cum scri-
bit, moris olim fuisse, ut accusator peteret ob-signari domum ejus, quem
accusaturus erat, ne quæ inditia criminis inde a reo amoverentur.

Sunt qui putant, hoc fisci privilegium de cogendo reo ad eden-
dum, transire a fisco ad publicanos, seu ad conductores vestigalium, ut
refert Lasarte de *decima venditionis*, cap.18. num.13. Verius tamen est,
privilegium esse concessum non causæ, sed personæ, nec a fisco ad alium
transferendum, Fermosinus d. *quaest. 5. num. 6.* Vide de his omnibus Tu-
raminum ad d.L2. §.divis.

II. Instrumenta actoris propria, reus actori edere compellitur actio-
ne ad exhibendum, l.3. ff. *ad exhibendum*: imo actor, si velit, reivin-
dicare potest; nam quod meum est, Jure meo peto, l.1. ff. *de reivind.*
Ita quoque instrumenta, quæ quasi actoris propria sunt, reus ad eden-
dum compellitur: quare tutor conventus a pupillo, procurator a Do-
mino, tenentur edere scripturas, quæ pupilli, vel Domini nomine
confecerunt, per actionem tutelæ, vel mandati, l. *quædam*, ff. *cod.*

III. Legatarius, qui agit ex testamento, recte petet ab herede sibi
edi, exhibere tabulas testamenti. Petet autem vel Interdicto de tabu-
lis exhibendis, vel extra ordinem per Prætorem ex tit. *quemadmodum*
testamenta aperiantur. Quæ duo longe distant; nam I. si neget heres se
tabulas habere, legatarius agit ex interdicto: si heres non neget, le-
gatarius agit extra ordinem, l.2. §. *pæn. ff. quemadmodum testamenta*.
II. ex interdicto fit condemnatio in id, quod interest: at extra ordinem,
heres cogitur omnino edere, d.l.2. §.ult. Et ita hos titulos *de tabulis ex-
bib.* & *quemadmodum testamenta* discriminatur Cujacius hic in l.1. Pi-
char. §. *in summa, Institut. de interdict.*

E contrario legatario agente, non recte ab eo desiderat heres, ut
proferat tabulas testamenti, ex quibus agit, ut latius supra dictum est.

IV. Communia utriusque parti instrumenta reus actori edere cogitur,

l.4.

l.4. §.fin. ff. fam. ercisc. cap.P. perpetuus, cap. contingit, de fide instrum. cap.1. de probationibus. Nam quod commune est, vere meum est, *l.in re communi, ff.de servit. Urb. l.illud, ff.de ritu nuptiarum.* Et quod meum est, Jure meo vindico, vel exhiberi peto, ut proxime diximus. Communia vero dicuntur instrumenta, vel ratione utilitatis, qualia sunt testamenta, vel instrumenta emtionis, locationis, & similia, *l.Praetor ait, v.bujus editi, ff.cod. d.cap.1. de probationibus;* vel etiam ratione materiarum, seu chartarum: quare si reus habeat instrumentum, & illud sit originale, edere cogetur, quia est commune non solum gratia utilitatis, sed etiam chartarum, Balboa in *d.cap.1.num.ult.* Hinc ergo mercatores tenentur ad edendas suas rationes, cum ipsorum libri utrique parti communes censeantur, DD. hic in *l.1.* & in foro receptum testatur Fermosinus in *cap.1. de probationibus, q.6.n.9.* quamvis contrarium cum Baldo & Decio sensuat Fachin. *3.1. contr.89.*

V. Generatim reus officio Judicis ex justa causa compelli potest actio-ri edere privatas & domesticas rationes, ut hic in *l.1.* illis verbis: *Nam quod desideras, ut rationes suas adversaria tua exhibeat, id ex causa ad Judicis officium pertinere solet.* Quod sumtum esse videtur ex *l.pen. §.ult. ff.ad l.Falc.* Ita pariter ubicumque Judicem aequitas moverit, adver-sarius interrogari potest, & ad id, quod interrogatus fuerit, respondere compellitur, *l.ubicumque, ff. de inter. actionib.* Exempla varie a DD. in specie nostra apponuntur. Cujacius quidem, si reus instrumenta dicatur subtraxisse, & malitiose suppressisse, ut verum aliter inveniri non pos-sit, *Judex ex officio rationum editionem a reo extorquebit, l.2. §.1. ff. de Jure Fisci.* Ab aliis vero ita, puta exemplar instrumenti est apud reum, & protocollo tabellionis est deperditum, officio Judicis reus ad edendum compelletur, ut ex forensi praxi ducent Balboa *loc.cit.* Pacian-nus *l. de probationibus 65. num.107.* Burgos de Paz *qq.civilium 5.* Fer-mosinus *loc.cit. qu.4. num.7.*

Nonnullorum sententia est, reum cogi etiam eas rationes edere, quibus actor fundet suam replicationem; quasi in ea actor vice rei fun-gatur. Quod optimo Jure rejicitur a Cujacio in *l.4. C.cod.* nam replica-tio est in vicem actionis: quippe replicatio nihil aliud est, quam ex-ceptio, & qui exceptio pro actore habetur, *l.4. juncta l.2. §.1. ff. de ex-ceptionibus.*

De posteriori Edicto.

V Erba Edictei : Argentariæ mensæ exercitores rationes , que ad se pertinent , edant , adjecto die , & consule , l. Prætor ait , ff. eod. Exercitores hi dicuntur etiam simpliciter Argentarii , & sunt qui Romæ in foro mensas expositas habebant : qua ex re mensariorum etiam , & trapezitarum nomen acceperunt . Et aliquando pecunia accipi solita est , ex domo , seu arca ipsorum , l. lecta , ff. de reb. creditis , l. quidam , ff. de confit. pecunia : aliquando alii dabant pecunias argentario fœnori locandas , quas argentarius se soluturum constituebat , atque in rationum libros id referebat , l. si quis ex argentariis , §. rationum , ff. cod. Novell. 136. de argentariorum contractibus . Ita quoque heres , qui hereditatem erat venditurus , per argentarium eam venditionem faciebat , l. item vendendum , ff. de petit. hered. Vide latius Alciat. 8. parerg. 19. Sigonium 2. de antiquo Jure Civ. Rom. 11. Cujac. 10. obs. 14. & ad rabr. C. hoc tit.

Ex secundo itaque edicto Argentarius suas edere rationes cogitur , quod aquissima ratione constitutum est , quia quod mei causa factum est , meum quodammudo videtur , d. l. Prætor ait . Et tria inter primum & secundum edictum discrimina intersunt .

I. Quia Edictum primum agit de editione facienda ab uno ex colligatoribus alteri , ut nimirum actor edat reo , & aliquando reus actori . Secundum vero agit de editione facienda a tertio , idest ab argentario , quamvis ipse in numero litigantium non sit , ut constat ex d. l. Prætor ait .

II. Quia ex primo Edicto jubet Prætor instrumenta litis non authenticæ , sed exempla , edi sine die & consule : at ex secundo editio fit cum die , & consule . Ratio est , quia prior editio fit solummodo ad instruendam partem adversam : posterior ad probandum ; & nisi editio fit authenticæ , non probat , l. z. ff. de fide instrumentorum , l. 3. C. de div. rescr.

III. Quia ex primo Edicto actor si edere nolit , non compellitur satis enim est Prætori a lite cessari , in pœnam . At ex secundo edicto , argentarius omnino compellitur rationes edere ; ita enim verbum illud Prætoris , Edant , interpretatur Ulpianus in l. Prætor , §. 1. ff. eod.

Conveniunt vero in hoc , quod ab argentario editio rationum sit etiam post item contestatam , l. argentarius , §. ult. ff. cod. quod ipsum etiam ex primo edicto jam supra probatum est .

Subdit deinde Prætor : Argentario , cive , qui iterum edi postulaverit , causa cognita edi jubebo , l. si quis ex argentariis , §. ult. ff. cod. Ubi iterum discrimin inter utrumque Edictum proponitur : quippe ex primo Edicto semel tantum editio fit , ex secundo iterum , ut jam diximus .

Adsimiles non nihil argentariis sunt nostrorum temporum Camfores , & Tabelliones , qui propterea coguntur edere partibus instrumenta ,

ta , & rationes , quæ , quasve confecerunt , Bartolus in *I.fin. num.4. ff.de tab. exhib.* Pacianus *i. de probationibus 64.* Quæ obligatio tabellionis transit etiam ad heredes , ad quos authentica & protocolla defuncti per- venerunt , Bartolus & Castrensi. in *I.quadam , §.nihil , ff.cod.* Decius , & Balboa in *cap. i. de probationibus.* Et constat ex d.*I.si quis ex argenta-riis , §.1.*

Hinc etiam factum , ut acta publica , quæ sunt in Archiis publicis memorias perpetuæ causa , tam civilia , quam criminalia , possunt Jussu Judicis ab omnibus inspici , ad investigandam veritatis fidem , *I.2. C.cod.*

Quæres I. an tertius , qui argentarius , eique similis non sit , cogar- tur edere instrumenta , & rationes , quas habet ? Ut finge , lis est inter Titium & Cajum , an Titio petenti cogar edere instrumenta , quæ ha- beo aduersus Cajum ? Edidit de hac re Justinianus Constitutionem , quæ desideratur in *tit.C. de fide instrumentorum* , & cuius meminit Justinianus ipse in *Editio IX.* In ea statuitur , ut cogatur quisque edere instru- menta , quæ habet aduersus alium duplice ratione , primo , quia etiam in- vitus cogitur testimonium dicere: secundo quia valde iniquum est , ut non edat , quod alii est utile , & sibi nocitum non est , *I.2. §.item verus , ff.de aqua pluvia.* Itaque id verum est , si modo ipse non lèdatur : quod si juret , se non posse edere ea instrumenta , sine damno rei suæ , excusa- bitur . Hanc Constitutionem recitat Cujac. *10. observ. 8.*

Quæres III. Qua actione hæc editio ab argentario extorqueatur ? Et dicimus hic cum Cujacio in *rubr.* Si non edat , teneri actione in factum , in id , quod interest , *Iquidam , §.nummularios , I.ult. ff.cod.* Nec obstat textus in d. *I.si quis ex argenteriis , §.pertinere* , ubi argentarius sine mandato rationes confidere non debet ; respondeatur enim non semper sequi , man- datum est , ergo actio mandati competit : nam si cum servo mandante domino contraxi , dominus non tenetur actione mandati contraria , sed quod Jussu , *I. r. cum duab. seqq. ff. quod Jussu.* Ita quoque tertius , qui argentarius non est , si non edat , nec Juret , tenebitur actione in factum in id , quod interest , Cujacius in *d.I.4. & seqq.*



DOMINICI AULISII

J. C. CLARISSIMI,

De Transactionibus.

Ad lib. II. C. Tit. IV.



Este post tractatum de Pactis, tam in Digestis, quam in Codice, de transactionibus agitur, cum omni transactioni pactio insit, quasi genus; commode enim a genere ad speciem pervenitur. Unde factum est, ut aliquando pactionis nomen per transactionem ponatur, ut ex Cicero notat Cujac. 10. ob. 30. In C. Gregoriano, & Hermogeniano commixtum uno titulo & de genere, & de specie agitur, idest de Pactis, & Transactionibus.

Itaque transactio pactum est, non contractus, & a contractu separatur in *I. contractus*, *C. de fide instrumentorum*: propterea cum simplex est, solo pacto inita, non extinguit actionem, licet eam exceptione pacti elidat: at actionem extinguit, si fiat per Aquilianam stipulationem, & acceptilationem, *I. si superstite*, *C. de dolo*; nam pacta de Jure civili efficacia sunt, si eis stipulatio addatur. Unde illud Pauli consilium *2. sent. 22.* *Omnibus pactis stipulatio subjici debet, ut ex stipulatu actio nasci possit.* Et Ulpianus notat fere novissima parte pactorum ita solere inseri, *Rogavit Titius, sponspit Mævias, I. Jurisg. §. quod fere, ff. de part.*

Est autem transactio ad commune Reipublicæ bonum introducta; litigatores enim transfigendo a lite discedunt; & publice interest lites dirimi, *I. ult. ff. pro socio, I. quidam 21. ff. de reb. creditis.* Hinc leges omni studio & favore transactionem prosequuntur, quam praetextu instrumenti postea reperti rescindi nolunt, *I. quamvis, C. eod.* nec contra eam Imperiale rescriptum recte impetratur, *I. causas 16. C. eod.* Et latius infra.

Aa 2

Ex

Ex quibus definitio transactionis colligi potest, quæ ita habet;

Desunt multa in Autographo.

**An cognitio de alimentis transigendis
delegari possit?**

Ad l.de alimentis, C.de transactionibus.

Q U E S T I O N E I.

Cum hi, quibus alimenta fuerant relicta, facile transigerent, contenti modico præsente, ideo D. Marcus Oratione in Senatu recitata effecit, ne aliter transactio alimentorum rata esset, quam auctore Prætore facta, *l.cum bi, in princ. ff.de trans. l.de alimentis, C.eod.* Hæc oratio appellatur Senatusconsultum in *l.eleganter, ff.de condic. indebiti*; nempe quia post orationes Senatusconsulta sequebantur, *l.oratione, ff.de ritu nupt.* Ita oratio D. Severi de prædiis minorum sine decreto non alienandis, de qua in *l.i. in princ. ff.de reb. eorum*, vocatur quoque Senatusconsultum in *l.guamvis, cum seq. & in l.non fit, ff.cit.it.*

E contrario Senatusconsultum Orphianum, quod temporibus D. Marci factum est, tit. *Inst. de Senatusc. Orpb. in princ.* D. Marci oratio nuncupatur in *l.pen. ff.ad Tertul.*

Quæritur modo, utrum hæc cognitio competat Prætori Jure Magistratus, & an delegari possit?

Pro responsione, oportet meminisse, cirea ea, quæ mandari, & delegari possunt, regulam a Papiniano tradi in *l.i. in princ. ff.de offic.ejus*, his verbis: *Quæcumque specialiter lege, vel Senatusconsulto, vel Constitutione Principum tribuuntur, mandata Jurisdictione non transferuntur: quæ vero Jure Magistratus competunt, mandari possunt.*

Ubi Jure Magistratus ea competere dicuntur, quæ fuerunt illi tributa, quo primum tempore Magistratus constitutus fuit, quæque dicuntur etiam competere non lege, sed more, seu more majorum, aut etiam Jure suo. Exemplum esto: Prætor gratia Jurisdicundi fuit Romæ introductus, *l.2. §.cumque Consules, ff.de orig. Juris:* & huic officio, ex quo constitutum fuit, data est Jurisdictione; eapropter Jurisdictione competit Prætori Jure Magistratus, seu more majorum, *l.pen. ff. de Justitia, & Jure*, seu, quod perinde est, Jure suo, *l.more, ff.de Jurisdictione.* Et hoc est, quod dicitur Magistratum habere Jurisdictionem propriam, *l.cognitio, in princ. ff.de officio ejus.*

Cetera enim, quæ deinde Magistratui accesserunt vel lege, vel Senatusconsulto,

Senatusconsulto, vel Constitutione, ea dicuntur specialiter tribui, vel etiam tribui nominatim, *l.mato*, *§.tutoris*, *ff. de tutelis*. Ut exempli gratia est merum imperium, quod dari lege dicitur in *d.l.i. §.qui mandatam, vers.verius, ff.de officio ejus.*

Quod attinet ad Magistratus Provinciales, quibus dabatur Jurisdictio ad similitudinem Urbanorum, ut Propraetori, Proconsuli ad exemplum Consulis, & Praetoris, *l.si in aliquam, §.ult. ff.de officio Proconsul. de omnib.cum seq. ff.de officio Praefidis*, sciendum est, ipsis Jurisdictionem dici competere a lege, ut e.g. Proconsuli concessum est dandi Judicis lege, *l.cum Prator, §.lege, ff. de Judic.* & nihilominus non dici competere specialiter, aut nominatim, sed Jure Magistratus, *d. l.si in aliquam, §.ult. d.l.de omnibus cum seq.* Nempe quia cum querimus, an id, quod Magistratus facere potest, sit ei specialiter tributum, an vero competit Jure Magistratus, ad Urbanos respiciendum est, utpote a quibus Jura Provincialium estimantur; unde, quae Urbanis competit more, sive Jure Magistratus, dicuntur eo quoque Jure competere Provincialibus, non obstante, quod lege, vel constitutione deputentur, Petrus Faber in *l.nemo potest, ff. de reg.Juris*; ita, quae Urbanis competit principaliter, Provincialibus dicuntur deferri lege, ut intelligendus est textus in *l. Et quia; ff.de Jurisd.* ut recte explicat Cujac. in *a.lib.Pauli, ad Edictam, & in d.l.more*. Late Bellonus *de mandata Jurisdic.* cap.2. q.1. num.33. & seqq.

Præterea quæ fuerunt Edicto Praetoris introducta, ut in integrum restitutio, etiam Jure Magistratus competere dicuntur, ut quæ dici non possunt lege, vel Senatusconsulto, vel Constitutione Principum nominatim tributa, ut docent Alciatus in *l.imperiam, num.222. ff.de Jurisd.* & *2. Parad. i. num.5.* Vacónius *6. decl.79.num.4.* Eguinarius *1. var.99.fol.39.*

Ex his igitur omnibus, quæ Jure Magistratus competit, mandari possunt: quæ vero specialiter tribuuntur, nec mandati possunt, nec mandata Jurisdictione transferuntur, ut in *d.l.i.* Nempe quia illa Magistratus habet Jure suo, hæc vero habet beneficio alieno, id est Populi, vel Senatus, vel Principis, quasi scilicet vicem ipsius gerens, & proinde alteri mandare non potest, *l.ult. ff.de officio ejus*, Bellonus *cap.8. quæst. i. num.30. & seq.*

His ita positis; ad quæsita respondere facile est. I. enim dicimus, cognitiohem Praetoris de alimentis transigendis non iphi competit re Jure Magistratus, ut male censuit Donellus *17. coram.8.* sed competere lege, cum illi specialiter & nominatim fuerit Oratione D. Marci tributa, *d.l.cum bi, in princ. ff.de trans.* sive Senatusconsulto, quod eam orationem sequutum est, *l.eleganter, §.item si, ff.de condit.indebits*. Ita Glossa in *l.i. in princ.* ubi DD.communiter, *ff.de offic.ejus*, Petrus Faber in *d. l.nemo potest*, Brissorius *5. de formul. fol.461.* Cujacius in *lib. i. Pauli ad Edictum in l.ubicumque, ff.de reg.Juris.*

Hanc

II. Hanc cognitionem a Prætore mandari non posse , nec mandata Jurisdictione transferri , d.l.sum bi , §.sed nec mandare , ff.de transact. Hotom.7. obser.4. Idem Donellus loc.cit.

Simile est , quod statutum reperitur de cognitione causæ , quæ requiritur in alienatione prædii minoris . Nam Oratione D. Severi in Senatu recitata , prohibitum est tutoribus , & curatoribus , ne prædia rustica , vel suburbana distrahant sine decreto Prætoris , l.i. in princ. ff.de reb.eorum . Hanc igitur cognitionem non habet Prætor Jure Magistratus , sed beneficio prædictæ constitutionis , quæ nominatim illi talem cognitionem injunxit , his verbis : *Prætor Urbanus vir clarissimus adest* , qui pro sua religione estimet , quæ possint alienari , obligarive debant . Deinde Constantinus ad urbani etiam prædii alienationem Prætoris pariter cognitionem & decretum exegit , l. lex , C.de admin.tutor. Unde fit , ut hujus decreti interponendi Jus nec mandari possit , nec mandata Jurisdictione transferatur , l.2. ff.de officio ejus . Quare iterum fallitur Donellus loc. cit. cum hanc cognitionem putat habere Prætorem Jure Magistratus.

Hinc intelligimus , cur Ulpianus tam de transactione alimentorum , quam de prædiis pupillorum alienandis scripterit in X. libris Protribunalium . Nam Protribunalia sunt causæ , quæ nec mandantur , nec delegantur , sed a Prætoribus ipsis , Præsidibusve pro Tribunali expediuntur , ut præter supradictas sunt cause status , l.2. C.de pedan.Judic. & similis , ut monet Cujacius 7. obf.23.

Plura tamen hic notanda sunt . I. hanc cognitionem , quæ in Urbe Prætori datur , in Provinciis competere Præsidi , l.de alimentis , C.cod. quia non ut in Urbe , ita & in Provinciis distincta sunt officia , sed unus idemque Præses & Præfecti , & Prætoris , & omnium Magistratum , qui in Urbe potestatem aliquam exercent , partibus , & officio fungitur , l. ff.in aliquam , §.fin. ff.de officio Proconsulis , & leg. l.de omnibus , cum l.seq. ff.de officio Præsidis . Hinc Præses habet majorem potestatem , quam Prætor , ut præterea constat ex eo , quod Præses habet potestatem gladii , l. illicitas , §.qui universas , ff.cit.tit. quæ Prætori Urbano denegatur ; nam si coram Prætore quid occurrebat , quod majori animadversione dignum esset , ad Præfectum Urbi reus puniendus remittebatur , §.sed se quis præsens , Institutionib.de suspectis tutorib. Non negamus tamen Prætorem majorem gaudere dignitatem , quam Præsidem , scilicet quia Prætor est spectabilis , §.simili quoque , auth. de appellationib. cum alioqui Præses non sit , nisi clarissimus , l. si super , C.cod. l.un. C.de priv. carcerib. non enim connexa invicem sunt potestas & dignitas , & minori dignitate major potestas adhaerere potest , Camillus Plautius de officio ejus , lib.2. cap.4. num.4. Bellonus de mandata Jurisd. cap.9. q.9. a num.3 7. ad 40.

II. Hec intelligi de alimentis futuris ; nam de præteritis alimentis transfigi sine Prætore , sive Præside potest , d.l.de alimentis . Ratio est , quia D. Marci oratio alimentario consuluit in hoc , ne modico præsente

com.

contentus, spem alimentorum desercret, d.l.cum bi, in princ. Quæ ratio in præteritis alimentis cessat.

III. Habere locum in alimentis relictis testamento, vel codicillis, secus in iis, quæ ex contractu deberentur, d.l.cum bi, §.plane.

An prætextu immodica læsionis transactio rescindatur.

Q U A S T I O II.

Vulgo DD. negant, transactionem, in qua læsio immodica intervenit, legitimam esse, ut præter antiquos docent Fachin. 2. contr. 26. Cævallos commen. contra comm. q. 7. 1. Celsus Bargalius 3, de dolo cap. 4. num. 79. cum seqq. Pinellus in l. 2. C. de rescind. vend. Alciatus ad l. 143. ff. de verb. signif. aliquie mox citandi. Hæc vero immodica læsio varie explicatur; quidam enim eam tune intervenisse existimant, ubi quis ultra dimidium justæ estimationis læsus, argumento ex l. 2. C. de rescind. vendit. Alexander in l. 1. C. de passis. Alii exigunt, ut læsio ultra dimidiam non sit in modico, sed latius excurrat in quantitate notabili, seu magni momenti, cuius opinionis auctor fertur Corneus conf. 166. & 189. lib. 1. Welembecius in paral. ff. de transactionib. ad finem, & ita Rotam Romanam sensisse refert Puteus dec. 230. Alii omnino volunt in triplo, vel quadruplo læsionem esse oportere ex l. Lucius 78, §. fin. ff. ad Trebell. Aloysius Albricius inter controversias Andreoli, cap. 288. a n. 47. ad 100. Nonnulli omnino Judicis arbitrio remittunt, ut Accursius in l. 5. C. de dolo, v. Immodice.

Ceterum de hac læsione constare volunt non ex re, sed ex dubio litis eventu, pro qua transigitur, ut si transigens acceperit decem, cum experti homines pro Jure, seu actione ea, 30. darent. Post Bartol. & Facheum loc. cit. Marinis 2. resolut. 233. a num. 7. ad 11.

Tandem consensiunt, hanc læsionem considerandam esse ex præsen-
ti, idest, transactionis tempore præcise inspecto: non ex futuro, veluti si post transactionem initam ob repertum instrumentum de læsione ap-
pareat; nam transactio semel bona fide inita, prætextu instrumenti
postea reperti non rescinditur, l. quamvis, l. sub prætextu, C. de transactionib.
Afflictus dec. 220. aliquique apud Hodiern. controv. forens. 37. n. 35.
Ratio est, quia publice interest, lites dirimi, l. ult. ff. pro facio, l. quidam
21. ff. de reb. creditis. Excipitur tamen causa Reipublicæ, vel pupilli,
l. Imperatores 35. ff. de re judicata, l. 3. C. de Jure Reip. lib. 11. tit. C. si
adversus transactionem.

Probatur hæc opinio ex pluribus. 1. ex l. si superstite 5. C. de dolo,
ubi pater cum filia emancipata, cuius tutelam gesserat, bona fide trans-
egit;

egit, liberatione sibi tributa solemniter per Aquilianam stipulationem; & per acceptilationem; quia tamen filia transigendo immodice læsa fuit, habet in patrem actionem subsidiariam in factum, nempe ob reverentiam, quam filia patri debet; alias habitura contra extraneum actionem de dolo, si dolo extranei id accidisset. Ita ibi Imperatores Diocletianus & Maximianus Amphidrosæ rescribunt. Quo in rescripto, quamvis transactio bona fide facta sit, tamen ob immodicam læsionem dieitur dolo initia: & eapropter doli actio læso conceditur, nisi paterna reverentia obstat. II. quia duplex est doli species; nam est dolus ex mente, seu consilio: alter est dolus re ipsa. In mente est calliditas, fallacia: in re est damnum, *I. si quis cum aliter* 36. ff. de verb signif. ubi hi duo doli equi-
parantur. Sed ex læsione enormi dolus re ipsa nascitur, ex communis sententia. Ergo idem statuendum est, ac si dolus ex consilio intercederet, quo casu sine dubio transactio est rescindenda, *I. & eleganter* 7. ff. de dolo. Quia ergo in immodica læsione inest dolus, inde fit, ut ob eam transactio debeat rescindi; nam solum transactio, quæ bona fide inita sit, non rescinditur, *d.l. quamvis*, *d.l. sub prætextu*.

Verius tamen est, transactionem bona fide initam, prætextu immodicæ læsionis rescindere non posse. Ita Donellus in *d.l. 2. C. de rescind. vendit.* Zafius in *l. 36. ff. de verb. oblig. & conf. 18. num. 16.* Connarus 7. comm. 9. n. 13. Hotomannus *conf. 40.* Gaill. 2. *obf. 70.* Fab. dec. 8. err. 10. Schifordeggerus *lib. 2. tratt. 15. qu. 1.* Borcholt. *de transact. cap. 4. n. 22.* Verstegen. *de trans. obf. 7.*

Quod demonstratur I. quia non minorem auctoritatem transactio habet, quam res judicata, *I. non minorem* 20. *C. de trans.* nempe utraque est remedium finiendarum litium ex consensu vel in pactum, vel in sententiam. Imo Harmen. 1. *Procbiri* 10. majorem habere vim transactio-
nem, quam rem judicatam, docet; magis enim spontaneus est transigen-
tium consensus, quam acquiescentium rei judicatae. Hinc sicuti res ju-
dicata non rescinditur sub specie instrumenti postea reperti, *I. sub spe-
cie 4. C. de re judicata*: ita nec transactio, *d.l. quamvis*, *d.l. sub prætextu*. Et sicuti contra rem judicatam Imperiale rescriptum frustra impetratur, *Luli. C. sententium rescindi non posse* contra transactionem, *I. causas 16. C. de transactionib.* Ergo eodem modo, quia res judicata prætextu cuius-
cunque læsionis non rescinditur, neque etiam sententia lata ob errorem
facti, *I. 2. C. quando provocare non est necesse*, & raro tit. *C. sententiam*
rescindi; ita neque rescindetur transactio.

II. Quia per Jusjurandum transactum videtur, quoties scilicet me deferente Jurasti, ut nec actio de dolo contra perjurum detur, *I. quod* ff. 22. ff. de dolo malo; nam Judiciale Jusjurandum speciem transactionis continet, *I. 2. I. admonendi 3. ff. de Jurejur.* Sed causa per Jusjurandum fi-
nita non potest retractari ob quamcunque læsionem: quippe post Jusju-
randum non aliud queritur, quam an Juratum sit, remissa questione

an debeatur , l. non erit 5. §.dato , l. nam posteaquam 9. §. i. ff. cit. sit. Ergo nec causa per transactionem finita .

III. Ex Ulpiano in l. cum bi 8. in princ. ff. de transactionibus , ubi ousa hi , quibus alimenta relicta erant , facile transigerent , contenti modico præseati , D. Marcus oratione in Senatu recitata , effecit , ne aliter ali- mentorum transactio rata esset , quam si auctore Prætore sicret . Ergo ex tra hunc casum transactio facta modico præsente sibi constat ; nam exce ptio firmat regulam in contrarium , ut recte colligit Faber in rationali bus ad d.l. cum bi , quippe dubitari non potest , quin immodie læsus sit , qui modico præsente contentus est . Et sane necessaria non fuisset D. Mar ci oratio pro tuendis alimentariis , qui modico præsente contenti transige bant , si ob enormem læsioam transactio rescinderetur .

IV. Quia transigitur de re dubia , & lite incerta , neque finita , l. i. ff. de transact. at in re dubia , & incerta læsio allegari non potest , l. si ea lege 17. C. de usur. l. quod debetur 51. ff. de pecalio . Fieri enim nequit , ut res incerta certam habeat estimationem , l. ubi autem 75. ff. de verb. oblig. sive ut qui incertum Jus remisit , aliquo accepto , quod poterat non ha bete , si judicii eventum expectasset , læsus videatur , l. de fideicommisso 11. C. de transactionibus . Eo magis , quod omnis læsio , si qua intervenire posset , satis compensata censetur ex eo , quod a lite disceditur , ut in Francorum proverbio , Il gaigne assez , qui se met hors de proces , idest , Guadagna in excesso chi si mette fuor di processo .

Neque quidquam contraria obstant . l. ad textum in l. si superstite 5. C. de dolo , varie responsum est . Et quidem Faber loc. cit. err. 7. agi putat de ea specie , in qua pater in reddendis filiæ rationibus , cuius emancipa tio tutelam gesserat , extorsit ab ea dolo liberationem , ut propterea dolus non fuerit re ipsa , sed ex consilio . Cui explicationi se opponit Fachinius , qui negat dolum ex consilio ullo modo intervenisse , cum aperte loquatur de transactione bona fide interposita , ibi : Postea transigisti cum ea bona fide . Nihil autem est tam contrarium bonæ fidei , quam do lus : quare omnino videtur ibi sermonem haberi de dolo re ipsa , seu de immodica læsione .

Mihi videtur DD. deceptos ex eo , quia unam ab Imperatoribus spe ciem in ea lege tractari sibi persuaserunt , cum duæ omnino sint . Et cum viderent fieri tum bonæ fidei , tum doli mali mentionem , in varias tri cas se induerunt , a quibus nunquam se expedient .

Prior itaque species est , si transactio bona fide inter patrem & filiam inita sit . Quo casu nullum pro filia auxilium leges habent ; cum enim transactio fiat vel pacto , vel per Aquilianam stipulationem , l. trans actum 2. ff. de transactionibus ; si transactio simplex fuit , & solo pacto convento nixa , quia transactio sibi constat , filia habet quidem actionem , sed quæ a patre pacti exceptione removebitur , l. Jurisg. 6. §. sed cum nulla , ff. de pactis . Sin transactioni Aquiliana stipulatio , & acceptila

rio sequuta sit , filia removebitur , quia actio extincta est , *i. Aquiliana 4. ff.de transactionibus.*

Posterior est , si filia immodice lœsa sit ob dolum patris . Et Imperatores ajunt , si transactioni novatio , & acceptilatio conjuncta sit , compere filia actionem de dolo contra extraneum : subsidiariam in factum contra patrem , propter verecundiam paternam . Addunt tamen , *Si lœsa est immodice* , quia solus dolus satis non est ad agendum de dolo , sed præterea exigitur immodica lœsio . Nempe quia Prætori , qui actionem de dolo introduxit , æquum visum non est , eam impetriri , nisi justa causa esse videatur : & justa causa non est , si modica summa sit , quæ duos aureos non excedat , *i. si oleum, §. fin. cum i. scq. ff.de dolo.* Quod vidit ibi Accursius , *v. immodice.*

Ubi vides L hic in posteriori specie agi de dolo ex mente , seu consilio , ut recte Faber monet ; nam ob dolum ex re ipsa , non ex consilio , de dolo agi non potest ; quia cum hæc actio infamiam irroget , aliter proponi non potest , quam si dolus ex consilio preponatur . Eapropter non competit , quamdiu alia actio , aut civilis , aut honoraria competere potest , *i. i. §. pen. cum scq. ff. cit. tit.* Nec inter patrem , & liberos , etiam si alia actio nulla sit , *§. non debet i. i. ff. cit. tit.*

Vides II. rationem , cur in posteriori specie nihil proponatur de transactione solo pacto inita ; ideo scilicet , quia aperti Juris est , hujusmodi transactionem ob dolum nullius esse momenti ipso Jure . Et hoc est , quod sibi vult Ulpianus in *i. qui cum tutoribus 9. §. qui per fallaciam , ff.de transactionib. cum ait heredem , qui transigit per fallaciam coheredit occultantis bona hereditatis , si transactio sine Aquiliana stipulatione sit interposita , non tam pacisci , quam decipi , scilicet pactum ipso Jure nullum esse ; pacta enim vim habent ex bono , & æquo , cui nihil magis est contrarium , quam dolus . Ut ergo contractus bonæ fidei dolo initus , est ipso Jure nullus , *i. & eleganter , ff.de dolo* , ita & pactum . Quocirca dubium esse solummodo poterat , si transactioni Aquiliana stipulatio & acceptilatio subjecta fuisset ; tunc enim quia stricti Juris contractus est , licet dolus intervenierit , ipso Jure valet : actione tamen doli subsidiaria infringitur , si deceptus agit : vel si agit decipiens , is removebitur doli exceptione , *i. dolo , C. de inutilibus stipulationsibus.**

II. Quod attinet ad textum in d. *i. se quis cum aliser 36. ff. de verb. oblig. ex quo nituntur probare dari dolum re ipsa , ob enormemnam lœsionem ; confitemur dari dolum re ipsa , qui doli exceptionem tribuit : negamus vero lœsionem enormem esse dolum re ipsa , propterea quod dolus non ex quantitate damni , sed ex qualitate fact. & t. mitur , ut aperre habetur in *i. dolus 10. C. de rescind. vendit. i. i. §. sed an dolo , ff. de dolo exceptione.* Qui ergo dolus re ipsa sit , explicatur ex *i. 2. §. circa , ff. cit. tit.* ut si quis sine causa ab aliquo stipuletur , veluti cum quis promittit se restituturum quæ Procuratori suo credit soluta , cum tamen solutum nihil sit ;*

sit; tunè enim si stipulator agat, qui & ipse credebat ea soluta, puta a procuratore suo, doli mali exceptione repellitur; nam quamvis stipulator nihil ab initio dolo admiserit, tamen hoc ipso dolo facit, quod nunc petit. Est autem necessaria doli exceptio, quia stipulatio non eo minus tenet, cum sit stricti Juris. Idem est si tanquam erediturus stipulasti, nec credidisti, ut in d.g.circa habetur.

Quæ sane explicatio satis probatur ex d.l.si quis cum aliter, ubi se ipsum Ulpianus explicat. Nam cum dixisset: *Idem est, et si nullus dolus intercessit stipulantis, sed ipsa res dolum in se habet;* statim subdit explicandi gratia: *Cum enim quis petat ex ea stipulazione, hoc ipso dolo facit, quod petit.* Ubi aperte dolus re ipsa non estimatur ex læsione enormi, de qua nihil Ulpianus reminiscit, neque estimatur ex dolo præterito, sed ex re præsenti, scilicet ex petitione, ut etiam dicitur in d.g.circa, & recte monet Schiffordegherus loc.cit. q.6. qui demum ait, hæc satia esse ad tantum errorem ex scholis, & foro relegandum.

Refutatis his generalibus argumentis, proximum est, ut ad particularia descendamus.

Nam I. qui volunt, transactionem rescindi ob læsionem ultra dimidium, argumentum ducunt ex l.2. & l.si voluntate 8. C.de rescind. venditione, ubi Diocletianus & Maximianus novum Jus veteri Jurisprudentiae incognitum, introduxerunt, eum, qui in emtione venditione læsus est ultra dimidium justi pretii, posse ad rescindendum contractum agere. Quod & in reliquis contractibus bona fidei locum habet, ex Accursio ibidem communiter recepto. Olim enim in quacumque quantitate licitum erat contrahentibus se invicem circumscribere, tam emendo, & vendendo, quam locando, & conducendo, litem si pretio 25. § ult. ff. locati: quod hodie non licet, nisi infra dimidiari partem veri pretii, vel mercedis, d.l.si voluntate.

Dicimus tamen, hæc nullo modo posse ad transactionem trahi: quippe inter transactionem & contractus bona fidei magnum est discri-
men, eum in istis bonum & æquum omnino moderetur, & æquum bonum visum non est, contrahentes ultra dimidiari partem veri decipi. Quod utique transactioni adaptari non potest, quæ vel pacto fit, & non est contractus: vel stipulatione, & est quidem contractus, sed stricti Juris, in quo non æquum & bonum, sed rigor, & strictum Jus locum habet; hinc in venditione error materiae seu qualitatis contractum viciat, litem venditionibus, §.inde queritur, ff.de contr.emtione. Secus est in stipulatione, l.si id quod aurum, ff.de verb. oblig.

Præterea ut rescindatur venditio, læso æstimatur respectu pretii; quod fuerat tempore venditionis, hoc est, tempore contractus precise inspecto, d.l.si voluntate, ad finem. Quæ utique æstimatione in transactione locum habere non potest, quæ interponitur ob causam futuram, ut a lite discedatur, ut etiam Adversarii confitentur, qui læsionem æstima-

ri volunt ex dubio litis eventu , quod plane impossibile est , ut dictum est supra .

II.. Qui læsionem in triplo , vel quadruplo esse debere docent , abutuntur textu in *I. Læcias* 78. §. fin. ff. ad *Trebell.* ubi h̄eres fideicommissio rogatus , minimam quantitatem , quam solam in bonis esse dicebat , restituit: apparuit deinde repertis instrumentis quadruplo amplius in hereditate fuisse; respondet Scævola , si transactum sit , in reliquum fideicommissi nomine agi non posse . Ex his constat , agi hic de eo casu , in quo post initiam transactionem instrumenta reperiuntur , & de læsione appetet . Quo casu consensiunt omnes , etiam Adversarii , transactionem bona fide initiam non rescindi , *I. quamvis* , *I. sub prætextu* , *C. de transactionibus* . Non ergo facit ad rem nostram , ubi lœsio aestimatur ex præsenti . Præterea ibi dicitur transactionem ob quadrupli læsionem non rescindi: Adversarii vero contendunt ob tripli , vel quadrupli læsionem infringi .

Constat pariter eodem textu abuti Fabrum , & Schifordegherum , qui inde nostram coælusionem probare conantur . Nostra enim conclusio est de læsione , quæ tempore transactionis inspicitur : Scævola vero loquitur de læsione , quæ post initiam transactionem ex repertis postea instrumentis appetet , & hanc dicit non rescindi .

Utrum de controversiis , quæ ex testamento proficiscuntur , aliter transfigi possit ,
quam inspectis , cognitisque
testamenti verbis .

Q u a s t i o III.

ET communis fere opinio docet , transactionem nullius esse momenti . Et moventur I. ex apertis verbis Caji in lib. 17. ad *Editum provinciale* , relatis in *I. de bis* 6. ff. de *transactionibus* , ubi hæc habentur : *Dubis controversiis* , quæ ex testamento proficiscuntur , neque transfigi , neque exquiri veritas aliter potest , quam inspectis cognitisque testamentis verbis . Quæ verba adeo clara , & expressa videntur , ut non possint alio sine cavillo detorqueri .

II. Ex Scævola in *I. Imperatores* 3. §. 1. ff. cit. tit. ubi Jurisconsultus ait , ex codicillis post transactionem repertis , transactionem rescindi , nempe quia codicillorum verba tempore transactionis neque inspecta , neque cognita fuerunt . Verba Scævolæ sunt : *Cum transactio propter fideicommissum facta esset , postea Codicilli reperti sunt : quæro , an quanto minus ex transactione consequata mater defuncti facrit , quam pro parte sua est , id ex fidicomissi causa consequi debet ? Respondit debere ,*

Ra.

III. Ratione , ne scilicet qui testamenta diutius occultant, iniquum inde lucrum capiant , dum ita illiciuntur legatarii ad transigendum , ut modico præsente contenti , legatum alicujus momenti omittant , argu- mento ex *I. cum bis 8. in princ. ff. cit. tit.* Ita Bachov. *de transact. cap. 2. num. 5.* Gaillus 2. *obs. 139. num. 9. & seq.* Versteeg. *de trans. obs. 5.* Faber in *C. de transactionib. def. 15.* Capyc. Latro *dec. 202.* Sanfelicius *dec. 148.* Peguera *dec. 899.* aliisque .

Id verum esse docent. I. quanquam testamenti inspectioni speciationem renunciatum sit : quia legi prohibenti quidpiam fieri , aut aliquid ad actus substantiam requirenti, valide non renunciatur, *I. non dubium 5. C. de legibus, I. pacta 6. C. de pactis, I. nec ex prætorio 28. ff. de reg. Jaris.*

II. Etiam in testamento nuncupativo , Cacheranus *dec. 112. num. 13.* Gutierrez *de Juramen. confirm. par. 3. cap. 2. num. 7.*

Non tamen necesse est, ut in transactione adjecta sit clausula, *Vixit cognitisque testamenti verbis,* dummodo doceatur , transigentes gnaros fuisse eorum, quæ testamento cauta sunt ; nam inspectionis unicus finis est, ut tenor dispositionis non ignoretur, Faber *loc. cit. def. 1.* Vide Fon- tan. *dec. 195. cum trib. seqq.*

Ex quo etiam fit , nihil necesse censi , ut tempore transactionis verba testamenti legantur ; cum satis sit inspectio , & cognitio per oculos mentis , hoc est scientia rerum, quæ in testamento comprehensa sunt. Urceolus *de transact. qu. 47. num. 12.* Valeron. *de transact. tit. 3. quæst. 5. num. 56.* Gregor. Lopez in *d. I. de bis,* Sforza Oddo *de restit. in integr. q. 4. art. 17. & seqq.*

Huic tamen opinioni enixe contradicunt Æmilius Ferretus in *I. 3. ff. de transactionib.* Balduinus in *Justiniano lib. 3. pag. 347.* Cujacius & Fa- ber in *d. I. de bis,* Schifordeggerus *lib. 2. tract. 25. qu. 7. & 8.* qui omnes docent , non esse necessarium , ut prius inspiciantur verba testamenti , quam transigatur de controversiis ex testamento dependentibus . Quæ opinio verior est .

Idque manifestum fit I. ex Celsi in *I. non est ferendus 12. ff. de trans- actionib.* cum scribit , non esse ferendum , qui generaliter in his , quæ testamento ei relicta sunt , transigerat , si postea causatur de eo solo co- gitasse , quod prima parte testamenti , at non etiam quod posteriore le- gatum sit . Ex quo textu satis aperte habetur , transactionem utiliter fie- ri de ultima voluntate , etiam non lectis omnibus testamenti verbis.

II. Quia absurdum est , cum , qui totum remittere potuit donationis causa , pars debiti contentum esse non posse , re adhuc incerta . Nec ulla potest efficax ratio dari , cur super contentis in instrumento liceat transactionem inire , non cognitis , neque lectis instrumenti verbis , id. ipsum vero non liceat de his , quæ testamento relicta sunt .

Quod attinet ad objecta Adversariorum , ea facile rejiciuntur . Et primo ad textum Caji in *d. I. de bis 6. ff. de transactionibus* , dicimus Ju- risconsulti

risconsulti verba esse accipienda de facto, non de jure; & sensus est, non facile posse heredes, vel legata i ois transfigere de relictis in testamento, nisi testamenti verba cognoverint; ut nec etiam de instrumentis, nisi instrumento inspecto. Quod nisi cognoverint, & inspexerint, transfigit tamen, non propterea transactio est nulla, sed sibi imputent, quod cautius non egerint. Hoc ita esse, patet ex ipsis Caji verbis, quae integrum leguntur in l. i. f. quemadmodum testamentia operiantur. Cum enim Praetor edictum provinciale proposuisset, in haec verba: *Omnibus, quicunque desiderant tabulas testamenti inspicere, vel etiam describere, inspiciendi, describendique potestatem faciam;* Caius in id edictum scribens, rationem edicti ita assignat: *Ratio autem bujus edicti manifesta est. Neque enim sine Judice transfigi, neque apud Judicem exquiri veritas de his controversiis, quae ex testamento proficiuntur, aliter potest, quam inspectis, cognitisque verbis testamenti.* Ubi palam est, Cajum loqui de facto; nempe facile non posse homines neque litigare; neque transfigere de contentis in testamento, nisi prius testamenti verba inspiciant, & cognoscant. Unde concludit, *equissimum fuisse Praetoris Provincialis edictum.* Non autem inde imponit nobis legis necessitatem, ut non aliter valeat transactio, & lis, nisi testamenti verbis lectis. Itaque qui ea verba inspicit, prudenter transfigit, & litigat: qui ea non inspicit, non nulliter agit.

Hæc quamvis certissima, sunt tamen qui putant, non satis intellexerat a Triboniano, dum verba Caji, quæ recte posita sunt sub tit. *Quemadmodum testamentia operiantur*, iterum collocat sub tit. *de transactiōnibus*, in d. l. de his. Et quidem Ferretus, e Cujacius existimant, hunc Tribonianum errorem ortum esse ex eo, quod non animadvertisit, Cajum hanc sententiam retulisse ad judicata, non ad conventa. E contrario Faber, & Schifordegherus contendunt verba Caji ad conventa referri; errorem vero Tribonianum in eo consistere, quod Caji sententiam pro ratione edicti allatam, sic accepit, quasi simpliciter, & absolute prolatam.

II. Ad textum Scævola in d.l. Imperatores 3. §. 1. negamus transactio nem de testamento rescindi, post repertos codicillos, cum solum dicat Scævola, transactionem ad codicillos non porrigi, quia tempore transactionis nulla de his cognitio habebatur. Species enim est. Quidam condito testamento, fidei heredis commisit, ut hereditatis trientem matri suis restitueret. Quod fideicommissum deinde in codicillis ad semissem auxit. Mortuo testatore, mater transfigit de triente in testamento per fideicommissum relicto, nulla mentione habita de Codicillis, qui ignorabantur. Ait Scævola, repertis deinde codicillis, matrem defuncti posse agere ad sextantem, in quo fideicommissum codicillorum excedit fideicommissum in testamento relictum. Quo casu non rescinditur transactio de testamento, sed solum dicitur, eam non extendi ad codicillos, qui

qui postea reperti sunt. Et hoc est, quod etiam docet Celsus in d.l.xon est ferendus 12. in fine, illis verbis: *Si tamen postea Codicilli proferuntur, non improbe nisi dicturus videtur de eo dumtaxat se cogitasse, quod illarum tabularum, quas tunc neverat, scriptura contineretur.*

III. Ad rationem ab Adversariis subjunctam, respondet Schiff. q.8. *in fine*, nullam in eo captionem considerari posse, qui noluit acquirere, quando potius laudanda est ejus cogitatio, qui etiam modico accepto, quæ aliquoquin ex testamento sibi intentari posset, discedit. At quia Adversarii obtendunt captionem esse ex parte occultantis testamentum, propterea dicimus, contra hos intentari posse & debere edictum provinciale de tabulis testamenti aperiendis, & describendis. Quod si quis non intentet, sibi imputet.





DOMINICI AULISII

J. C. CLARISSIMI,

De Vulgari, & Pupillari substitutione.

Ad lib. XXVIII. Digestorum, Tit. VI.

 Mnis nostri Juris difficultas ex tribus potissimum causis ori-
tur : vel a subtilitate rerum , de quibus agitur : vel ab ob-
scuritate legum , quæ eas comprehendunt : vel tandem ab
antinomiis . Quæ sane omnia , cum in hoc Substitutionum
titulo passim occurrant , tractationem hanc imprimis dif-
ficilem reddunt . In ea explananda , nos nihil eorum , quæ
enodari desiderant , omittemus . Imo alias quoque leges , quæ vel in PP.
vel in Codice , vel in Novellis , sub diversis titulis collocatæ sunt , & ad
hanc rem faciunt , huc quasi fugitivas retrahemus . Ita cum ceteris 48.
quæ in hoc titulo extant , pro merito lucem recipient .

De definitione , & divisione substitutionis ad l.i.

I Eges , dum morientium voluntatibus favent , non solum eis potesta-
tem instituendi sibi heredem impartitæ sunt ; sed etiam , ut heredem
alium scriberent , sive in secundo gradu , ut in vulgari accidit , sive in
secundo casu , ut in Pupillari sit . Et hoc est , quod *Substitutionem* leges
appellant : cuius definitionem tradere arduum visum est . Et quidem
ab hoc onere egregie se exemit Jo:Corasius ad tit. C.de impuberum , n.1.
dum ait , disputationem de definitionibus fastidiosam esse , & inanem ;
quasi vero cæca ea omnis tractatio non sit , ubi de re per nomen denota-
ta non constat ; & constare , nisi per definitionem , non potest .

Cc

Alii

Alii descriptionibus contenti sunt. Et quidem fatendum est, leges nostras descriptionibus potius, quam definitionibus delectari, ut de medicis Empiricis notat Galenus in Isagoge cap.5. dum ait: *Definitionibus usi sunt Logici (Medici), descriptionibus Empirici*, quibus scilicet rerum, quae a nominibus significantur, delineatio quedam tantummodo traditur, non etiam earundem essentia eruitur. Proinde Mōdestino in nostra l.1. satis visum est dicere: *Instituti (heredes) primo gradu, substituti secundo, vel tertio.* Cui affine est, quod habet Paulus hic in l.ex factō, §. *Lucius*, dum de substitutione ait: *Secundi heredis institutio, & Caius 2. Instit.4. Substitutio est secundi heredis appellatio.*

Obstat tamen I. quod habet Alphenus hic in l.moribus, §.sed et si, ubi institutionem præcedit substitutio, hoc modo: *Si filius heres non erit, aut intra impubertatem deceperit, Sejus heres esto, filius heres esto.*

Verum ex eodem Jurisconsulto respondeatur, ideo eam substitutionem valere, quia non ordo scripturæ, sed successionis attenditur; eumque institutum diei, cui primo loco hereditas ex testamento defertur: cum vero substitutum, cui secundo, vel tertio. Idque ex benignitate receptum est, nam Juris rigor exigit, ut substitutionem semper præcedat institutio, l.in fraudem, §.item, l.miles, §.ult. ff.de mil.testamento. Ita olim ante heredem institutum iutiliter legabatur, vel libertas dabantur, ex eo, quod legata, & libertates vim ex institutione recipiunt. Justinianus tamen scripturæ ordinem non attendi Jussit, & ex benignitate ea omnia substituit, §.ante heredis, de legatis. Ita quoque ante heridis institutionem tutor dari potest, §.ad certum, Qai testamento tutores. Vide latius Josephum Villat de substitut. pupillari, cap.2. §.2.

Obstat II. quod dari potest secundi heredis institutio, quæ non sit substitutio, ita ut ambo heredes in primo gradu sint; veluti *Sejus in beſe heres esto, Titius in triente heres esto.* Utique Titius est secundus heres, nec tamen substitutus; & quidem secundus heres dicitur in l.Julianus, §.idem, & in l.ex unciis, ff.de hered.instit. Quare prædicta Pauli & Caji verba malam definitionem, nec bonam descriptionem constituant.

Est tamen distinguendum inter nuncupationem seu scripturam, & gradum. Nam si gradum attendamus, apud Latinos *secundus heres* dicitur, qui substitutus est. Quod pluribus exemplis posset ostendi, sed nunc satis sit Suetonius, dum in *Cæsare*, cap.83. ait: *Decimum Brutum etiam in secundis heredibus*, idest in vulgariter substitutis. Ita quoque in *Ostavio* cap.101. institutos vocat *primos heredes*: *substitutos, secundos: & tertio gradu heredes* appellat, qui his deficientibus vocantur. Proinde cum dico *Sejus in beſe heres esto, Titius in triente*, quia hic unus tantum gradus est, omnes hi erunt primi; quamvis scriptura inspecta, Sejus sit primus heres, Titius secundus. Proprie autem dicuntur

tur *coberedes*, *i. qui solvendo, ff. de hered. inst.*

Verum quia ambiguitas tollenda est, ideo placet, ut ita dicamus; *Institutio est heredis institutio in secundo gradu, vel casu.* Et quidem in secundo gradu sit substitutio vulgaris, veluti *Si Sejas heres non erit, Titius heres esto;* nam gradus non est, nisi ordo successionis, quo heres unus in locum alterius deficientis vocatur. At substitutio pupillaris est in secundo casu, veluti *Si filius heres erit, & in pupillari aetate deceperit, Titius heres esto.* Proinde a Modestino hic substitutio vulgaris dicitur *Simplex*, Pupillaris vero, *Duplex*.

Negant quidam heredem filio datum posse *substitutum* appellari; nam nec talis est respectu patris, cui non est heres: nec respectu filii, cui est primus heres. Quare volunt cum Paulo de Castro in nostra *l. i. num. 1.* & Merenda *4. controv. Juris 6. num. 13. & seq.* pupillarem, improprie substitutionem dici, cum suapte natura institutio magis sit, quam substitutio. Omessa responsione Donelli *6. comment. 25.* dicimus haec nihil obstat; non enim heres filio datus dicitur *substitutus* respectu gradus, sed tantum respectu casus, ut jam explicatum est.

Ceterum cum dicitur *secundus gradus*, intelligitur etiam *tertius*; *quartus*, & quilibet ulterior; nam aliquando *secundum* dicitur *quod cunque post primum est*. Ita per *secundas nuptias* eas omnes intelligimus, quae post primas contrahuntur, ut in *tit. C. de secundis nuptiis*; quidquid repugnet Goveanus hic *num. 7.*

Ex his facile est cognoscere, fideicommissarium universale non esse substitutum, i. tutores, §. heres, ff. de admis. tutor. & tit. C. de institutionibus, substitutionibus, & restitutionsbus; non enim vocatur ad secundum gradum, quia vere heres non est, nec subingreditur locum prioris heredis deficientis. Nec vocatur in secundum casum, quod nulli, nisi substituto pupillari competit. Quia tamen fideicommissarius loco heredis est, ut dicitur in §. *restituta, de fideic. hereditatibus*; ideo interdum improprie *substitutus* vocatur, ut in *i. generaliter, §. cum autem, C. de institutionibus*.

Varie substitutio a Doctoribus dividitur, quae omnia facile rejiciuntur ex nostra rubrica, quae est *de vulgari, & pupillari substitutione*, ex qua intelligimus substitutiones non nisi duas esse, vulgarem, & pupillarem. Quod etiam constat ex nostra *l. i. ubi Modestinus duas tantum substitutionum species agnoscit, Simplicem, quae est vulgaris, & Duplicem, quae est Pupillaris.* Et ratio est, quia substitutionum species desumendae sunt ex ratione, qua quis substitutus fit: quae ratio vel est, quod quis vocatur ad secundum gradum, ut accidit in vulgari: vel ad secundum casum, ut est in pupillari.

Verum si attendamus personas, quibus substitutio fit, tunc per accidens triplex erit, vulgaris, quae inde nomen habet, quia vulgo permittitur, & cuivis aetati, & personae fieri potest, Goveanus hic in *rati-*

brica num. 13. Pupillaris , quæ fit filio impuberi eo casu , quo pupillus decebat . Quasi pupillaris , quæ filio furioso fit , scilicet si in furore obeat . Quasi pupillarem cum Cujacio vocamus eam , quæ vulgo exemplaris nuncupatur , cum ad exemplum pupillaris a Justiniano introducta sit *I. humanitatis , C. de impariterum* . Hæc tamen appellatio imperitorum est , quia exemplare non dicitur id , quod ad exemplum alterius expressum est : sed , quod pro exemplo aliis deservit . Ceterum pupillaris & quasi pupillaris unicam substitutionis speciem constituunt , quia utraque fit in secundo casu , nempe illa , si filius heres erit , & in pupillari se at decesserit : ista , si filius heres erit , & in furore obierit .

Reciproca vero , seu mutua , est qualitas , quæ utriusque speciei , vulgaris , & pupillari competit ; cum locum habeat , quando pluribus institutis heredibus , unus alteri substituitur , quo casu plures insunt vulgaris , vel pupillares , ut hic in *I. jam hoc Jure* .

Denique compendiosa est simplex modus , qui sub compendio verborum vulgarium , & pupillarem comprehendit , veluti si dictum sit , quandocunque filius decesserit , Causus heres esto , *I. precibus , C. de impariterum* .

Si cui concessa est potestas disponendi , aut testandi , an is idem vulgariter substituere possit .

Q u a s t i o I.

Cum plurimi casus sint , in quibus hæc quæstio locum habere potest , præcipue tamen pro feudis proponi solet ; quandoquidem de Jure Longobardico (quod Jus commune feudale appellatur) omnis quemcunque in feudis testamentaria dispositio improbatur , cap. i. in princ. de successione feudis ; in Regno tamen nostro ex dispensatione Regis concessa Baroni potestas est disponendi de feudis , pragm. 18. cum concordantibus , sub tit. de feudis . Inde quæsum est , utrum ex hac potestate licita eidem Baroni intelligatur substitutio ? Idipsum queri posset in specie textus in *I. cum bic status , §. si miles , ff. de donationibus inter virum , ubi miles , qui ex flagitio militari damnatus , testari non poterat , ex I. si quis filio , §. irritum , ff. de injusto rupto , a Præside potestatem testandi de bonis Castrenis impetravit ; queri , inquam , posset , an ex hoc ipso milites recte substituat .*

Et , ut distinetè procedamus , in duas omnino partes hæc quæstio dividenda est : in priori agemus de substitutione vulgaris , in posteriori de pupillari ; non enim eadem in utrisque sive difficultates , sive rationes videntur .

Sunt ergo qui putant , potestatem substituendi vulgariter non intelligi

telligi concessam ei , qui alioqui testari prohibitus , facultatem testandi seu disponendi obtinuit , & maxime si is Baro sit , qui de feudis testari velit , ut post alias late tuctur Loffredus *conf.7.*

Quod probant I. quoniam in his, quæ stricti Juris sunt, ubi duo simul prohibentur, concessio, quamvis ex vi nominis utrumque comprehendere possit, semper tamen de uno facta intelligitur, ut constat ex textu in *I. filiusf. §.item videtur, ff.de donationibus*, ubi si quis filios familias donandi potestatem concesserit de peculio profectitio, poterit is quidem inter vi-
vos donare, at non etiam donare causa mortis, et si donandi verbum utrumque comprehendat. Ratio est, quia utrumque filios familias in eo peculio prohibitum est, ut in illis verbis legis: *Pari autem ratione, quia donare filiusfamilias prohibetur, etiam mortis causa donare prohibebitur.* Jam hæc omnia ad nostram speciem aptare, & traducere facile est. Æque enim militi ex militari flagitio damnato, & Baroni in feudis, prohibitum est instituere, & substituere. Unde fit, ut quoties ipsis a Principe, aut Praeside, testandi, aut disponendi potestas impertitur, id de sola institutione debeat intelligi, quamvis testandi, & disponendi verbum etiam substitutionem comprehendat.

II. Probant, quia concessio facta ei, qui ea potestate caret, intelligitur de prima & unica vice, itaut qui semel facultate sibi concessa usus sit, eam jam omnino consumserit, *I. boves, §. hoc sermone*, ubi DD. *ff.de verb. signif.* Unde in specie nostra verbum, *disponere*, de sola institutione capiatur opus est; si enim substitutionem vulgarem adhuc comprehenderet, non esset amplius una dispositio, sed multiplex; propterea quod substitutus non est coheres, sed secundus heres succedens in locum alterius deficientis, *I. ex facto, §. Lucius, ff.de vulg.* ut substitutio omnino sit altera, & nova institutio, a priori diversa, in qua facultas disponendi jam fuerat consumpta, Innocentius in *cap. dilectus filius, n. i. de præbendis, & dignitatibus*, quem sequitur Montanus *de regalibus, §. fin. num. 11.*

Id ipsum de fideicommissis dicendum videtur, qui est actus ab institutione diversus, & diverso tempore ab institutione effectum sortitus: alter scilicet actus tempore, quo testator moritur, & quo sit locus heredi instituto: alter tempore, quo fideicommissi restitutio fit.

Alii tamen in contrarium mituntur apud Pratum *1. obs. 78.* & Cannetium in *cap. volentes Regni Siciliae n. 41.* ea moti ratione, quia substitutio, & fideicommissum sunt partes testamenti, ut etiam legata sunt: quare sicuti concessa alicui potestate testandi, & disponendi, eidem legare licet, ita quoque licitum erit substituere, & hereditatem per fideicommissum relinquere. Quod utique argumentum fortissimum est. Immo, amplius posset dici, concessa potestate testandi, licita esse omnia, quæcunque ab ea potestate dependent, et si extra testamentum, & ab intestato siant, ut sunt codicilli, & mortis causa donatio. Id constat ex *d.l. cum hic status, §. si miles*, ubi miles damnatus, qui a Praeside ut de bonis castris testaretur, impetravit, non

modo testari potest, sed mortis etiam causa donare etiam ab intestato; ut in illis verbis: *Nam & mortis causa donare poterit, cui testari permisum est.* Nempe, quia causa mortis donatio a potestate testandi dependet; ut propterea cui testamenti factio concessa non est, eidem nec mortis causa donatio permititur, *i.e. in princ. ff. de tutelis, & rationibus:* quod alibi a nobis post Antonium Fabrum late probatum est. Idipsum verum est de Codicillis; nam qui Jus testandi habet, codicillos etiam ab intestato facere potest, *i.s. quis 3. ff. de Jure codicillorum.* Ex his satis aperte constat, ei, qui testandi potestatem impetravit, multo magis licitum esse, facere ea omnia, quae in testamento fieri consueverunt, non modo legata, sed etiam vulgarem substitutionem, & fideicommissum: quod quidem fideicommissum nonnulli etiam in contractibus constitui posse docent, modo pro fideicommissariis tabellio stipuletur, quia absenti circa stipulationem Jus non queritur, *Peregrinus de fideic. art. 51. num. 3. & seq.*

Nec in contrarium opposita quidquam urgent. Nam id, quod primo loco dicebatur, ex duobus, que quis facere prohibitus est, unum tantum intelligi concessum, quamvis verba in concessione adhibita utrumque comprehendant, facile diluitur; respondendo verum id esse, quoties ea duo a diversis Juribus, seu facultatibus dependent, ut est in donationibus, quarum que est donatio inter vivos, a Jure contrahendi dependet; at ea, que est donatio causa mortis, tota est a potestate testandi, ut jam monuimus. Non ita se habet in specie nostra, ubi potestas vulgariter substituendi pendet ab eadem facultate, a qua descendit potestas instituendi, nempe a Jure testandi, & disponendi; ut propterea cui hoc Jus concessum est, possit is instituere, & substituere, ut pariter legare, per fideicommissum relinquere, codicillos ab intestato facere, & causa mortis donare; cum haec omnia ab uno Jure testandi pendeant, sicuti probatum est.

Cum autem secundo loco ajunt, concessionem disponendi, & testandi, de prima tantum vice capi oportere, non etiam de secunda, concedendo id verum esse, negamus tamen in specie nostra multiplicem factam intelligi dispositionem, quandoquidem testamentum, ubi quis heredi vulgariter substituit, unicum est, & unica etiam est dispositio, ut apud omnes constat; & argumento esse potest, quod solemnitates non duplicantur, ex notatis a Theophilo in §. iigitur, *Institutionibus de pupillari.* Itaque cum moriturus habeat potestatem semel testandi, aut semel disponendi; & dubitari nequeat, quin instituendo, & vulgariter substituendo, semel ipse testetur, aut semel disponat, nihil obstat textus in *d.l. boves, §. hoc sermone.*

Præterea regula hujus §. cessat, quoties concedentis mens suadeat verisimiliter, concessionem etiam de altera vice capi, aut posse, aut debere. Probat id textus in *l. cum quidam, ff. de annulis legatis;* nam testator

tor decurionibus municipii legavit certam pecunia^m summam ; inter eos distribuendam die natalis sui . Videbatur quidem ex regulis Juri^s divisio uno tantum anno facienda ; quia tamen non erat verisimile , testatorem voluisse , diem suum natalem uno tantum anno celebrari , & istum esse , propterea DD. Severus , & Antoninus legatum annum esse , & pessimum rescriperunt . Probat pariter textus in *I. si habitatio* , §. stram , ff. de usu & habitatione , ubi sermo est de habitatione simpliciter legata , & rejicitur sententia eorum , qui eam de uno anno capiebant , admissa contraria sententia Rutilii , & Celsi , qui legatario , donec vivat , habitationem competere voluerunt . Jam h^ac quoque verisimilitudo in nostra specie adest ; nam qui potestatem testandi , & disponendi concedit , verisimiliter voluisse videtur , ut concessio effectum te ipsa sortiatur , hoc est , ut qui impetravit , vere moriatur testatus . Quocirca is si instituendo vereatur , ne intestatus decadat , debet ei licitum esse facere , ut vulgariter substituendo , effectum sortiatur concessio testandi , & disponendi ipsi a lege , seu a Principe facta .

Utrum in testandi , aut disponendi potestate , comprehendatur potestas pupillariter substituendi .

Q u e s t i o II.

Major nunc manet nos difficultas , quæ est de substitutione pupillari . Nos quæ utrinque afferri solent , aut possunt , rationes in medium afferemus .

Et multorum sententia est , cui testandi , & disponendi potestas concessa sit , eidem non denegari facultatem substituendi pupillariter . Quod hac ratione probabile fit , quam altius repetemus . Substitutio pupillaris in ipsius pupilli utilitatem ex sequitate moribus populi Romani introducta fuit , ne pupillus , qui ob etatem sibi condere testamentum non potest , intestatus decadat , *I. si pupillus* 42. ff. de acq. bered. ubi qui aliquid facit , quo substitutus pupillaris dimidiis impuberis hereditatem adeat , pupilli utilitatem impugnare dicitur . Ex quo Juris principio factum est , ut substitutio pupillaris modo habeatur pro testamento patris , modo pro testamento filii , ut nimis magis ipsi pupillo conducit , & utile est : quod Accursius pallium vertere dixit in *I. Papinianus* , § sed nec impuberis , ff. de inofficio testamento ; quo in textu habetur , in substitutione pupillari , facta a patre filio pupillo , non opus esse legitimam portionem matris ipsius pupilli relinquere ; quia testamentum fecit pater , qui uxori sua , quæ eadem est pupilli mater , legitimam relinquere non obligatur ; quam .

quamvis ad eam relinquendam obligetur filius , cum ipse sibi testamentum condit . Habetur e diverso , neque fratibus patris legitimam esse relinquendam , quia substitutio pupillaris filii testamentum est , qui paratus suis nihil relinquere tenet . Ex his satis superque apparet , non omnem ex pupilli utilitate metiri , & interpretari , eamque hactenus veri , donec ipsi conducat .

Hinc etiam intelligimus , cur quos ego possum heredes mihi necessarios facere , eosdem possum & filio , ut servum meum , & fratrem suum , *I. si plures , §. quos possum , ff. de vulg.* Eo tamen casu substitutio pupillaris habetur , ut testamentum patris , quia filio datur heres necessarius , qui solum est necessarius heres testatoris .

Jam , ut haec ad nostram questionem adaptemus , duo casus distinguendi sunt , juxta duo exempla initio questionis hujus proposita , in Miliite , & in Barone .

Primo itaque miles damnatus , si impetrata testandi potestate , filio pupillariter substituat , dicendum videtur substitutionem istam non haberi , ut testamentum pupilli , quia id pupillo minime esset utile . Sequeretur enim substitutionem ipsi a patre fieri non posse : quippe bis miles testaretur , semel pro se , semel etiam pro filio ; cum certum sit concessionem testandi alteri factam de una tantum vice intelligi , nisi mens concedentis verisimiliter suadeat , eam concessionem de altera etiam vice capi oporteret , juxta ea quae superius a nobis disputata sunt : quae utique verisimilitudo in specie nostra locum non habet .

Opus est ergo , ut dicamus hic pupillarem substitutionem accipi , ut testamentum patris , prorsus ut nihil aliud sit , nisi pars subjectiva illius . Probatum vero jam est , sub concessione testandi , intelligi concessionem potestatem circa omnes testamenti partes , ut legata , codicillos , donationem mortis causa , & propterea etiam fideicommissum , & substitutionem . Ita sane utilis substitutio fiet .

Solvi hinc etiam potest anceps illa inter Proculianos , & Sabinianos questione , utrum testamentum , in quo pater filio pupillariter substituit , unum testamentum sit , an vero duplex . Eam questionem , quoniam huic nostrae disputationi lucem afferre potest , hic brevibus tractare operae premium erit . Sabiniani unum , Proculiani duplex esse existimabant . Solvitur tamen , si dicamus , in aliquibus ut duplex considerari , cum scilicet id pupilli utilitas exigit ; unde non unicum exigit contextum , sed pater potest una hora heredem sibi scribere , & altera pupillo : qua in re duplicis testamenti vim servat , *I. si quis eum , §. i. ff. de vulg.* Id ipsum est , cum duæ dicuntur esse hereditates , altera patris , altera filii , *d. l. sed si plures , §. 3. ff. cit. tit.* In aliquibus vero , ut simplex testamentum haberi , & non nisi septem testes exagi , unicam detrahi Falcidiam , quia id pupillo magis conductit . Ita quam facillime haec difficultas tollitur , & evanescit , quae ardua adeo visa est Justiniano , ut eam indecisam reliquerit in *§. igitur , I. sl. de pupillari.*

Pro

II. Pro Barone pupillariter substituente in feudis non una ratio videtur; viget enim ea, quam modo in milite posuimus. Viget præterea alia, quæ desumitur ex substitutione pupillari, habita pro testamento filii; quippe pater dum Jure patrio pupillariter filio substituit, utitur ea potestate, quam filius haberet, si sui Juris effectus, ac in legitima ætate constitutus, sibi testamentum conderet, & vellat sibi scribere eundem heredem, quem ei dedit pater, et si ipse pater in testamento, quod facit sibi, non posset Jure proprio eundem heredem facere, *d. l. Papinianus, §. sed nec impuberis, ff. de inoff. testam.* Itaque cum substitutione pupillaris pro filii testamento habeatur, tanquam si sui Juris esset, & adulteræ ætatis, utique in feudis licita erit, quia apud nos cuivis Feudatario testandi facultas benigne concessa est. Erunt proinde duo testamenta, unum patris, alterum filii; unde fit, ut pater semel tantum, non etiam bis, videatur uti facultate testandi sibi concessa.

Verum alii in contrarium nituntur; & quamvis concedant hæc omnia recte se habere extra causam feudalem, negant tamen inde quidquam concludi posse pro Barone pupillariter substituente in feudis; quippe leges testamentariae Juris civilis, Jure feudali neque receptæ, neque cognitæ sunt; ut propterea velint controversiæ hanc omnem aliis rationibus examinandam, & discutiendam esse, similitudine accita ex iis, quæ in re testamentaria populo Romano primis Reipublicæ temporibus acciderunt.

Primum itaque satis durum, & ab omni ratione alienum videbatur, ut quis testamentum de suis bonis condat; cum enim testamentum vim non habeat, nisi post testantis mortem, *l. i. cum seq. ff. de hered. vendita,* inde fit, ut disponat quis de rebus in id tempus, quo amplius rerum earum dominum non est habiturus; quandoquidem morte omnia solventur. Videbatur itaque testandi facultas omnis morientibus deneganda, qui de rebus suis, si velint, disponant inter vivos, donando, vendendo, eum scilicet adhuc domini sunt, Faber in *rationabilibus ad L. i. ff. de testamentis.* Et eo respexisse creditur testamentum per eos, & libram, ubi testator bona sua fingebat vendere antestato, de quo in *tit. de testamentis diximus.*

Verum deinde, hac Juris subtilitate omissa, unicuique patrifamilias libera testandi facultas concessa fuit, ut scilicet de rebus suis etiam post mortem, cum dominus amplius non est, disponat: idque ex amplissimis XII. Tabularum verbis: Ut legassit sua rei, ita Jus esto, *l. verbis legis, ff. de verb. signif.* At non statim concessa testandi potestate, etiam pupillariter substituendi potestas concessa visa est; nam ut hanc patrifamilias haberet, necesse præterea fuit, ut ea ipsi moribus Populi Romani permitteretur, *§. nam moribus, Inst. de pupillari.*

Non dissimili modo discurrendum est in feudis. Est plane feudatio omnis disponendi potestas de feudo per testamentum denegata, *cap. i. de*

de successione feudi; non tamen ex eo, quia de ipsis post mortem, cum ipsorum amplius dominus non est, disponeret: sed alia prorsus ratione. Quippe alterutrum accidat, necesse est; vel enim disponit, praeter, seu contra id, quod in investitura contentum est, & effet rei feudalis alienatio, quæ sine domini permisso fieri non potest, ut in titulis *de prohibita feudi alienatione per Lotbarium, & per Fridericum*: vel disponeret juxta ejusdem investituræ leges, & inutile prorsus testamentum erit, cum nihil, nisi quod in investitura habetur, contineat.

Hæc de Jure communis; at hodie ex legibus nostri Regni licitum est Baroni, ut de feudis libere disponat, seu leget. Non tamen propterea dicendum est, ei concessam intelligi potestatem pupillariter substituendi, sicut enim *Civis Romanus* ex potestate testandi, quam illi dederant leges decemvirales, non propterea poterat pupillariter substituere; ita nec poterit Baro, nisi novi mores, vel novæ leges specialiter hanc ei potestatem concedant. Quippe, ut ex dictis constat, tria apud Romanos tempora hæc in re distinguenda sunt. I. Regum, sub quibus nulli disponendi de rebus suis per testamentum facultas fuisse videtur: alterum legum Decemvirium, cum id concessum est: ultimum, cum moribus etiam substituendi pupillariter impedita potestas est. At vero in feudis hæc tria tempora haec tenus non habemus, sed duo tantum priora, ultimum vero deficit: quippe adhuc neque mores, neque leges extant, quæ hoc pupillariter substituendi Jus concederent.

Ex his colligunt I. quod etsi in Regno nostro ex *pragm. 33. de feudi* permisum sit Baroni morienti, ut possit in testamento feminam proxime successuram excludere, vocando ad successionem masculum eum, qui tempore conditi testamenti succederet, si foemina non extaret; non propterea tamen eidem Baroni concessum intelligitur, ut pupillariter substituendo, eadem facultate uti possit. Exemplum esto: quis filium impuberem sibi in feudi scriptis heredem, eique in pupilli aetate decedenti ita substituit, ut ad hereditatem pupilli vocaret patrum suum, exclusa vigore *d. pragm. 33.* pupilli fratre, quæ eidem pupillo erat proxime successura. Non inquietunt, id facere potest, quia in pragmatica modo dicta solum disponendi, & testandi, non etiam pupillariter substituendi facultas concessa est.

Colligunt II. quod licet ex *pragm. 34. de feudi* licitum sit Baroni, ut in feudi suis majoratum instituat, & fundet, hoc est, ut ad feudorum petitionem admittatur semper qui in familia major natu est, seu, ut dicitur, primogenitus; tamen non inde fit, ut eidem Baroni pupillariter substituere liceat; quandoquidem majoratus non est, nisi fideicommissum cettis personis ex familia relicitis, ex *l. cum ita legatur, §. in fidicommis. f. de legat. 2.* & post alios docuit Molina *l. de primog. 1. num. 7.* fideicommissum vero nihil commune habet cum substitutione pupillari, præferunt cum fideicommissum ne in genere quidem substitutionum sit, ut ex

Duareno, Donello, Fabro, aliisque in Institutionibus probavimus.

Neque dicas actum istum, et si non valeat tanquam substitutionem pupil'arem, valere tamen debere uti fideicommissum; hoc enim rejicitur primo ex textu in *l. verbis civilibus*, ff. de vulg. ubi si quis paganus ver. his civilibus, sive directis, filio substituat post 14. annum, pupillaris substitutione finitur ipso anno 14. eo vero emenda, non resolvitur in fideicommissum, seu, ut textus loquitur, frustra fit. Puta, filius meus heres esto, quod si intra vicesimum quintum etatis annum vita deceperit, Caijus haeres esto; quippe filio obeunte intra 14. annum, substitutus ex pupillari omnia pupilli bona capiet: at post eam etatem omnino excludetur; nisi tamen miles sit, qui ita testando disposuit; eo enim casu ex privilegio militum, filio post 14. annum fatis cedente, substitutione resolvetur in fideicommissum, ex quo Caijus patris dumtaxat bona cum frumentis inventis in hereditate capiet, l. centario, ff. de vulg. Itaque quia Baro testando non habetur, ut miles, sed ut paganus, propterea ejus pupillaris substitutione nequit ex privilegio militum in fideicommissum verti; quocirca in feudis non est recepta regula, Si quod ago non valet, uti ago, valeat uti valere potest, sicuti post Aadr. de Isernia docet Montanus in *cap. imperiale*, num. 209. & 234. de probib. feudi alienat. per Fredericum, & Antonius Maurus allegat. 16.

An in substitutione pupillari insit vulgaris.

Ad l. jam hoc lare 4.

Q u a s t i o . III.

Disputatum de hac re olim Romæ est in M. Curii causa, de qua multa extat apud Ciceronem, & Quintilianum mentio, quod viri Consulares Q. Mutius Scævola, & L. Crassus, ambo eloquentissimi, ambo Juris peritissimi, in contrarias partes iverint. Nam Coponius quidam testamentum fecit, relicto herede filio, qui sibi ex uxore prægnante nasceretur in decem mensibus, & si is moreretur priusquam in suam tutelam veniret, M. Curium substituit. Accidit, ut natus posthumus nullus sit, & apud Centumvirosl quæstitum est, utrum M. Curius secundus heres, exclusus ex pupillari substitutione, admitteretur saltē ad hereditatem Coponii testatoris ex vulgarī, quæ tacita in pupillari insit.

Et quæstio fuit, ut constat ex Cicerone in *Bruto*, quid sequendum sit, utrum quod scriptum erat, an potius æquum, & bonum. Scævola enim scriptum tuebatur, nempe, ut tantum unusquisque velle videretur, quantum expresisset, l. qui heredi, in princ. ff. de condit. & demonstr. l. si cum dorem, ff. sol. matr. Quocirca cūm in specie proposita vulgaris substitu-

tio a testatore expressa non sit, dici nequis eam in-pupillari tacite comprehendendi. At Crassus pro æquo & bono stabat, contendens voluntatem testatoris ex æquo & bono eam esse censem tam, ut is sibi, non nato filio, heres esset, qui filio nato, & in ætate pupillari mortuo, ejdem filio heres futurus erat, id est, ut in pupillari inesset vulgaris. Quid in hac Curiana causa a Centumviris statutum sit, non constat; ex Cicerone tamen colligi posse videtur, Q. Scævolam victum fuisse, cum dicat eum obrutum a Crasso argumentorum, exemplorumque copia.

Sed jam hæc omnia plenus discutienda sunt. Nostri Interpretes communis fere calculo Crassi sententiam amplexi sunt, docentes substitutionem a patre filiofamilias factam in secundo casu, nempe, si filius:heres erit, & in pupillari ætate decesserit, tacite continere substitutionem, quæ in primo casu fit, seu vulgarem, prorsus ut filio herede non existente, substitutus vi tacita vulgaris succedat in hereditatem testatoris. Ita Accurs. Bart. & reliqui in l.i. & in l.jam hoc Jure, ff. de vulg. & novissime Henricus Breakman in erudita, & eleganti Diatriba de Eurematicis Modestini cap.7.

In contrarium tamen primus omnium pugnavit Lancellottus Politus in tract. de substitutionibus, cap. de vulgari, & latius cap. de pupillari, qui Scævola sententiam sequutus, docuit nullam dari vulgarem substitutionem tacitam, quæ in pupillari continetur. Idipsum deinde defendit Viglius Institutionib. de pupillari, in princ. quibus se comitem dedit Antonius Faber de erroribus pragma. dec. 32. err. 9. & seq. qui vulgarem substitutionem tacitam ab Interpretibus nostris per nimiam Juris imperitiam confitam esse ait, nec antiquis Jurisconsultis cognitam. Quæ sane verba Faber effudit non sine summa L. Crassi injuria, quem ejus sententia auctorem esse ignorare non potuit, quamvis eum non nominet: qui tamen Crassus a Cicerone in Bruto eloquentium Jurisperitissimus, ut Scævola Jurisperitorum eloquentissimus, appellatur.

Nos sane Crassi sententiam non modo a Centumviris probatam, sed præterea eam in nostro Jure expressam putamus, ut scilicet pater, qui filio impuberi substituit in casum pupillarem tantum, in vulgarem quoque tacite substituisse intelligatur.

Movemur primo ex nostra l.jam hoc Jure, quæ excerpta ex Modestino libro singulari de Eurematicis. Sunt autem Græce εἰρηνικῶν idem, quod Latine Consilia, remedia, quæ in casum aliquem dubium excogitantur, ut quis tutus sit. Vulgo cautelas dicimus. Itaque Modestinus consilium præstans patri, ut se gerere debeat in substituendo, cum duos habet filios, puberem unum, alterum impuberem, monet cum, ne reciprocum ipsis substitutionem faciat, dicendo, *Filiī mei beredes sumus, eosque invicem substituo;* quippe eo modo in vulgarem tantummodo casum facta videtur substitutio ex D. Marci constitutione;

et:

et si enim filius impubes duplicitis substitutionis capax sit , hoc est , vulga-
ris , & pupillaris , quia tamen alter filius pubes non est capax , nisi
unius tantummodo vulgaris , eapropter hæc solum utriusque in recipro-
ca facta censetur ; cum enim reciproca substitutio aequalitatem utrinque
exigat , incongruum inde videtur , ut in altero filio duplex sit , in altero
simplex . His ita statutis , consilium patri Modestinus præbet , in hæc ver-
ba : *Hoc itaque casu singulis separatis substituere pater debebit : ut si
pubes heres non extiterit , impubes ei substituatur . Si autem impubes
heres extiterit , & intra pubertatem decesserit , pubes frater in portionem
coheredis substituatur : quo casu in utrumque eventum substitutus vide-
bitur .*

Hæc postrema verba manifeste probant substitutionem factam in ca-
sum pupillarem expressum , trahi ad vulgarem ; docet enim Modestinus ,
patrem , institutis filiis , relata reciproca , debere duas separatis substitu-
tiones facere , vulgarem filio puberi , hoc modo : Quod si filius pubes heres
non erit , impubes heres esto ; secundo pupillarem filio impuberi , ita : Quod
si impubes heres erit , & infra pubertatem (hoc est , in ætate pupillari) deces-
serit , pubes heres esto . Ex quo fieri ait , ut pubes in utrumque casum vi-
deatur substitutus , hoc est , tam si frater impubes heres non sit , quam-
si heres sit , & antequam in suam tutelam veniat , decesserit ; ut proinde
manifestum sit , in pupillari expressa tacite vulgarem inesse . Et hoc est
quod volunt sibi ea verba : *Quo casu in utrumque eventum substitutus
videbitur .*

Quippe ita intelligenda esse hæc postrema verba , tum per se patet ,
tum etiam ex specie , in qua Modestinus patri consilium præbet ; qua-
rebat enim , qua ratione posset pater filio puberi vulgariter substi-
tuere , & filio impuberi tam vulgariter , quam pupillariter , ut ita eis
fierent substitutiones omnes , quibus capaces sunt . Et monet primo
Modestinus patrem , ne contentus sit sola reciproca , dicendo , eis-
que invicem substituo , quia hæc utrinque solam vulgarem contine-
ret , ob aequalitatem , quam servare debet . Consultit deinde , ut duas
faciat substitutiones singulas singulis , nempe , ut puberi substituat
in casum vulgarem , impuberi in casum pupillarem . Jam si pupil-
laris hæc non comprehenderet tacite etiam vulgarem , non satisfecis-
set Modestinus desiderio patris , qui impuberi duplitem facere sub-
stitutionem volebat ; ut propterea omnino dicendum sit , Modesti-
num hic sensisse , in pupillari expressa tacite vulgarem inesse . Et sa-
ne non modo ita sensit , sed etiam ita clarissime docuit , illis verbis : *Quo
casu in utrumque eventum substitutus videbitur .* Quæ L.Crassū sententia
fuit .

Sensit Faber d. err. 10. nam 10. fe his Modestini verbis premi ,
& miris modis se torquet , ut vim eorum eludat ; & tandem dicit
totani eam partem legis sibi suspectam videri . Ad quod commen-
tum :

rum s^epissime Faber, veluti ad sacram anchoram, confugit. Quæ res adeo infeliciter ei cœdit, ut ea ipsa, quæ affert, per se sola satis ostendant, frustra contra tendi.

Primo enim fatetur, in postrema hujus legis parte tradi, substitutionem factam in casum pupillarem trahi ad vulgarem; verum addit, totam eam partem sibi suspectam videri, dignoremque vacillantis ac titubantis Tribonianis inscitia, quam Modestini peritia; quænam enim, aut, quæstio poterat occursere, an substitutio pupillaris expressim facta impuberi contineret vulgarem tacitam, si qua unquam esset tacita vulgaris ex D. Marci constitutione? Respondemus tamen, non eam hic a Modestino agitari quæstionem, quam Faber ait, sed quæstioni tantum, quæ cautio excogitanda sit per patrem, qui duos habeat filios, puberem, & impuberem, ut omni modo eis substituat; ubi cum dicit, satis esse, si impuberi pupillariter substituat, quia ita in casum etiam vulgarem substituisse intelligetur, utique non disputat de hac re, sed eam doctrinam pro certa habet, tanquam jam firmatam D. Marci constitutione; utitur tantum ea ad speciem propositam, ut patri cautum sit. Est enim ea lex excerpta ex Modestini libro singulare de Heurematicis, ut ex inscriptione manifestum est. Sunt autem græce εὐρηματικὰ idem quod latine, consilia, remedia, quæ in casum aliquem dubium excogitantur, ut quis tutus sit. Hodie barbari *Cautelas* vocant.

Sed parum hac Response fisis Faber (senhit enim esse levissimam) alio se vertit, & secundo loco dixit, ex speciali ratione hic factum, ut pupillaris substitutio trahatur ad vulgarem, ut propterea nequeat inde generalis regula statui, id semper esse, aut intelligi debere. Specialem autem rationem eam esse dicit, quia in proposita specie fuerat expressa mutua substitutio, directa utraque, sed una vulgaris, altera pupillaris, quæ licet ipsa nec vulgaris sit, nec vulgarem continere soleat, facile tamen potest includere vulgarem, cum ex alia parte jam adest vulgaris. Sunt enim favorabiles mutuae omnes, & reciproce dispositiones, *I. si pater puerus, C. de inoff. testam.* facileque mutuam sibi præbent interpretationem, quam res ipsa ferre potest. Hæc tamen nihil obstant, & mirum est, non vidisse Fabrum, nullam hic validam ex mutua dispositione rationem elici posse; quippe nulla mutua dispositio esse potest, ubi est inæqualitas, ut textus etiam noster docet. Et sane in nostra specie summa inæqualitas versatur, cum unius filio proponatur substitutum fuisse in casum vulgarem, alteri in pupillarem. Quare verum non est, Modestinum moveri ex ratione speciali ex mutua substitutione petita, sed dicendum potius est, ita statuisse ex generali constitutione D. Marci, qui Crassi sententiam sequutus est, cuius rationem investigare jam tempus est.

Movemur itaque II, ex ratione Crassi desumpta ex bono, & æquo; quam etiam supra tetigimus. Multa quippe in Jure nostro ex bono & æquo

& æquo inducta sunt contra , seu præter scriptum , ut constat in contractibus bonæ fidei , in quibus multa subintelliguntur , quæ scripto expressa non sunt : multa etiam inducta sunt a mera Juris ratione aliena . & , ut de aliis casibus taceam , ita est , ubi de substitutionibus agitur . Constat enim ex D. Marci constitutione inductum esse , ut si pater filio suo impuberi substituerit in casum vulgarem , videatur etiam substituisse in casum pupillarem , *d.l.jam hoc Jure, n.pinc. quamvis enim si inspiciamus aut scriptum , nihil verba vulgaris communè habent cum verbis pupillaris : aut rationem , longe inter se abeunt dare heredem sibi , quod fit in vulgari , ac dare filio , quod fit in pupillari ; tamen D. Marcus , spretis his omnibus , contra scripta , & contra meram Juris rationem statuit , ut in vulgari filio facta tacite insit pupillaris , nempe ex bono & æquo , ut faveret pupillo , qui ob ætatis defectum condere sibi testamentum nequit .*

Jam hoc bonum & æquum facit , ut dicendum etiam sit , in substitutione pupillari filio facta insit tacite vulgaris favore testatoris ; qui tamen favor non fundatur in eo , quod ipse non potuerit sibi testamentum condere ; ut est de pupillo ; sed fundatur in voluntate & mente testatoris ; nam quem vult heredem esse filii sui heredis , eundem necessario sibi heredem velle videtur , ex regula , quod heredis heres , meus est heres , *l.heredis 65. ff.de verb.fignif. cum concordantib.* Unde substitutus pupillaris duorum heres est , & pupilli , & testatoris ; ex quo statutum est , ut cum utrumque consequi non potest , unum saltem consequatur . hoc est , ut deficiente pupillari , admittatur ex vulgari . Et quamvis id testator non expresserit , ex bono tamen & æquo id voluisse videtur , adeout has duas substitutiones si comparamus , melior videtur causa vulgaris tacitæ , quæ præter favorem testatoris , aliqua etiam Juris ratione inititur , quam tacitæ pupillaris , quæ ex mero pupilli favore dependet .

Intervm nescii non sumus filio non solum instituto , sed etiam exhereditato pupillariter substitui posse , §.xxx modo , *Institutionibus de pupillari* ; sed dicimus in hoc casu vulgarem in pupillari non incesse , cum cesseret ratio legis , quæ est , ideo inesse , quia qui vult aliquem heredem esse filio pupillo suo heredi , eum vult sibi heredem esse : scimus quoque hunc casum perquam rarissimum esse , præsertim attento novo Jure Justinianeo , ex quo filius , n.s i ex vitio ingratii , quod facile in impubere locum non habet , exheres scribi nequit . Ceterum quæ semel , aut bis accidunt , prætereunt legislatores , nec ex eo regulam mutant , *l.24. num.6. ff.de ll.*

His ita statutis , proximum est , ut videamus quibus moti rationibus Pollius , Viglius , & Faber in contrarium iverint sententiam . Multa sane sunt , quæ ad evertendam Crassi sententiam pro Scævola congerunt , quarum nonnulla per se ex jam dictis evanescunt , veluti cum hanc opinionem ajunt nullo Jure probari , alia levia sunt : quare ea so-

lum .

tum adducemus & examinabimus, quæ majoris momenti esse videntur :

Producunt I. textum in *I. paterfamilias*, ff. de priv. creditor. quem Pandectæ Florentinæ reponunt sub *sit. de bonis aut. Judicis possid. ubi Jabolenus tractans de impùbere filio, cui paterfamilias substitutum dederat, si ante pubertatem deceperat, negat expresse, debere admitti substitutum vivo filio, etiamsi is filius paterna hereditate se abstineret; ideoque bona patris interim vendi oportere ait, ut creditoribus fiat satis.* Et nihilominus substitutus admitti debebat, jam inde vivo filio, & cogendus, si substitutionem agnovisset, ut creditoribus paternis responderet, si quo unquam casu tacita vulgaris ex pupillari expressa induci posset.

At quamvis Faber admodum sibi in hoc textu placeat, eumque elegantissimum, & apertissimum vocet, prorsus ut eludi non possit; tamen, si verum amamus, nihil est, quod facilius & promptius rejiciatur. Attendenda enim est temporum Chronologia, qua multæ Juris difficultates enodantur. Dicimus itaque, tempore Jaboleni nondum latam fuisse D. Marci constitutionem, ex qua in pupillari vulgarem inesse determinatum est. Floruit enim Priscus Jabolenus sub Imperatore Trajano, ut constat ex Plinio 2. lib. 6. ep. 15. Id autem incidit in annum Urbis conditæ 860. circiter. Multo vero post regnavit M. Antoninus, qui simul cum Aelio Vero imperium iniit anno U. C. 913. Nil ergo mirum, si Jabolenus docet, filio abstinentem, non fieri locum substituto pupillari, cum pupillarem substitutionem nondum per ea tempora vulgarem comprehendere esset statutum. Hodie post D. Marci constitutionem secus se res habet, & omnino admittetur substitutus, nec patris bona a creditoribus vendi possant, qui contra substitutum actionem instituunt. Videnda tamen, quæ dicentur infra.

Producunt II. textum Papiniani in *I. pater instituto*, ff. de captivis, cujus species hæc est. Pater in testamento, quod considerat, filium im- puberem, quem in potestate habebat, heredem instituit: tum ei secundas tabulas scripsit, hoc est, substituit in casum pupillare. Post hæc accidit, ut pater ab hostibus captus, ibidem deceperit: demum impubes filius vita functus est. Contendebat agnatus, se ad hereditatem impuberis admitti debere ab intestato, quasi jam pupillaris substitutione evanisset: quippe ad pupillaris validitatem opus est, ut filius, quo tempore pater moritur, sub ejus potestate reperiatur. Quod in eo casu non erat: jam enim filius per captivitatem patris, sui Juris erat effectus, hoc est, vivo adhuc patre. His tamen nil motus Jurisconsultus statuit, substitutionem pupillarem vires suas habere, quia ex fictione legis Cornelii, pater, qui non rediit, jam tunc deceperat intelligitur, ex quo captus est. Nimirum, cum filius adhuc sub patris potestate erat. Hactenus Papinianus. Ex his ergo eliciunt, substitutionem vulgarem tacite non contineri in pupillari; nam si contineretur, omnino vana fuisset legitimi heredis oppositio contra substitutum, qui exclusus ex pupillari, admitteretur ex vulgari.

Hoc

Hoc tamen argumentum vanissimum est; non enim quæstio de institutione fuit, sed de substitutione. Sane jam filius ex necessitate Juris civilis heres erat, nec proponitur usus beneficio Prætoris: ex quo omnis vulgaris substitutio evanescit, non modo si tacite, sed etiam si expresse facta proponatur. Quare cum de hac queri nullo modo posset, mérito quæsumum solum est de pupillari, an ea valeret.

Visum est, Scævolæ sequaces nihil valere legibus: videamus modo, an plus valeant rationibus, quæ omnes eo tendunt, ut ostendant ex hac tacita vulgari, quæ in pupillari insit, multa absurdâ contra Juris nostri regulas sequi. Nec mirum: nihil adeo est certum, & patens, ut non ratione aliqua infirmari possit, *i.e. non omnium, ff. de legibus;* quod maxime accidere in casu nostro necesse est, ubi nou ex stricto Jure agitur, sed ex æquo, & bono. Hæc enim contraria sunt, & sibi invicem adversantur, ut omnino necesse sit, contra ea, quæ æquitate sola nituntur, multa ex mero Jure pugnare; quod satis ostendit comparatio Juris civilis, cuius est rigor, & Prætorii, cuius est æquitas. Propterea absurdâ; quæ objiciunt, omnia uno possunt spiritu difflari, dicendo, ea locum habere, attenta mera Juris ratione, non etiam attenta æquitate; concedimus enim ex Juris rigore absurdum esse, in pupillari inesse vulgarem, non minus atque absurdum est in vulgari comprehendendi pupillarem; cum longe distent dare sibi heredem, quod sit in vulgari, ac dare filio, quod sit in pupillari: tamen ut bonum & æquum favore pupilli obtinuit, ut in vulgari insit pupillaris, ita etiam idem bonum & æquum fecisse dicimus, ut ex mente testatoris in pupillari inesse vulgarem censeatur. Quorum utrumque in *Iam hoc Jure, ff. de vulg. constitutum reperiri probavimus.* Hæc satis essent respondisse ad omnia absurdâ a Fabro adductâ, in quibus excogitandis pueriliter sibi complacuit, quod dolenter dixisse velim; ne tamen nostræ causæ aliqua ex parte junioribus defuisse videamur, nonnulla, quæ majorem vim habere videntur, privatim examinabimus.

Dicit ergo Faber, in formula illa pupillaris substitutionis, Si filius meus heres erit, & impubes deceperit, Titius heres esto, patrem quodammodo protestari se filio testamentum non condere, nisi in eum casum, quo filius, se mortuo, heres sit, & deinde antequam in suam tutelam venierit, moriatur; nam conditio pupillaris substitutionis non tam est conditio, sub qua vocetur substitutus, quam conditio, sine qua non vult nec potest pater facere filio testamentum. Ergo absurdum est, ut in his verbis intelligatur datus etiam heres patri, vivo quoque pupillo.

Quæ ut plenius intelligantur, recolendum est, ex Ulpiano in *I.i. berit, ff. de vulg. substitutionem pupillarem ex natura sua puram esse, ut quæ tota concluditur tribus verbis illis, Titius heres esto, quæ, ut nemo non videt, pura sunt, nisi aliunde conditio inserta sit, veluti, Titius heres esto, si mihi heres erit. Pura enim dispositio, vel conditionalis, ex*

eo dignoscitur, quod hereditas per eam, vel statim mortuo testatore, vel non statim, desertur. Quia ergo pupillaris substitutus statim post pupilli mortem, ad ejus hereditatem admittitur, negari nec potest, pure esse substitutum. E diverso negari nec potest, particulam, si, a qua solet incipere formula pupillaris substitutionis, hoc est, Si filius heres erit, & impubes decesserit, negari, inquam, non potest conditionem facere, itaque, ff. si certum petatur; propterea dicamus opus est, eam conditionem respicere non substitutum, sed patrem testantem, quasi dicat se pro filio testamentum condere sub ea conditione, Si filius heres erit, & in estate pupillari decesserit. Cum vero deinde condit, pure condit, dicendo, Titius heres esto.

Respondemus tamen, hanc doctrinam & pulchram, & veram esse, sed tamen nullum inde absurdum contra vulgarem tacitam deduci posse, ut quæ non nititur verbis pupillaris substitutionis, sed nititur mente patris substituentis, qui dando heredem filio instituto, sibi quoque dedisse videtur, ex regula, quod heredis heres, meus etiam heres est, ut non semel jam diximus. Non ergo rigorem, & verba in hac re attenderunt legumlatores, sed benignitatem, & mentem; sicut pariter accidit, cum casum vulgarem traxerunt ad pupillarem; nam si rigorem solum verborum inspicias, absurdum est, ut ex vulgari, ubi testator sibi solum heredem constituit, deducatur pupillaris, ubi non sibi, sed filio heres datur. Quod quidem contra rationem esse non negat Faber d. err. 9. n. 13. addens tamen absurdum tolli per Imperatoris constitutionem solo pupillorum favore subnixam. Dicimus nos, ita quoque absurdum, ut in pupillari insit vulgaris, tolli per expressum textum in d. l. jam hoc Jure, sola testatoris mente subnixum; non enim bonum & æquum, quod receptum est in uno casu, debet rejici in altero.

Ex his patet, quid ceteris absurdis, quæ comminiscuntur, respondendum sit, veluti, quod videretur principale, uti est substitutio vulgaris, contineri in accessorio, ut est pupillaris: item quod videretur filius impubes, qui sibi condere testamentum non potest, condere tamen pro patre, & hujusmodi alia. Omnia enim hæc absurdia emanant ex scripto, sive ex verbis, quæ tamen hic non attenduntur; cum solum legislator præ oculis bonum & æquum habuerit.

C O R O N A B A R I A.

HÆc pro disputatione præfenti satis esse puto: ex his tamen non nulla colliguntur. Et I. pro ea singulari specie, quam statim initio ex causa Curiana produximus, ea quoque tractatur a Bartolo in l. i. num. 33. ff. de vulg. ubi recte docet, substitutum pupillarem datum postumo instituto, si is deinde natus non sit, debere admitti ex tacita vulgari, sicuti ex hactenus disputatis constat. Sed Bartolus alium insuper

super profert textum in *l. pen. ff. de ventre inspicio*, ubi Paulus ita ait: *Qui ventri substitutus est, si ventrem servare velit, audiendus est.* Ex hoc textu Bartolus propositionem jam positam apertissime probari scribit: aut saltem posita sententia nostra, textum hunc pulchre explicari.

Primo enim sermo hic esset de substituto pupillari, qui datus sit posthumo, hoc modo, si posthumus heres erit, & in pupillari ætate decesserit, ut ibidem *Gloss.* notat; Faber tamen *dec. 33. er. 3. num. 6.* de substituto vulgari intelligit dato his verbis, *Si posthumus non nascetur;* Ego semel dicam, quid de hac lege sentiam, & de similibus, ubi pupillo datus substitutus dicitur, ut in *l. si pater filiam, ff. de vulg.* Nempe putem idco simpliciter substitutum dici, quia post D. Marci constitutiōnem parum interest, in quem casum substitutus pupillo datus sit, vulgarem ne, an pupillarem; nam alter alterum continet. Quod pro nostra sententia non leve argumentum est; nam si pupillaris substitutio non contineret in se tacitam vulgarem, absurdē Jurisconsulti fecissent, tenebras toties nobis effundendo, nominato simpliciter substituto, quasi divini nos simus, non interpretes. Itaque nihil vetat, quominus textum in *d.l.pen.* de pupillari substituto cum Accurs. & Bart. capiamus.

II. Substitutus ideo petebat ventrem, seu mulierem prægnantem servari, & custodiri, quia si natus posthumus non esset, ipse substitutus ex tacita vulgari debebat ad hereditatem testantis admitti; nam ei conceditur custodes ventri apponere, cuius interest, partum non edi, hoc est, ei, qui partu non edito, habiturus est hereditatem, *l. i. §. quamvis, ff. cit. tit.* Ceterum substituti pupillaris interesse non potest, partum non edi, nisi in expressa pupillari insit tacita vulgaris; ita enim, partu non edito, ad testantis hereditatem admittitur.

Ita e contrario in *l. ult. C. de instit. & substit. vulgaris expressa facta* in illum casum, si posthumus non nascetur, posthumo deinde, nato, & intra pubertatem decedente, trahitur ad tacitam pupillarem.

II. Colligitur, quod si filius, cui a patre in casum pupillarem facta substitutio est, deceperit vivo patre, utique substitutus tabulas testamenti paterni confirmabit, seu, quod perinde est, admittetur ad patris bona, ex tacita illa vulgari, quæ in pupillari inest; quæ vulgaris remanet, pupillari evanescente, *d.l. jam hoc Jure.*

Neque haec conclusio ulteriori indiget probatione: Bartolus tamen aliis etiam legibus idipsum probare nititur, quæ nihilominus parum, aut nihil ad rem faciunt.

Nam producit textum in *l. neque enim*, qui in Pandectis Florentinis est, *l. idem est, §. ult. ff. de militari testamento*, ubi miles in testamento suo herede instituto, eique alio vulgariter substituto, servo libertatem reliquit: tum primum, & secundum heredem rogavit, ut hereditatem eidem servo per fideicommissum restituerent. Accidit, ut uterque heres mortem adierit, priusquam hereditatem adissent. Ex quo testamentum

corruisse videbatur, successurosque ab intestato proximiores agnatos sine ullo onere dandi servo aut hereditatem, aut libertatem; nam fideicommissum nisi adita hereditate, non debetur, *t. ille a quo, s. si de testamento, ff. ad S.C. Trebell.* Imperator tamen Antoninus cum D. Vero rescriptit, militem non debere intestati exitum facere: sed perinde habendum esse, ac si eidem servo libertas simul, & hereditas directo data esset, quod utramque ad eum pervenire testatorem voluisse, negari non posset. Ex quo textu Bartolus a fortiori ad nostram speciem argumentum deducit; nam si fideicommissaria dispositio, quæ est obliqua, continet in se vulgarem tacitam, quæ est directa, multo magis pupillaris continebit vulgarem, cum utraque directa sit. Est enim facilius, ut quæ jam directa, quam ut quæ obliqua est, aliam directam pariat.

Verum facile apparet, nullum ex hoc textu argumentum deduci posse, cum speciale Jus sit, quod totum ntitur duplici favore & libertatis, & militiæ, qui ab Imperatoribus hoc rescriptum expressit; ut probatur ex eo, quod alibi, quam in casu illius legis, non reperiatur fideicommissariam dispositionem trahi ad directam. Quippe servorum, qui a pagano libertatem, & hereditatem per fideicommissum accipiunt, si heres institutus, & substitutus, non adita hereditate decedant, sola libertas confirmatur, evanescente fideicommissio, quamvis secus sit in testamento militis, ut apertissime ait Macianus in *I. Antoninus, ff. de fideic. libertatiō.* ubi hoc ipsum Antonini rescriptum refert. Ad hoc tamen, ut fideicommissum valuerit in *d. I. neque enim*, opus fuit enixa testantis voluntate, qui fideicommissum restitui petiit ab instituto, & repetiit a substituto.

Sunt qui pro Bartoli sententia afferant responsum Juliani in *I. si pac. scr filium, ff. de vulg.* quod magis ad rem nostram facere videtur, ubi pater filium impuberem heredem scripsit, cui ita substituit, si quis mihi post mortem natus fuerit, heres esto. Factum vero est, ut filius institutus obierit, & mox vivo patre posthumus natus sit. Julianus ait testamentum non recipi, sed natum filium patri heredem exiturum. Hunc textum Bartoli sequaces intelligunt de substitutione pupillari-filio impuberi facta, non ut Gloss. de vulgari: & quia pupillaris jam evanuerat per obitum filii, vivo patre, quæsitus propterca est, an posthumus rumperat testamentum, in quo non videbatur comprehensus. Cum ergo Jurisconsultus ait non rumpi, filiumque videri testamento comprehensum, certe id accidit, quia in ea pupillari inerat tacite vulgaris.

Glossa tamen, 'in hoc textu vulgarem substitutionem filio factam voluit. Quæ opinio ex eo orta est, quod verba illa, si quis mihi post mortem natus fuerit, perpetram intelligit, post mortem impuberis me patre vivo. Quod certe longe a vero absit, cum palam de morte patris sermo sit; ecquis enim non videt, ea verba tantundem valere, ac si pater dixisset, si quis mihi posthumus natus erit? Præterea si vulgaris

ex-

expressa filio facta fuisse, nullo modo poterat dubitari eum censeri institutum ex *lex facta*, §. *Lucius*, ff. *boc tit.*

**An instituta vulgaris, vel pupillaris,
cum mater est in medio.**

Q U E S T I O IV.

HÆc quæstio maxime proponitur pro explicando Diocletiani rescripto in *l. precibus*, *C. de impuberam*, & aliis substitutionibus. Varietatem Doctoribus in hac re distinctum est, ut videre est apud Bartolum in *l. L. num. 41. ff. eod.* qui post varias contentiones, tandem in Accursii sententiam concedit, ut distinguatur inter matrem pupilli, & matrem testatoris, nempe ut nec tacita vulgaris instituta contra matrem testatoris, nec tacita pupillaris contra matrem pupilli. Quam sententiam passim amplectuntur Jason, Ripa, Alciatus, aliquie in *l. precibus*, *C. de impuberum*, & aliis substitutionibus, & in *l. ult. C. de institutionibus*, Zafius, Oddo, & ceteri, quos refert Fusarius in hoc tractatu, cap. de pupillari, qu. 157. Idem habet Fachin. 4. *contr. 46.* & 15. *contr. 74.* Verum hæc clarius exponenda sunt.

Primo ergo de pupillari tacita. Quidam habens uxorem, & ex ea filium impuberem, condito testamento, filium instituit heredem, eidemque alterum substituit in casum vulgarem. Accidit, ut agnita patris hereditate per filium, vulgaris substitutio expiret; tum vero filius in ætate pupillari decedit, superstite matre. Quamvis regula Juris sit, substitutum ad pupilli hereditatem admitti ex tacita pupillati, que in vulgaris inest; hoc tamen casu DD. supracitati in favorem matris pupillaeam pupillarem inesse negant, docentque matrem ab intestato ad filii hereditatem admitti, excluso substituto.

Moventur primo ex *d. l. precibus*, *C. de impuberum*, & aliis substitutionibus, ubi cum miles filio impuberi, quem in potestate habebat, primo tantum casu, hoc est, vulgariter substituisset, & filius patri heres extitisset, eo demum morente in ætate pupillari, Imperator Diocletianus rescripsit, non incerti Juris esse, ad matrem omnino filii pertinere successionem, excluso scilicet substituto. Ex quibus aperte constat, superstite pupilli matre, casum vulgarem non trahi ad pupillarem.

Moventur etiam ex *d. l. ult. C. de institutionibus*, ubi non de militte, ut in *l. precibus*, sed de pagano agitur. Quidam enim paganus uxori simul, & filium instituit heredem: & præterea filio vulgariter substituit illis verbis, si heres non erit: vel, cum de posthumo ageretur, ita, si filius natus non erit. Filius natus, & heres factus, deceperit impubes. Orta dicitur controversia inter Ulpianum & Papinum, an substitutus

ex pupillari tacita matri coheredi præferretur. Et Justinianus Papinian*i* sententiam sequutus, statuit, matrem potius ad pupilli venire successionem, quam substitutum. Cujus rescripti DD. supracitati eam esse dicunt rationem, ne matri affl. &c ob immaturam filii mortem, adderetur afflictio, amissionis bonorum, quam rationem innui volunt in illis verbis legis: *Luctuosam hereditatem ad matrem venire curavit.* Non enim est autem, afflictis non esse addendam afflictionem, *I.Jure succursum, ff.de Jure dotium.*

Hæc ita DD. statuunt iu pupillari tacita; nam certum est matrem excludi, si sit expressa pupillaris substitutio, nec præterea de inofficio quæri posse, *I.Papinianus, §.sed nec impaberis, ff.de inoff.testamento.* Certum est quoque excludi, si sit reciproca substitutio, veluti si duos filios impuberis scribam heredes, & eos invicem substituam; nam tunc intelligitur expressa duplex substitutio, vulgaris, & pupillaris, *I.Lacius, ff.cod.* Baldinus in *Justiniano lib.3.*

II. In tacita vulgari. Quis filio impubere herede instituto, eidem in ætate pupillari decedenti, alium substituit. Filius tamen mortem patris prævertit, ex quo pupillaris substitutio expiravit. Tum moritur pater, matre sua superstite relicta. Eo casu docent non esse inducendam tacitam vulgarem contra matrem patris; profsus ut mater testatoris eidem ab intestato succedat, excluso omnino substituto, qui ad ejusdem testatoris hereditatem contendat admitti ex tacita vulgari; quæ hoc casu non inesse dicitur.

Ratio hujus sententiae ex supradictis dependet; sicut enim per pupillarem succeditur pupillo, ita per vulgarem, patri; quocirca sicuti pupillaris tacita non inest contra matrem pupilli; ita inesse non debet vulgaris tacita contra matrem patris; ut propterea concludant, nec tacitam vulgarem, nec tacitam pupillarem admitti posse contra matrem illius, cui succeditur. Ex quo apparet, totam difficultatem versari circa priorem casum substitutionis pupillaris tacitæ; quippe ex eo posterior casus vulgaris tacitæ dependet.

His ergo minime obstantibus, dubitandum non est, quin substitutio pupillaris tacita locum habeat etiam contra matrem pupilli, nisi quidpiam proponatur, ex quo contraria voluntas testatoris appareat. Ita Baldus in *d.l.precibus*, Imola in *I.morib. ff. cod.* Connarus *10. comment. ult.* Viglius *tit. de pupill. in princ. Ant. Faber 15. conject.9. & de errorib. dec.33. err.5. Costa 2.ambig.16.*

Id I. probatur ex *I.jam hoc Jure, ff.de vulg.* ubi ea statuitur regula, ut in vulgari expressa semper inlit tacita pupillaris, nisi alia patris substituentis voluntas fuisse appareat, ut habetur in illis verbis: *Viraque substitutio intelligetur si voluntas parentis non refragetur.* Sed dici non potest refragari voluntatem parentis ob id solum, quod mater pupilli sit in medio, cum nihil ipse de hujus matre dixisse proponatur. Quare fit, ut hoc

hoc etiam casu pupillaris tacita in vulgari contineatur , & filio pupillo substitutus succedat , exclusa matre .

Quod si dixeris , favorem matris tantum esse , ut ex eo solo testator intelligatur voluisse nullam inesse tacitam pupillarem contra matrem , quamvis nihil de ea meminerit ; facile respondetur , apud testatorem non tantum esse favorem matris pupilli , hoc est , uxoris suæ , ut non major sit favor pupilli , seu filii sui ; nempe ut filius per substitutionem pupillarem decedat testatus ; magis enim interest habere testamentarium heredem , quam legitimum , sive honorem inspicias , sive etiam utilitatem ; quod pupilli falso minus exposita sit insidiis agnatorum , quoties pupillarem substitutum habet ; nam duæ istæ & honoris , & utilitatis rationes , in causa fuere , ut moribus populi Romani pupillaris substitutio inducetur .

Verum , ut jam expositi argumenti vis clarius , & penitus intellegi , & cognosci possit , sciendum est , ipsum totum fundari in natura legis , & in natura voluntatis testatoris . Quippe inter ceteras conditiones , quas Theologi ad legem exigunt , ea est , ut sit certa , nec unquam ab incerto eventu dependeat , nec ejus potestas tacita unquam conditione suspendatur , nisi quæ sit omnino ex natura actus , *I.2. ff. de juris & facti ignor. juncta l. aliquando , ff. de conditionib. & demonstrat.* Propterea nequit lex disponere , ut vulgaris substitutio impuberi facta , sub dubio , & in incertum eventum tacite contineat pupillarem , nempe ut ea in sit , si pupillus post matrem moriatur , at non in sit , filio ante matrem obeunte , & ut ex post facto cognoscatur , quod antea fuerit . Quare ne lex ullo dubio eventu , contra suam naturam suspenderetur , necesse fuit , ut certo statueret , in vulgari a patresfamilias filio impuberi facta statim tacite pupillarem inesse ; absurdum sane esset , si in suspense id relinqueret , itaut interim nec inesse dici posset , nec non inesse . Exemplum hujus rei esto : qui de statu dubitat , si condat testamentum , D. Pius rescriptit , nullum testamentum fore , etiam si deinde patresfamilias , aut liberum fuisse appareat eo tempore , quo condidit , *I. de statu , ff. de testamentis .* Cur ita ? ncmpe quia legis potestas a dubio eventu pendere non debet , nec potest sub dubio interim relinquere , utrum actus sit validus , an non .

At non quæ legis natura est , eadem est voluntatis testatoris ; hæc enim in dubium eventum referri potest , & a tacita conditione pendere , ut in *I. cum evus , ff. de conditionib. & demonstrat. I. cum acutissimi , C. de fideic.* Quod utique in casu nostro recte observatum est , cum patri testanti permittum sit , ut possit , si velit , legi refragari , & tacitam pupillarem in dubio eventu ponere , utrum pupillus moriturus sit ante matrem , an post matrem . Sed tamen inde fit , ut necesse omnino sit , ut de hac patris voluntate ob aliquam saltem conjecturam constet . Ceterum hæc conjectura vel ex verbis testantis desumenda est , ut in *d. ult. C. de instit. si-*

gut

cut mox explicabimus: vel saltem ex mente, ut in *d.l.cum avus*. Quorum neutrum in nostra specie locum habet; non enim haec conjectura (ut scilicet pupillaris non insit, matre pupilli superstite) potest ex verbis desumi, cum nihil de matre testator dixisse proponatur. Non item ex mente, quia testantis mens ea potius videtur esse; ut faveat filio, dando ei heredem in pupillari aetate morienti, quam ut faveat uxori suae, quae ab intestato succedendo, irritam substitutionem redderet, ut explicatum jam est.

Neque quidquam *I.* in contrarium urget textus in *d.l.precibus*, ut in quo sermo est de testamento militis Jure militari condito, ut propterea sit, qui pupillo substitutus erat in casum vulgarem expressum, non admittatur in pupillarem tacitum, non quia mater esset in medio, sed quia ex potestate legis tacita pupillaris non suppletur; quippe in testamento militis nuda ejus voluntas, seu id tantum, quod scriptum est, attenditur, & nihil a lege suppletur. Hinc est, quod in eo locum non habet Jus accrescendi, & heres ad tempus institutus, semper heres non erit: praeterea in legatis, & fideicommissis lex Falcidia cessat, *l.i.l.certi*, *l.in testamento*, *C.de testamento militis*. Cum ergo solum vulgaris substitutio in eo scripta sit, ea evanescente ex eo, quod filius heres exitit, non suppletur a lege pupillaris tacita, & successio ad legitimos heredes ab intestato desertur.

Ceterum, quod ibi de militis testamento agatur, manifestum est ex pluribus. *I.* quia in eo militis testatoris mentio fit, non solum ex precibus, seu ex libello mulieris, ibi: *Maritus quondam meus miles defunctus*; sed etiam in dispositione textus, seu in decisione questionis, illis verbis: *Siquidem in patris militis positus potestate*. Et verba in dispositione posita non ex vano videntur prolata, sed ut aliquid operentur, *cap.si Papa*, *§.i. abi Can. de priv. in 6.*

Manifestum etiam est, cum Diocletianus ait, *Non esse incerti Juris matrem admitti*, excluso substituto, qui hereditatem ex tacita pupillari petebat. Quae sane verba in testamento pagani locum habere non poterant; nusquam enim constitutionem D. Marci, & Veri, quae statuit in vulgari inesse pupillarem, legitur ante Diocletianum fuisse restrictam, matre pupilli in medio existente; quocirca in pagani testamento potius fuisse dicendum, Incerti Juris esse: quod demonstrat Ulpiani, & Papini controversia, qui intermedio tempore inter Marcum, & Diocletianum floruerunt, quique in *d.l.ult. C.de institutionibus*, matre in medio existente, ex conjecturis sibi invicem adversabantur. At in testamento militis non immerito dicitur, non incerti Juris esse, tacitam pupillarem in vulgari non comprehendendi, & succedi ab intestato; quia certi Juris est, in militis testamento nihil suppleri, sed id tantum attendi, quod scriptum, expressumque est, *d.l.certi*, *C.de testamento militis, cum cordantibus*.

Est

Est tandem manifestum ex eo , quod in d. l. precibus alia nonnulla contra receptas Juris regulas statuuntur , quæ non nisi in testamento militis locum habere possunt , de quibus infra suo loco speciatim age-
mus .

Neque II. urget textus in d.l.ult. C.de institutionibus; quoniam ibi non ideo tacita pupillaris abesse præsumitur, quia mater est in medio, sed quia mater instituta erat ex parte hereditatis testatoris , dataque coheres filio, sive nato, sive postumo . Inde enim voluntatis conjectura sumebat Papinianus , quod pater noluisset a filii hereditate excludi matrem , quam in sua hereditate filio coheredem dedisset ; ut propterea dixerit , in vulgari non inesse pupillarem , quia refragatur parentis voluntas , juxta constitutionem D.Marci . Et sane hanc esse rationem , qua nitebatur Pa- pinianus , constat ex d.l.ult. in illis verbis : *Si enim suæ substantiæ par- tem uxori dereliquerit , multo magis & lucretiosam hereditatem ad matrem venire curavit . Ergo si coheres data mater non fuisset , non est dubium , quin a successione filii per substitutum excluderetur .*

Putat tamen Antonius Faber , responsum Papiniani corruptum a Tribonianis inscitia fuisse , cum eum in prædictis verbis argumentantem a minori ad majus inducit , hoc modo . Cui pater partem suæ hereditatis reliquit , eidem multo magis filii hereditatem reliquisse censetur . In- fultat igitur Tribonianus ob hoc argumentum , quod potius in contra- rium recte procedit , ut cui quis totum relinquat , ei multo magis par- tem fuerit relicturus , ut autem multo magis , C.de Sacros.Eccles. & C. de Episc.& Cleric. Videlicet hanc difficultatem etiam Accursius , qui benigna interpretatione nixus est argumentum tueri , illudque multo magis in verbis Papiniani interpretatus est , non minus , ex quo argumentum esset a pari . Sed nihil profecit ; nam par non sunt totum , & pars.

Alio ergo nos vertamus oportet pro tuendo Papiniani argumento ; in quo comparatio non fit inter partem , & totum ejusdem hereditatis , quo casu recta esset Fabri reprehensio ; sed inter partem hereditatis mi- nus debitæ , hoc est , testantis , cuius hereditas debita non est uxori suæ seu matri pupilli ; & inter totam hereditatem magis debitam , hoc est , pupilli , cuius successio matri debetur . Et in his recte argumentum du- citur a minori ad majus; etenim cui pater reliquit partem hereditatis suæ non debitæ , multo magis totam hereditatem filii debitam , eidem reli- quisse censendus est . Quippe in priori casu est virtus liberalitatis , in po- steriori est virtus iustitiae ; & qui est liberalis , multo magis est justus , cum minus promte demus id , ad quod nullo Jure adstringimur , quam quod Jure debemus . Posset etiam non male dici , utrumque actum ad solam liberalitatem referri , ut vis argumenti Papiniani ea sit . Cui quis est liberalis de suo , eidem multo magis est censendus liberalis de alieno .

Renicitur paulo ante dictis Fachinæus 4. contr.24. putatque Papi- nianum in d.l.ult. non ea solum ratione vocasse matrem , quod filii cohe-

res sit, sed etiam altera, quia a luctuosa filii hereditate excludi non debet. Unde infert, quod etsi in nostra specie prior ratio cesseret, quia tamen viget posterior, propterea mater, quae in medio est, semper substitutum excludat.

Sed mirum est, non vidisse Fachinæum, quod apertissimum est; totam Papiniani rationem unicam esse, & totam niti in eo, quod mater coheres data filio fuerit; inde enim argumentum a minori ad majus Papinianus deducit. Palam enim est, nullum argumentum duci a luctuosa hereditate, sed obiter ita eam a Jurisconsulto appellari ex eo, quod ob filii immaturam mortem matri acquiratur.

Quod si mater non coheres, sed legataria a defuncto relieta sit, verius est, matrem ad filii pupilli hereditatem non censeri vocatam; quamvis enim non sola institutio, sed etiam legatum ex dilectione fiat, Glossa in *l. qui filiab. ff. de leg. i.* tamen ad colligendam voluntatem testantis excludendi substitutum, non est satis quæcunque dilectio, sed ea exigitur, quae matrem ad hereditatem vocet, ut ea quæ vocata est ad partem hereditatis defuncti, ex testamento, censeatur prælata in tota filii hereditate, ab intestato, ut recte idem Faber in *conjecturis loc. cit.* docet.

C O R O B L A R I A .

EX haec tenus disputatis plura colliguntur. Primo, filio herede non existente, debere substitutum pupillarem vi tacite vulgaris admitti ad testatoris hereditatem, exclusa ejus matre, quæ in medio sit, quoties nihil proponitur, ex quo contraria testatoris voluntas appareat.

II. Intelligitur quæ sit vera ratio textus in *l. Lucius, ff. de vulg.* ubi substitutio mutua liberis facta impuberibus, & sub patris potestate existentibus, non solam vulgarem comprehendit, sed etiam pupillarem; prorsus ut altero defuncto intra impubertatem, ejus successio non ad matrem, sed substitutum devolvatur. Non enim verum est, quod Baldinus, & alii putabant, rationem pendere ex eo, quod in reciproca substitutione duplex substitutio, utraque expressa intelligatur, vulgaris, & pupillaris; nam reciproca natura est, ut non sit, nisi vulgaris expressa. Et argumento esse potest, quod ea vulgo a quocunque testatore, quibuscumque heredibus fieri potest, sicuti est de vulgari; nam vulgaris substitutio dicuntur, quia cuivis fieri potest, cum extraneo, tum filio, Theophilus *de pupill. in princ.*

Præterea in ea formula, *Eosque invicem substituo*, nihil habetur, unde dici possit, pupillarem exprimi; neque enim adverbium, *invicem*, quidquam ad hanc rem facit. At habetur, unde vulgaris expressa videatur, quia substituendi verbum, nullo alio adjecto, de ea substitutione intelligitur, quæ communiter sit, id est de vulgari. Ita post

Bat-

Bartolum Viglius *Institutionibus de pupillari*, in princ. num. 17. & 18.

In reciproca ergo inest pupillaris tantummodo tacita. Et nihilominus in specie *d.l. Lucius*, mater in medio existens excluditur a substituto per eam tacitam pupillarem. Ratio itaque est, quia nihil proponebatur, unde contraria voluntas patris substituentis colligi posset; non enim sola matris existentia tacitam pupillarem cessare facit.

Alio tamen confudit Bartolus in *d.l. Lucius* num. 1. nempe substitutum esse ex liberis testatoris, quem verisimile est ex voluntate patris praferendum matri, ut etiam tradidit Acc. in *d.l. precibus*.

Quam divinationem Faber *d. err. 5. num. 12.* ex eo rejicit, quia cum de pupillari substitutione disputatur, non tam substituti, quisquis ille sit, quam impuberis, cui substitutio fit, favor inspicitur, cuius solius gratia constitutio D. Marci de casu vulgari ad pupillarem porrigen-do lata fuit. Quare improbabilis ratio est, dicere ideo in reciproca inesse tacite pupillarem, quia substitutus est ex liberis testatoris: quod est *αναλόγον*.

An substitutio vulgaris tollat existentiam sui
heredis, & eum ex necessario
faciat voluntarium.

Ad L. si filius 12.

Q u e s t i o n e V.

SI pater suo heredi instituto, hoc est, filio, quem in potestate habet; vulgarem dederit substitutum, sive in genere, si heres non erit, sive in specie expresso casu tam voluntatis, quam impotentiae, si heres esse noluerit, vel non potuerit, docet Bartolus hac ipsa vulgaris substituti datione, tolli existentiam sui heredis, & filium, cui substitutus datus fuit, hoc ipso fieri ex necessario voluntarium. Quare amplius beneficio Praetoris non indigere ait; nam voluntario heredi non permittitur abstinerre se hereditate, *l. jam dubitari, in fine, ff. de heredib. instit.* præterea statim ac nolit, heres esse, admitti vulgarem substitutum. Hanc opinionem docuit Bartolus in *l. i. effeta 5. ff. de vulg. eamque DD. passim*. sequuntur.

Et primo, quod vulgaris substitutio in filio necessitatem tollat; probatur ex Ulpiano in *l. i. §. si proponatur, ff. si quis omissa causa testamenti*, eius species est. Pater a filiofamilias, quem heredem instituerat, multa legavit; tum vulgariter substituit eundem filium sibi ipsi, ita, si filius heres esse noluerit, idem heres esto. Post mortem patris,

visum est filio, ne legata ex judicio defuncti præstaret, omittere hereditatem ex causa institutionis, eamque sine ullo onere adire ex substitutione; quippe olim onera non intelligebantur repetita a substituto, nisi testator expressisset; *I. sub conditione, ff. de hered. instituendis;* hodie vero e contrario repetita censentur, nisi alia sit defuncti voluntas, *I. xx. §. pro secundo, cum seq. C. de caduc. toll.* Cum ergo queretur, an filius succedendo ex substitutione, incidat in edictum Prætoris, quasi in fraudem legatariorum institutionis causam prætermittens; respondet Ulrianus, in haec verba: *Et non puto incidere, quasi testator hanc ei dederit facultatem, qui eum substituit.* Ex quibus apparet, per eam vulgaris substitutionem, intelligi filio datam a patre potestatem, ut heres sit, si velit, aliter bis heres esset. Ceterum parum interest, an heres institutus ipse sibi substitutus sit, an alium substitutum acceperit; semper enim eandem vim vulgaris substitutio habebit.

II. Quod Jus sui heredis etiam ex substitutione vulgari tollatur, ostenditur ex Africani responso in *I. si filius heres 16. ff. de liber. & posth.* ubi si filius heres a patre institutus sit, omisso posthumo, eidemque filio substitutus nepos ex eo sit, & interim moriatur filius, posthumo nondum nato; Africanus ait, *nepotem tam patri, quam avo suum heredem futurum.*

Hinc fortissimum pro Bartolo argumentum elici videtur; nam non aliter nepos est suus heres avo, quam si pater ejus desierit suus heres esse, *§. sed ut nepos, Institutionib. de hered. qualitate;* & cum pater in specie Africani non desierit suus heres esse per mortem, quam obis. set vivo patre suo (proponitur enim mortuus post testatorem, interim, hoc est, posthumo nondum nato). inde est, ut talis effectus sit datione vulgaris substituti, ex qua resolutum sit Jus sui heredis.

Alii tamen distinguendum putant, ut facta vulgari substitutione, filius remaneat suus heres, at non item necessarius. Ita Accursius in *I. Papinianus, §. quarta, v. ad substitutum, ff. de inoff. testim. & post Bald.* & Angel. Corasius *i. miscell. 2.* Sunt enim haec duo distincta, & longe inter se diversa; quippe alios habet effectus Jus sui heridis, alios necessarius heres, qui sunt hic explicandi.

Jus sui heridis, licet nonnunquam testatoris favorem respiciat, principaliter tamen in filii gratiam introductum est, & operatur. Nam existentia sui heredis tabulas pupillares confirmat, quamvis filius paternam hereditatem recusat, sive haec tabulae ipsi filio recusanti factæ sint, sive fratri exheredato, *I. si filius, ff. de vulg. I. filius, cum seq. ff. de acq. hered. I. paterfamilias, ff. de reb. auct. Judicis possid.* Ita etiam in causa est, ut universale fideicommissum sublineatur, nec necesse sit, filium, qui patris hereditatem suspectam sibi esse dicat, ad adeundum ex Trebelliano Senatusconsulto cogi, *I. ita tamen, §. si pater, ff. ad Trebell.* Præterea efficit, ut si filius ante aditam hereditatem obeat, tamen ad suos legitimos

mos heredes patris hereditatem transmittat ; *I.apud hostes* ; *C.de suis & legit. l.si fratri* , *C.de Jure delib.* Tandem operatur, ut relictæ libertates competant , *I.sciendum* , *ff. de manum.testam.*

At *Jus necessiariorum heredum* , non propter heredes ipsos introducendum est , sed propter testatores , ut eorum famæ consuleretur , relinquendo heredem , quod maxime eorum interest , *§.si modo* , *Institutionib. quibus ex causis manumittere non licet* .

Cum ergo *Jus sui heredis* precipue filii gratia introductum sit , utique a testatore per dationem vulgaris substituti tolli non potest ; at *Jus necessarii heridis* propter testatorem inductum , ex testatoris quoque arbitrio pendere debet , ut ex necessario herede possit facere voluntarium . Hinc permisum patri est , ut eam institutioni conditionem apponat , quæ filium ex necessario voluntarium faciat heredem . hoc scilicet modo , *Filius meus heres esto* , si volet ; quod si fiat , filius beneficio Prætoris non indiget , *I.hæc verba* , *ff. de conditionib. institutionum* , *I.jam dubitari* , *ad finem* , *ff. de heredibus institut.* Id ipsum est , cum filio testator vulgarem dat substitutum ; nam eo etiam easu in filii arbitrium remissum videtur , ut sit heres , cum vulgari substitutione duplex casus continetur , unus impotentia , alter voluntatis .

Hæc omnia probantur etiam exemplo *Juris Prætorii* . Prætor enim , cum permitat filio , ut se hereditate paterna abstineat , facit quidem filium ex necessario voluntarium heredem , sed *Jus sui heridis* non solvit , *§.sed sui* , *Instit.de hered.qualitate, & differentia* . Ergo multo minus pater *Jus sui heridis* tollere potest , & vulgariter substituendo , faciet solum nodo filium voluntarium heredem ; nam non plus potest pater , quam Prætor , cum potestas Prætoris sit *Juris publici* , patris vero privati .

Neque moventur ex textu in *d.l. f filius heres* , *ff. de liber. & postb.* cum verum non sit in ea specie filium post testatorem obisse , ex quo tota vis argumenti a Bartolo inde deduci , pendebat , qui male interpretatus est ea verba textus , *Si interim moriatur filius* , *postbumo non natu* . Putabat quippe Bartolus , unam modo rem in illis verbis a *Jurisconsulto* proponebat , nempe mortem filii ante posthumam nativitatem , atque ita jungit , quæ in textu aperte separantur . Dicimus nos duo exprimi , hoc est , non solum mortem filii , ante nativitatem posthumam , sed etiam ante obitum patris ; id enim illud , *interim* , significat , ut etiam vides *Accursius* ; quibus positis nepos sit suus heres avo . Redditur hoc manifestum ex *§.sed ut nepos, de heredum qualitate* , ubi , ut nepos , neptisve sui heredes sint , non sufficit eum , eamve in potestate avi mortis tempore suis : sed opus est (verba textus sunt) ut pater ejus vivo patre suo desirat suus heres ijsse , aut morte interceptus , aut qualibet alia ratione libera tus a patris potestate : tunc enim nepos , neptisve in locum patris sui sisceat .

redit. Ex quibus palam est, ut nepos suus heres fiat, non satis esse; ut filius ē medio sublatuſ sit quandocumque, ſed omnino exigi, ut id accidat, vivo patre ſuo; nam verba illa, *Opus eſt*, neceſſitatem denotant, omnemque alium caſum excludunt; ut propterea nullo modo recipi poſſit, quod volebat Bartolus, nepotem fieri ſuum heredem avo etiam, cum filius poſt obitum patris ſui decedit.

Neque hic quidquam pro Bartolo facit ſubſtitutio vulgaris filio ſata; nam etiam dato, eam tollere Jus ſui heredis, illud tamen non tollet, niſi cum teſtamentum vim habere incipit, hoc eſt, mortuo teſtatore, l.i. cum ſeq. ff.de hered.vendita, l.ult. C.de pactis, cura concordantibus. Unde fit, ut ejus ſubſtitutionis vi nullo modo queat nepos ſuus heres avo fieri: quia opus eſt, ut filius ſuo patre vivo deſinat eſſe ſuus heres, non etiam eo mortuo, d.ſ. ſed ut nepos.

Verum Antonio Fabro nulla ex his opinionibus ſatisfacit, ei que hæc non dicitur quæſtio, ſed error. Putat ipſe, filium, cui vulgariter ſubſtitutum eſt, adhuc ſuum, & neceſſarium heredem eſſe; idque non eo ſolum caſu, cum ſubſtitutio in genere concepta eſt, ſi heres non erit; ſed etiam (quod mirabilius videri ait) cum in ſpecie expreſſa eſt, ſi filius meus heres eſſe aut nolet, aut non poterit; & tamen docet, vulgarem ſubſtitutionem ſuo heredi factam valere, & statim atque iſ abſtinet, ſubſtitutum admitti. Ita ipſa dec.32, er.6. cum duob. ſeqq. ubi pro hiſ omnibus, & lege, & ratione pugnat.

I. Hæc omnia manifeſte videntur convinci ex Scævola in *l.ex contractu*, ff.de re judicata, ubi pupilla abſtinentē ſe bonis paternis, ea bona ſtatim ad ſubſtitutum perveſiunt. Ecce, ut filiaſ familias, cui pater in caſum vulgarem ſubſtituerat, opus habet, ut abſtineat; quocirca etiam poſt ſubſtitutionem vulgarem, neceſſaria heres manet: nam ei, qui voluntarius heres eſt, Jus abſtinendi denegatur, ut jam diximus, & ex l. jam dubitari, ad fin. ff. ſi quis omiſſa cauſa teſtamenti, & ex l. hæc verba, ff. de conditionib. institut. Hinc fit, ut multo magis maneat ſuus heres; hoc enim Jus arctius inhæret filio, quam Jus neceſſarii heredis, ut conſtat ex eo, quod Prætor, qui potest Jus neceſſarii heredis tollere, tamen Jus ſui heredis ſolvere non potest, d. ſ. ſed ſui, de hered. qualitate. Itaque facta ſubſtitutione vulgaris, filius adhuc ſuus & neceſſarius heres patri exiſtit; ſed ſi uſus beneficio Prætoris abſtineat, tunc remanente Jure ſui heredis, ſolvitur Jus neceſſarii, & ſubſtitutus ſtatim admittitur. Idipſum eſt, ſi filius non ſubſtitutum, ſed coheredem habeat, & abſtineat, ſtatim portio ejus perinde ad coheredem ſpectat Jure accreſcendi, ac ſi heres ipſo Jure non fuiffet, d. l.ex contractu, l. cum bereditatem, l. pen. cum ſeq. ff. de acq. bereditate.

II. Probat, quia ut filius ex neceſſario fiat voluntarius heres, neceſſe eſt, conditionem ponи in ipſa institutione, ita, Filius meus heres eſto,

si volet, quo casu filius a patre videtur plenam consecutus libertatem, & ex necessario factus voluntarius, ut est species textus in d.l.bac verba, & in d.l.jam dubitari. At non ita res se habet in casu nostro, ubi institutio pure concepta est, & solis verbis imperativis facta; & propterea dici non potest, ut qui filio imperat, ut heres sit, hoc ipso intelligatur facultem filio dedisse mittendae hereditatis. Et quamvis deinde in formula vulgaris substitutionis dicat, si heres esse volet, hoc non videtur pater ponere, ut se corrigat, aut sibi contradicat, & eum, quem in institutione necessarium heredem facit, deinde in substitutione faciat voluntarium; sed solum videtur apponere pater, ut adversum filium sibi prospiciat, si forte ille usus beneficio Praetoris, bonis abstineat; eo enim casu pater, ne sua bona sub hasta suo nomine venderentur, sibi cavit dando substitutum in casum vulgarem. Itaque sensus est, Jubeo meum filium esse mihi heredem suum, & necessarium: at si filius ob dictum Praetoris, quamvis contra voluntatem meam, ex necessario fiat voluntarius heres, & abstineat, tum ei vulgarem substitutum tribuo. Et e modo pater non se corrigit, nec sibi contradicit.

Urgebis tamen; si existentia sui heredis per vulgaris substituti distinctionem non tolleretur, consequens fieret, ut filio adhuc existente herede, substitutus admitteretur. Quod est maximum absurdum; constat enim, filium, etiam ubi abstinuit, remanere suum heredem patri: constat rursus, substitutum vulgarem non admitti, nisi institutus deficiat, & heres non sit. Qui ergo fieri, ut filio remanente herede, substitutus tamen admittatur? Essent enim uni homini duo exesse heredes, quod fieri non potest, l.quod contra, §.uni duo, ff.de reg.Juris..

Putat Faber responderi posse, quod licet ratio Juris velit, ut filio abstinenti, substitutus non admittatur, quia filius adhuc heres est: & nulla lex facere potest, ut uni homini duo sint exesse heredes, l. quod contra, §.uni duo, ff.de reg.Juris; tamen hic non ratio Juris, sed voluntas patris attendenda est, & videri debet, quid cogitaverit testator, cum filio eam conditionem apposuit, Si heres non erit; siquidem certum est, in conditionibus omnibus interpretandis, voluntatem testatoris primum locum obtinere, eamque solam esse, que regit, ampliat, moderatur conditions, l.in conditionibus, ff.de condit. & demonstr. l. heredes mei, §.cum ita, ff.ad Trebell. Jam (inquit Faber) ea voluntas testatoris in conditione illa, Si heres non erit, esse videtur, si filius non habeat effectum heredis; quia enim heredi illud cohaeret, ut habeat bona testatoris, propterea quoties filius abstinet, licet heres maneat, tamen effectus heredis non habet. Quocirca isto casu patet vocat substitutum.

Advertit præterea Faber, substitutum isto casu rigorose non esse heredem, cum filius solus heres sit, etiam post abstentionem; sed esse veluti quendam bonorum possessorem ex Jure Praetorio, a quo utilè tantum actiones habeat; sicut enim Praetor suum heredem abstinentem

non

nō habet pro herede, nec ulla ei, vel in eum dat actiones, ita cogitur eas actiones dare substituto, & in substitutum. Unde in illis verbis a patre prolatis in substituendo, nempe, Caius heres esto, in his, inquam, verbis illud nomen, *heres*, non stat rigorose pro herede, sed pro bonorum possessore.

Tuetur hanc suam interpretationem Faber exemplo coheredis filio dati; nam si filius abstinet, certum est ad portionem ejus venire coherdem, Jure accrescendi, perinde ac si filius ipso Jure heres non esset, d.l.ex contractu.

Hæc est opinio Fabri, magnis, ut appareat, involuta difficultatibus, quas ipse miris modis conatur eludere; quare mihi omnium re-*Etistūma*, hac quidem in re, videtur sententia Thcophili, qui cum antiquos omnes Jurisconsultos versaverit, & ex eorum scriptis Pandectas compilaverit, facile potuit mentem ipsorum Jurisconsultorum in præsentī difficultate melius nosse, quam Faber, cui hæc præsidia defuerunt. Theophilus ergo in *Institutionib. de pupillari*, in princ. loquens de vulgari substitutione, in genere facta, scilicet si heres non erit, docet, eam, si facta sit filio in potestate, uno dumtaxat casu locum habere, videlicet si filiusfamilias ante patrem destantem decebat, hoc est, si heres esse non potest, itaut si pater ante filium decebat, substitutioni non sit locus; cujus rei eam reddit rationem, quia filiusfamilias statim patri heres existit, neque se abstinendo nomen heredis deponit; nam heredis nomen semel alicui partum ad alium non transfertur.

Nihil vero Theophilus meminit de substitutione vulgari in specie facta expresso casu tam voluntatis, quam impotentiae, cum solum de vulgari in genere loquutus sit; nobis tamen eo casu videtur, patrem non tam ipsum resolvisse Jus sui heredis, quam in arbitrium filii reliquisse, utrum id solvere velit. Quæ omnia, ut clare pateant, duas statuimus propositiones.

Propositio I. Facta substitutione vulgari in genere, filiusfamilias remanet suus & necessarius heres, & quamvis deinde abstinendo, fiat beneficio Prætoris voluntarius, quia tamen adhuc suus heres remanet, propterea vulgaris substitutus non admittitur, sed bona patris venient sub hasta; prorsus ut substitutio vulgaris in genere facta comprehendat eum solum casum, quo filius heres esse non potuerit, veluti si vivo patre mortuus sit, vel per captivitatem, deportationem, servitutem pœnæ, aut alio modo sit c medio sublatuſ.

Probatur id I. Ratione, quia testator in dubio idem velle videtur, quod lex, & nihil ab ejus dispositione discedere; nam si in dubio quis censetur se accommodare moribus loci, l. *quod si nolit*, §. *quia assidua*, ff. *de ædil. editio*, l. *semper in stipulationibus*, ff. *de reg. Juris*; ergo multo magis, cum non appareat quid actum sit, dicendus quis est, id esse sequutus quod lex scripta statuit. Jam certum est ex Juris dispositione eo

eo tantum casu filium non esse heredem patri, ubi ante patrem obit, vel
alio modo est de medio sublatus, d. s. sed ut nepos, de heredem qualitate.
Hinc sit, ut pater censendus sit eo tantum casu substituisse.

Neque enim verum est, quod vulgo velle videntur, in substitutione vulgaris, cum in genere facta est, necessario, & semper comprehendi tam casum impotentiae, quam voluntatis, quod certe nullo Jure probatur. Nos id verum esse concedimus, cum uterque casus locum habere potest, ut in l. si paterfamilias, ff. de heredib. instit. & in §. xlt. Institut. de vulg. substitutione; at si alter ob aliquam Juris rationem iuuisse nequeat, utique non recte faciet, qui inesse dicet; nam quae tacite insunt, cessant inesse, cum legis ratio ipsis repugnat. Exemplum esto in substitutione reciproca, quae tacitam pupillarem non comprehendit, cum alter tantum filiorum est impubes, l. jas. hoc Jure, ff. de vulg.

II. Non leve argumentum est, quod deducitur ex l. paterfamilias; ff. de priv. creditorum, ubi cum filius impubes a paterna hereditate se abstinueret, habetur substitutum pupillare non admitti ex tacita vulgaris, sed bona vendi debere; nempe, quia substitutio vulgaris tacita, in genere concepta intelligitur, & propterea in filio suo herede non comprehendit, nisi casum impotentiae. Scio Fabrum esse negaturum, in pupillari unquam inesse vulgarem; verum de hac quæstione jam late supra egimus, ubi etiam de hoc eodem textu loquuti sumus.

At quæres, cur ergo aliquando legimus, filio abstinentem, substitutum fuisse admissum? Pro resolutione hujus difficultatis, sit.

Propositio II. Si vulgaris substitutio facta sit in specie, expresso casu non solum impotentiae, sed etiam voluntatis, filius fit voluntarius heres, & tollitur præterea Jus sui heredis, & si deinde non adeat, admittitur substitutus.

Nam quod pater possit filium ex necessario herede efficere voluntarium, dubitari non potest, d. l. bac verba, d. l. jam dubitari; & quamvis in his legibus sermo sit, ubi conditio voluntatis apposita est in ipsa institutione; tamen id ipsum esse putamus, cum apposita est in substitutione, licet aliud sentiat Faber. Quod probamus ex eo, quia ista conditio, Heres esto, si volet, & ista alia, Heres esto, & si heres esse nolit, in hoc differunt, quod prior est suspensiva, posterior resolutiva, cum illa sit in eadem oratione cum institutione, hæc in diversa, l. quoties 2. ff. de in diem addicione. Quod autem sub conditione resolutiva concipiatur, purum quidem est; at si conditio affirmativa existat, vel negativa non existat, tunc ita resolvitur actus, ac si nunquam factus fuisse, d. l. quoties, juncta l. ita quod dictum, ff. cit. tit. Quocirca inquantum ad effectum, & finem, comparantur ambæ hæ conditiones; hoc est, cum pater dicit, Heres esto, si volet, filius mortuo patre heres non est, cum in suspento aditio sit: & cum dicit, Heres esto, quod si heres esse nolit, est quidem filius scilicet heres, sed si deinde nolit, ita resolvitur Jus heredis

redis, ac si nunquam extitisset; ut si dicam, vendo tibi equum; at si melior conditio afferatur, inemtus esto, tunc emtore existente, qui meliorem conditionem afferat; venditio prior perinde resolvitur, ac si nunquam facta fuisse; prorsus ut prior emtor rem restituat una cum fructibus, d.l. ita quod dictum. Unde fit, ut sicut conditio suspensiva, quæ heredem non facit, sita conditio resolutiva, quæ tollit heredem, habeant eandem vim, nempe ut filius voluntarius heres factus censeatur.

At quod per eam conditionem, si heres esse nolit, tollatur etiam Jus sui heredis, manifesta Juris ratione demonstratur; quia nimur si sius/heres filius remaneret, cum eo renunciante admittitur substitutus, jam duo essent uni homini exesse heredes, quod fieri non potest, l.quod contra, §.uni duo, ff. de reg. Juris. Quam difficultatem frustra eludere conatus est Faber, dicendo, substitutum eo casu haberri, tanquam bonorum possessorem; nam unde eruit Faber hanc bonorum possessionem nunquam antiquis Juris consultis auditam? quippe omnes bonorum possessiones accurate enumerat Justinianus in §.sunt autem bonorum, de bonorum possessionibus, inter quas utique non comparat ea, quam hic Faber dat extraneo, dat substituto; quocirca ut commentitia omnino rejicienda est. Omnes certe tricas, in quas se Faber induit, uno verbo evitabit, qui dicet, tolli Jus sui heredis, quoties vulgaris substitutio expresse filio facta est in casum voluntatis.

Duo tamen sunt, quæ diluere opus est. I. Est exemplum coheredis; nam si filio coheres datus sit, sed non sit datus substitutus, tunc quamvis filius abstinenſ remaneat suus heres, tamen portio ejus ad coheredem spectat Jure accrescendi. Verum facile appetat, exemplum istud longe a nostro casu distare; nam substitutio facit novum heredem, qui tamen esse non potest, ubi primus heres existit: at Jus accrescendi novum heredem non facit, cum sit inventum in favorem coheridis; ideo scilicet, quia onera portionis, a qua suus heres abstinuit, ad coheredem necessario devolvuntur; propterea necesse est, ut commodum ejus portionis ad eundem coheredem pertineat, ne commodo careat, qui sentit incommodum, l.cum hereditate, l.pen. & seq. ff.de acq.heredit.

II. Est textus in d.lex contraftu, ff.de re iudic. ubi filia, cui substitutus datus fuit, prius abstinuit, & deinde substitutus fuit admissus; sed dicimus non ideo ex eo textu elici cum Fabro posse, filium post factam substitutionem vulgarem, etiam expressam in casu voluntatis, remanere suum heredem; quippe in eo textu ideo filia opus habuit, ut abstineret bonis paternis, quia jam hereditatem adierat, auctore tute, seu gesserat se pro herede, & ex contractu paterno actum cum ea fuerat; quocirca, ut contra proprium factum veniret, necesse fuit, ut substitutionem in integrum peteret (petere enim poterat, quia erat pupilla); ex quo hereditas pro non adeta habita est, l.e. §.sunt, §.scd quod; ff. de minor. l.i. C.si minor ab hereditate: & hoc est, quod textus ait, Tatores ab finierunt

stinuerunt eam. Ubi notandum cum Accursio , quod licet substitutio vulgaris adita hereditate evanescat , *I. post aditam* , *C. de impuberis* , & aliis ; tamen si heres restituatur adversus aditionem , substitutio reviscitur . Vide Cujac. in *I. ait Praetor* , §. *Papinianus* , ff. *de minoribus*.

Ex his colligitur , substitutum non admitti , si vulgaris expresse concepta sit in solum casum impotentia , & accidat filium abstinere ; quippe eo casu non tollitur Jus sui heredis , ut etiam docuit Bartolus in *J. Gallus* , §. & quid si tantum , ff. *de lib. & postb.* & in *I. cum proponas* , *C. de hered. instit.* Quamvis enim vulgo DD. velint , unum casum contineare etiam alterum , id tamen intelligendum est , si id , quod tacetur , non sit contra legis rationem , quæ ratio ut ceteret , exigitur expressa voluntas disponentis , nec satis est tacita ; nam in dubio quisque se legi , consuetudini , imo moribus accommodare censetur , tantum abest , ut illi repugnasse presumatur , sicuti supra dictum est.

An transmissarius Justinianus substitutum vulgarem excludat.

Q U A S T I O VI.

VARII in Jure nostro transmissarii sunt , nec tamen in omnibus praesens quæstio locum habet. Unus dicitur transmissarius suus , seu potius sui heredis ; quoties enim liberi primi gradus a patre , sub cuius potestate reperiuntur , sunt in testamento instituti heredes , & post mortem patris obcent , paternam hereditatem transmittunt ad heredes quos- cunque etiam extraneos , nedum ad descendentes , *I. Lucius* , ff. *de Jure fisci* , *I. apud hostes* , *C. de suis & legit.* Hi ergo dicuntur transmissarii sui , seu potius sui heredis , & ipsi admittuntur excluso coherede filii defuncti , excluso etiam substituto , aut fisco ; quandoquidem filius in potestate statim a morte patris intelligitur heres , dummodo non repudiet , ut supra dictum est.

Alter est transmissarius Theodosianus introductus ex *I. un. C. de bis* , qui ante apertas tabulas , ubi Imperator Theodosius cum Valentianino extendit id ipsum , quod modo dictum est de suis heredibus , statuit , inquam , de liberis omnibus ad tertium usque gradum , hoc est filiis , ne- potibus , & pronepotibus , sive masculis , sive foeminis ; ut scilicet here- ditatem etiam non aditam transmittant , sive a patre , sive a matre , si- ve ab avo , sive a proavo paterno , vel materno instituti sint heredes , sine ulla distinctione suorum heredum , & emancipatorum ; prorsus ut ex ea constitutione filii in potestate , & emancipati , hodie videantur fa- cti ejusdem conditionis , non quidem simpliciter , & in omnibus , sed in quantum ad effectum ejus hereditatis transmittendæ . Ceterum isti

G g 2 trans-

transmittunt non in omnes indistincte, sed in liberos tantum suos, cujuscunque sive sexus, aut gradus, sive in potestate, sive non, ut in d.l.un. habetur.

Hi transmissarii Theodosiani etiam excludunt substitutum, ut post Bart. in l.i. ff. de vulg. col. 6. communiter docent DD. contra Angelum, & Ripam; ea nimur ratione, quia in ipsos transmittitur hereditas non tanquam acquirenda, sed tanquam acquisita; cum hi, qui instituti fuere, habeantur tanquam sui heredes, ut diximus, & patet ex eo, quod ipsis in d.l.un. datur recusatio, quæ non solet dari, nisi suis heredibus. Late Faber dec. 34. er. 4.

Postremus est transmissarius Justinianus introductus ex nova constitutione Imperatoris nostri in l.cum in antiquioribus, C.de Jure delib. ubi statutum est, quemlibet heredem habere tempus annum ad hereditatem adeundam: & si intra eum annum heres decesserit, nec adita, nec repudiata hereditate, Jus istud adeundi, vel repudiandi transmitti ad ejus heredes quoscunque, qui intra reliquum tempus, quod ad eum annum complendum desideratur, habeant potestatem adcundi, vel repudiandi, non quidem Jure suo, sed tanquam representantes defunctum. Hoc præterea Jus non solum ad primum heredem transmittitur, sed eo mortuo ad secundum, tum ad tertium, & alios, modo tempus anni duret, ut magis communiter receptum est apud Gomel. i. var. 9. num. 53. & seq.

Quinimmo, si annum tempus transactum sit, & heres ex justa causa ignoraverit sibi delatam esse hereditatem, sive ex testamento, sive ab intestato, potest impetrari restitutio in integrum, quam Prætor concedere solet etiam majoribus 25. annis, ex clausula illa generali, *Si qua mihi justa causa videbitur*. Et manifestum est ex ipsa l.cum in antiquioribus, ubi annus deliberandi currit adversus eum, qui scit sibi delatam hereditatem, ut ibi: *Is, qui sciens hereditatem, &c.* & in illis aliis verbis: *Ei cognitum sit, heredem eum vocatum fuisse*. Quod idem Gomelius recte loc. cit. notat. Est ergo tempus utile, quod ad initium attinet: deinde evadit continuum, Glos. ibid.

Hoc Jus deliberandi a Justiniano introductum in quibusdam cum antiqua cretione convenit, sicut in aliis differentiat. Heres instituebatur vel sine cretione, vel cum cretione, Ulpianus in fragm. tit. 22.

Heres sine cretione institutus, nullum habebat præfinitum tempus, intra quod de hereditate adeunda, vel repudianda cogeretur delibetare. Verum statim ac constabat nolle se heredem esse, excludebatur ab hereditate, quam amplius adire non poterat, Ulp. loc. cit. §. sine cretione. Cetero nullum habuisti præfinitum tempus, intelligo a lege, vel a testatore; nam substituto vulgari petente, poterat a Prætore institutus cogi, ut intra unam diem deliberaret, l. quandiu institutus, ff. de acq. & c. 8. Ita quæ lex de herede sine cretione intelligenda est, Apud Cie. 13. ad A. 1.

ep.46. legitur, *Cretio libera*: eam putat Cujac. 9. obf.29. quæ ita scribitur, *Cernito cum volueris*, non adscripto certo tempore. Contradicit tamen Bosius.

Non ita est in herede instituto cum cretione, cui a testatore certorum dierum spatium ad deliberandum præfiniebat, his verbis: *Titius heres esto, cernito, cernitoque in diebus centum proximis, quibus scieris, poterisque: nisi ita creveris, exberes esto.* Heres vero cernebat, in hæc verba: *Cum me Mævius heredem instituerit, eam hereditatem adeo, cernoque.*

Ex quibus discrimina inter Jus deliberandi, & cretionem appetet. Nam I. Jus deliberandi est heredibus omnibus extraneis commune. Cretio non habebat locum, nisi cum testator jussisset. II. Cretionis dies vari extant ex arbitrio testantium. Centum sunt in l.3. §.et si heres, ff. de minor. in l.1. Titio, §.quædam, ff. quando dies legatorum. Sexaginta apud Cic. 13, ad Atticum ep.46. ut habent vulgati libri, quos tamen emendat Cujac. 9. obf.29. In l. Sejus, & Angerius, ff. ad l. Falcid. Cretio fieri jubetur intra dies 30. Hinc in l.2. §.ult. ff. de suis, & legit. dicitur: *Centum diebus verbi gratia.* Jus deliberandi certo anni unius spatio concluditur ex lege. III. Cretio ex formula fiebat, quæ solemnitas in deliberatione Justinianea necessaria non est.

Est quoque & illud discriminem, quod si quis intra annum deliberandi repudiat, pœnitentia locus non est, excepto filio, l. ult. C. de repudianda hereditate, Cujacius 22. obser. 27. Secus tamen in cretione erat, Ulp. loc. cit. §.cum cretione: *Etsi constituerit nolle se heredem esse, tamen si super sint dies cretionis, pœnitentia astus, cernendo heres fieri potest.* Unde intelligitur textus in l.2. §.ult. ff. de suis, & legit. ubi heres institutus cum cretione ex gr. centum dierum, si ante eos lapsos repudiet, non admittitur, qui erat proximus agnatus tempore repudiationis, sed est proximus tempore cretionis finitæ. Ratio est, quia proximus est, qui tunc fuit, cum defunctum intestatum decepsisse certum est, ut ibidem §.proximum. Nec est certum, quem decepsisse intestatum, nisi lapsis cretionis diebus, quia his adhuc durantibus, heredi, qui repudiavit, pœnitere licet. Ita Edmundus Merillus 2. obf. 1. quem vide.

Sunt discrimina alia, nam annus deliberandi utilis est. Cretio vero utilis erat, seu, ut tum dicebatur, vulgaris, cum testator addebat: *Quibus scieris, poterisque.* His vero non adjectis, intelligebatur continua, Ulpian. §. *Cretio autem cum seq.*

Demum cernendi tempus in heredem instituti non transibat, cui præferebatur substitutus, ut docet Paulus in l. si quis heres 71. ff. de acqz. & litigate, ubi herede non audeunte intra certum tempus illi a testatore substitutus, & decedente, substitutus statim admittitur; non expeditio ultimo d.e aditionis. Extant tamen ejus rei vestigia in Jure nostro, vel Triboniano invito, ut præter l. cit. videre est in l. pen. §. 1. ff. de juris, & fa-

& factis sign. ibi : *Dies ei aditionis non cedit , & in l.Pannionius , ff. de acq. hered. cum aliis , de quibus Chavarri par.z. didascalie cap. i. num.3.*

Conveniunt vero in hoc , quod transente cretionis die , & herede non cernente, is amittet hereditatem, ut ea verba formulæ docent, *Nisi ita creverit , exheres esto ; nam exhereditatio in extraneo herede scripto valet , l.paterfamilias , ff.de hered. inst. l.Scjum , ff.ad l.Falcid. l.uxorem , §.heres , ff.de leg.3.* Ita transacto anno Juris deliberandi, heres, qui filii, hereditate excidit.

Sublata est Cretio a Constantino in maternis successionibus *l.i. C. Th. de maternis bonis*: ab Theodosio penitus , *l.cretionum , C. de Jure delib. l.i. C. Thed. de cretione*, ubi ait Cretionum scrupulosam solemnitatem amputare..

Ex quibus verbis non videtur tam sublata cretio , quam ejus solemnitates scrupulosæ, quæ erant in digitorum percussione, in antestatione aurium attractatione , aliisque symbolis , de quibus Cujac.7. obs.18. & lib. 28. qq. Pap. in l.77. ff.de reg.Juris. Quare & hodie poterit testator certos dies ad adeundum hereditatem statuere , idest cretionem jubere , d.l.si quis heres 7.1.

Jam igitur quæstio est , herede intra annum deliberandi decedente, relisto vulgari substituto , & transmissario uter ipsorum ad hereditatem prioris defuncti vocetur ? Et fere post Bartolum communis opinio est , transmissarium admitti , excluso vulgari substituto , DD. apud Tencinquiun in hoc tract. q.8. & tuetur etiam Fachin.4. contr.62.

Et moventur ex pluribus I. Quoniam verba illa , si heres non erit , per quæ concipi vulgaris substitutionis solet , hunc sensum habent , si neque ipse heres erit , neque mutata conditione alium heredem fecerit , §.ult. *Instiut. de vulg. l.si paterfamilias , ff.de hered. instit.* Sed quando heres institutus intra annum deliberandi decedit , facit alium heredem , transmittendo in eum Jus deliberandi , d.l.cum in antiquioribus , quippe per eam transmissionem fit , ut heres ipsius sit heres testatoris . Ergo deficit conditio vulgaris substitutionis propter transmissionem , unde ipse transmissarius erit admittendus , excluso substituto .

II. Moventur argumento ducto ex *l.quod si minor , §.Scævola , ff.de minorib.* ubi si quis juvenili levitate ductus omiserit , vel repudiaverit hereditatem , vel bonorum possessionem , restitutio in integrum non modo conceditur ipsi minori , sed etiam heredi minoris impartiri potest , siquidem omnia integra sint , idest hereditate a substituto nondum adita . Ergo si heredi conceditur restitutio contra substitutum , multo magis concedi debet Jus deliberandi contra eundem ; quandoquidem promtius , & liberalius tribuitur auxilium legis ordinariū , ut est Jus deliberandi , quam auxilium Prætoris extraordinarium , sicut est in integrum restitutio.

III. Ex *l.si fratris , C. de Jure delib.* Quidam in testamento filium sui

sui Juris , & Cajum heredes scripferat ; filius autem intra paucos dies a morte patris concessit in fatum , non adita , nec repudiata hereditate , relieto fratre legitimo herede , & Cajo coherede ; quæsum est , uter ex ipsis debeat admitti ; Imperator respondit , fratrem excludere coheredem ; non alia certe ratione , nisi quia ad fratrem Jus deliberandi transmissum est . Unde fit , ut transmissarius excludat coheredem . Ergo debet pariter excludere substitutum vulgaris ; quia coheredes habentur tanquam a testatore invicem vulgariter substituti , *I. si Titio , & Marvio , §. 1. ff. de leg. 2. I. non justum , C. ad S.C.Trebell.*

IV. Ex *I.un. §.cum autem* , juncto *§. in novissimo , C. de caduc. toll.* quippe Justinianus expresse videtur statuere , tunc vulgaris substitutum admitti posse , cum transmissarius non adest , vel ex lege Theodosii in *C. de iis , qui ante apertas tab.* vel ex sua constitutione in *d.l.cum in antiquioribus*. Quod argumentum præ ceteris fortissimum visum est Fachinco .

V. Quia tunc vulgaris substitutus ad hereditatem vocatur , cum heres institutus vel noluit , vel non potest hereditatem adire , cum vulgaris duos casus comprehendat , voluntatis , & impotentiarum . Sed quando heres institutus decessit intra tempus deliberandi , nec dicitur noluisse , quia silendo voluntatem suam non propalavit : nec dicitur non potuisse , quia ille non posse dicitur , qui vivo testatore obit . Ergo nulla est ratio , cur substitutus debeat admitti .

In contrariam tamen alii ivere sententiam , nempe substitutum vulgaris admitti , excluso transmissario Justinianeo . Ita Angel. in *I.i. ff. de vulg. Ripa , & Salyc.* in *d.l.cum in antiquioribus* , Politus , & Zasius in *tract. de vulg. quos sequutus est Anton. Faber de error. pragm. dec. 24. er. 5. Quæ sententia verior est .*

Probatur I. Quia transmissarius Theodosianus ideo vulgaris substitutum excludit , quia est hereditatis transmissarius ; fingitur enim adiuta hereditas a defuncto , vel potius acquisita , tanquam si suus heres fuisset : quippe quod olim solum erat de heredibus suis , id Theodosius extendit ad liberos quoscunque ad tertium usque gradum , ut supra notavimus ex *I.un. C. de his , qui ante apertas tab.* Quare cum ab herede instituto acquisita jam singatur hereditas , merito substitutus vulgaris a transmissario excluditur . At non eadem ratio est in transmissario Justinianeo , qui non est transmissarius hereditatis , sed Juris deliberandi tantum , ut constat ex *d.l.cum in antiquioribus* , ubi non fecit Justinianus , ut extraneus quisque heres , si intra annum silendo decesserit , videatur jam ab ipso quæsita hereditas , sed fecit tantum , ut Jus deliberandi , quod habuit , transmittat ad heredem . Ergo , cum extraneus heres silendo decessit , jam non est heres ; quocirca , tanquam existente conditione substitutionis vulgaris , debet ipse substitutus admitti .

II. Quia si transmissarius Juris deliberandi præferretur substituto ,

fa-

fateri esset necesse , substitutum sub ea conditione , *Si Ti. ins heres non erit* , intelligi substitutum sub duplice conditione , in hunc modum ; *Si neque Titius , neque heres Titii mibi heres erit* . Quid quidem absurdum est , *per* conditions ; utpote odiose , non sunt extrinsecus aut supplendae , aut multiplicande , quia substitutionem , cui apponuntur , & destruant , si existant , & prius etiam quam existant , suspendunt , ut recte Faber ait loc.cit. num.3.

III. Probatur ex d.l.s*i quis heres* ?

Hæc conclusio clarius ex resolutione eorum , quæ Adversarii secum facere putant , patebit .

Itaque I. quod proferunt ex *l.s i paterfamilias, ff.de hered. instituend.* nostram aperte probat sententiam , tantum abest , ut eam infirmet ; quandoquidem ibi statutum est , vulgarem substitutum admitti debere , quoties institutus heres neque ipse heres erit , neque mutata conditione alium heredem fecerit , ut etiam habetur in §.ult. *Institut. de vulg.* Sed quando institutus intra annum Juris deliberandi decepit , nec ipse se fecit heredem , neque mutata conditione alium heredem fecit . Quorum utrumque facile patet ; nam non ipse se facit heredem , quia filuit : unde intra tempus anni non est heres ; nam si esset , transmitteret hereditatem , contra apertam Justiniani constitutionem ; qui cum transmittere tantum Jus deliberandi disposuit . Præterea , neque mutata conditione alium heredem fecit ; nam qui mortuus est nullam conditionem habet ; quippe mutare conditionem is tantum dicitur , qui aliquando aliquam habuit , nunc aliam habet , veluti si ex homine libero fiat servus , vel ex servo liber , ut clare habetur in *ead. l.s i paterfamilias* , & in *d.s.zlt.* quod quidem non convenit ei , qui per mortem nullus esse cœpit . Addas etiam , non sufficere , mutatam esse conditionem , sed illud etiam requiri , ut mutata conditione , alium faciat heredem ; quod in specie nostra non accidit ; nam qui transmittit Jus deliberandi non facit heredem , ut ex dictis constat . Itaque si institutus heres nec ipse se fecit heredem , neque mutata conditione alium heredem fecit , necessario fit , ut substitutus debeat admitti . Unde patet in *d.l.s i paterf. solidum fundamentum pro nostra sententia haberi* , quamvis adversarii secum facere perperam putent .

II. Non urget argumentum desumptum ex *d.l. quod si minor , §. Scævola , ff.de minor.* cum longe diversa ratio sit inter restitutionem in integrum , & Jus deliberandi ; quippe restitutionis in integrum ea vis est , ut omnia in pristinum statum reducat , ut ipsum nomen restitutionis in integrum demonstrat , & habetur in *ead. l. quod si minor , §. restitutio:* proinde operatur , ut heres , qui repudiavit , quamvis statim post repudiationem hereditas delata sit ejus vulgari substituto , si tamen restitutionem in integrum petat , hereditate a substituto nondum adita , fingitur & eum nunquam repudiasse , & hereditatem nunquam fuisse substituto delatam . Quare cum dicatur minor constitutus in eo statu , quo erat statim mortuo

vero testatore , merito , adeundo , excludet substitutum . Certum autem est , restitutionem in integrum competentem defuncto heredi competitre etiam heredi ipsius , *I. Pannonias* , sive *Pantonius* , *ff. de acq. hered.* Unde fit , ut ipse quoque heres heredis , adeundo , per restitutionem in integrum excludat substitutum defuncti . Hæc vero locum non habent in Jure deliberandi , quod licet transmittatur heredi , tamen nihil reducit ad pristinum , sed omnia relinquunt in eo statu , quo sunt ; cum ergo is rerum status in specie nostra sit , ut heres institutus nec ipse se heredem , nec mutata conditione alium heredem fecerit , merito vulgaris substitutus admittetur , excluso transmissario Juris deliberandi . Illud tamen concedimus , si substitutus non audeat , tunc posse transmissarium deliberare .

III. In quantum ad textum in *I. fratris* , *C. de Jure deliberandi* , nihil est , quod magis absurde explicatum sit , vel quod minus ad rem nostram faciat ; primo enim ibi sermo non habetur de transmissario Justiniano , imo nec haberi potuit , cum ea lex condita sit a Gordiano Imperatore A.C. 242. nimirum , antequam transmissarius Juris deliberandi a Justiniano introductus , annis 292. Deinde frater defuncti ut legitimus heres ab intestato petebat admitti ad facultates fratris , petendo bonorum possessionem Unde agnati , ex eo quia ipsius fratris defuncti filius emancipatus & heres institutus ante aditam patris hereditatem deceperat ; quare non venit ut transmissarius nepotis , venisset enim ex testamento . Tandem nulla in eo textu substituti mentio habetur , ut legendi perspicuum sit . Questio enim erat inter heredem filii instituti , & legitimum heredem fratris defuncti , uternam admitti deberet , ipso filio ante aditam hereditatem mortuo ; & respondit Gordianus heredem filii excepti , quia cum filius fuisse sui Juris tempore mortis paternæ , non transmisit hereditatem ; quippe temporibus Gordiani non tantum non erat transmissarius Justinianus , sed nec Theodosianus , qui introductus est A.C. 450.

Hæc est vera interpretatio ejus legis . Verum , quia hodie jam istos alios transmissarios habemus , præter eum , qui sui heredis dicitur ; propterca dicendum esset , fratrem defuncti excludi debere , vel ex constitutione Theodosii , si filius descendentes usque ad tertium gradum reliquit ; vel ex constitutione Justiniani , si alios heredes reliquit , & mortuus est intra annum Juris deliberandi ; itaut textus ille hodie locum non habeat , nisi cum transmissarius Theodosianus deest , & filius mortuus est post annum deliberandi . Verumtamen neque hoc modo quidquam facit ad rem nostram , quia , ut diximus , nullus ibi proponitur datus substitutus .

IV. Ad textum in *Lun. §.cum autem* , *C. de caduc. toll.* varie a DD. responsum est ; nos tamen dicimus , in eo textu de diversis casibus sermonem haberi *I. de transmissario* . *II. de substituto* . Quæ omnia , & sine-

Regula ut facile demonstrentur, verba legis præmittenda sunt, quæ ita habent: *Cum autem in superiori parte legis non aditam hereditatem minime, nisi exceptis quibusdam personis, ad heredes defuncti transmitti dispositimus, necesse est, si quis solidam hereditatem non adierit, banc, siquidem habeat substitutum, ad eum, si voluerit. & potuerit, pervenire.*

Ubi duos casus aperte Justinianus distinguit. I. Si heres ex asse institutus, non adit; & vult, transmissarium admitti, sive Theodosianum, sive Justinianeum, ut constat ex §. in novissimo, ad quem se Imperator referit, in illis verbis, *In superiori parte legis; admitti, inquam, excluso Fisco, qui veniret Jure caduci.* II. Si heres non ex asse institutus, hoc est coheres, non adit, & disponit admitti substitutum, excluso coherede. Adversarii autem istos duos casus simul miscendo, inde eliciebant, primo attendi transmissarium, secundo substitutum; sed verbis ita distinctis, contrarium deduci debet, nempe transmissarium tunc admitti, cum deest substitutus; qui si adsit, ipse ad hereditatem non aditam vocatur, excluso etiam coherede, ex regula, quod potentius sit Jus substitutionis, quam Jus accrescendi, quod coheredi competit.

Posset etiam dici, in eo textu nullam de substituto vulgari mentionem haberi, imo nec haberi aut debuisse, aut potuisse, sed nomine substituti intelligi coheredem, qui ad coheredis non adeuntis partem Jure accrescendi admittatur, excluso fisco, qui venire vellet Jure caduci. Notabimus enim, totam eam legem latam a Justiniano esse ad tollendum antiquum Jus caducorum ex l. *Papia Poppæa* introductum, ut ita æratum publicum bellis civilibus exhaustum, abundaret.

Statuebat autem (quantum ad rem nostram pertinet) herede ex asse instituto, eo non adeunte, hereditatem tanquam caducam fisco deferri; & hoc est; quod Justinianus in primo casu corrigit. Statuebat etiam nullum esse inter coheredes Jus accrescendi, sed si quæ pars hereditatis vacaret, coherede non adeunte, eam minime accrescere coheredi, sed tanquam caducam fisco acquiri. Ceterum Jus substitutionis lex Papia semper integrum & illibatum reliquit; imo Justinianus in d.lan. §. & quernadmodum, observat, testatores introduxisse substitutiones, ne testamenta fierent caduca, eaque providentia viam legi Papiae obstruxisse. Ex his fit, nullam Justinianum hic in secundo casu, dum corrigit legem Papiam, mentionem merito habere potuisse de substituto vulgari, quia hic, instituto non adeunte, semper fuit admissus, etiam lege Papia vigente; opus vero habuit loqui solum de eo casu, quo heres institutus coheredem habuit; & ut hic olim ex lege Papia excludebatur, statuere ne amplius excluderetur, sed ad coheridis partem non aditam veniret Jure accrescendi.

Nec mirum est, coheredem a Justiniano substitutum dici; quod facit

cit ideo, quia coheres tacite ex voluntate testatoris substitutus videtur, ut jam supra diximus ex *I. si Titio & Mævio, §. 1. ff. de leg. 2. & l. non justum, C. ad Trebell.*

Sed id, quod ultimo tandem loco objiciebatur, nempe in vulgaris substitutione comprehendi duplē casum voluntatis, & impotentiae; dicimus in specie nostra, cum substitutus adest, heresque tacuit, dece- dendo haberet, tanquam si noluisse aut deliberasset nolle, licet intra annum deliberandi decesserit; quamvis in eo casu, quo substitutum non habet, ipse institutus heres, tacendo, dicatur nondum deliberasse.

Ratio hujus doctrinæ, quæ satis notatu digna est, dependet ex eo, quia Justinianus in *d.l. cum in antiquioribus*, cum Jus deliberandi, quod in omnes heredes transmitteretur, introduxit, id tantum ante oculos habuit, ut testatori, & testamento faveret, ne scilicet herede instituto tacente, & obeunte, causa testati prioris defuncti reduceretur ad causam intestati. Itaque ne id accideret, statuit, heredem intra annum ob- euntem, haberet tanquam si non deliberasset, contra Jus antiquum, ex quo heres, qui tacuit, per mortem censebatur jam deliberasse, nolle se hereditatem, eoque successores legitimi, aut fiscus ad hereditatem pri- mi morientis admittebatur. Hæc autem ratio cessat, cum heredi insti- tuto datus est substitutus; quippe nulla est ratio, cur Jus deliberandi transmittetur, quoties substitutus adire velit: nam ex substitutione te- stamentum vires capit, & qui defunctus est, testatus decessisse dicetur. Quocirca isto casu, quo substitutus adest, remanet Jus antiquum in- correctum, & propterea heres, qui tacendo decessit, dicetur delibera- sc, ac noluisse hereditatem, ad quam veniet substitutus, excluso trans- missario.

Ex his intelligere licet I. Rationem, cur transmissarius excludat legitimos heredes prioris defuncti, seu testatoris, & e diverso non ex- cludat substitutum, sed potius ab illo excludatur. Nempe, quia contra legitimos heredes viget Jus deliberandi, ne testator obeat intestatus: at idem Jus non viget contra substitutum, qui succedendo, ipse firmat te- stamentum, & testator decedet testatus, sine ulla ope transmissarii Ju- stiniane.

II. Intelligimus, verum esse, quod supra diximus, scilicet si sub- stitutus nolit, vel nequeat adire, tunc tandem heredem heredis ex vi transmissionis ad testatoris hereditatem admitti; quia scilicet tunc opus est, ut testamentum subslineatur, nec subslineari potest, nisi per trans- missarium, cum substitutus desit.

De Transmissario Theodosiano quædam notatu digna.

UT quæ supra de Constitutione Theodosii produximus, melius cognosci possint, circa eam adhuc nonnulla notabimus. Ea est sub tit. *C. de iis, qui ante apertas tabulas hereditatem transmittunt*, quia olim ex *lege Papia caducaria* nequibat heres adire, nisi post apertas tabulas, ut & legatorum dies non cedebat a morte testatoris, sed ab aper-tis tabulis; quocirca herede obeunte ante tabulas apertas necessario hereditas siebat caduca, tanquam ab herede non adita, & querebatur fí-fco; excepto eo tantum casu, quo heres in tabulis institutus, filius fuisset sub potestate testantis; quia enim in eo nulla est necessaria aditio, sed ipso Jure intelligitur heres, propterea decedendo quandocunque, etiam ante apertas tabulas, hereditatem transmittebat.. Quod etiam ho-die verum est.

Verum id, quod de uno filiofamilias olim erat, Theodosius ad om-nes descendentes ad tertium usque gradum produxit, ut scilicet heredi-tatem non aditam transmittant, etiam nondum tabulis aper-tis. Ex quo patet, Theodosii legem solummodo in successione testamentaria lo-sum habere, non etiam in legitima, quæ ab intestato defertur; Theo-dosius enim Jus antiquum in ea successione tantum restrinxit, quæ fit ex-jiudicio testatoris, ut titulus demonstrat, nempe *de iis, qui ante aper-tas tabulas*; quippe ab intestato nullæ tabulae configi possunt; idipsum deinde ex verbis constitutionis colligitur; cu[m] semper de avo, & pro-avo, aliove naturali ascidente agat, qui liberos instituit. Unde fit, non fuisse a Theodosio correctum Jus antiquum in successione ab inte-stato, ex quo filius, e.g. emancipatus, si non adita patris, aut matris hereditate decedit, illam tanquam aditam non transmittit.

Verum in hujusmodi casu, licet destitutus beneficio Theodosii, non carebit tamen eo, quod Justinianus introduxit; nam si filius iste intra annum deceperit, transmittet Jus deliberandi in heredes ex d. l. cum in antiquioribus.

Accursius tamen in *d. l. un.* Theodosii voluit legem eam locum ha-bere in utraque successione, etiam ab intestato. Idque DD. communi-ter sequuntur; pro quorum sententia illud dici posset, constitutionem Theodosii ex paritate rationis trahi posse a causa testamentaria ad causam ab intestato; quippe descendantibus, maxime intra tertium gradum, hereditas quasi ex naturæ voto debita videtur; hac enim ratione mo-tus Theodosius videtur: quæ quidem ratio etiam ab intestato viget.

Præterea præsens Theodosii constitutio non solum in hereditate, sed etiam in legatis, & fideicommissis locum habet, ut ex ipso textu

ex.

expresse patet; cum enim antiquitus dies legatorum non cessisset ante apertas tabulas, opus fuit, ut legatariis etiam Theodosius subveniret: nempe, ut si descendens intra tertium gradum, cui quidem legatum sit, ante apertas tabulas decesserit, legatum, tanquam agnatum, transmitat.

Hodie tamen circa hanc rem habemus novam Justiniani constitutio-
nen, in l.un. §.in novissimo, cum duob. seqq. C.de caduc. toll. ubi gene-
ratim statuitur, diem legatorum, ut etiam fideicommissorum, a morte
defuncti cedere, modo legata pura sint, vel in diem certum relicta,
& legatarius post testatoris mortem decedat; nam. si mortem testatoris
prævertat, non transmittet.

Aliud itaque Jus est, si legatum sub conditione relictum sit, vel
sub die incerta; horum enim dies non cedit, nisi post conditionis even-
tum, vel postquam dies incerta extiterit. Unde si ante hæc tempora le-
gatarius decedat, non transmittet, d.l.un. §.fin autem aliquid. Quod ve-
rum est, quamvis legatarius sit ex liberis testatoris, quoniam in quantum
ad legata hæc, nihil in Jure antiquo vel a Theodosio, vel a Justiniano,
est innovatum, ut Acc. & Bart. ibidem observant.

At si legati sub conditione, vel sub die incerta, dies cedat vivo le-
gatario, semper legatum transmittetur, lideo, ff. qui testamenta facere
l.2. cum seq. ff. quando dies legatorum.

Illud maximam in hac re difficultatem habet, utrum fideicommissa-
riis etiam Jus transmissionis concessum sit? Nec tamen questio est de fi-
deicommisso singulari, seu, ut vulgo vocant, particulari; nemo enim
ambigit, quin obeunte fideicommissario ad heredem ipsius transmitta-
tur, modo ejus dies, fideicommissario vivo, cesserit, l.2. & 3. C.quan-
do dies legatorum cedat. Dubium solum est de fideicommisso universali.

Communis in hac re DD. opinio est distingui debere inter fi-
deicommissum purum, & conditionale. Et purum quidem semper
transmitti volunt; e. g. Cajus institutus heres est, & fideicommissio gra-
vatus in favorem Titii: accidit deinde, ut antequam Titius fideicom-
missum petat, decedat, hoc est, antequam per heredem steterit, quin
fideicommissum restituatur; eo casu communiter DD. docent, heredes
fideicommissarii posse ex Trebelliano cogere heredem gravatum ad he-
reditatem sibi restituendam Jure transmissionis. Ita Acc. Bart. & ceteri
in l.cum filiosam. ff. de leg. i. late Peregr. de fideic. q.3 i. Tiraq. de retractu-
gl. i. §.26.

Moventur præcipue ex l.3. C.de fideic. ubi cum agatur de fideicom-
missio restituenda hereditatis, non alia tamen ratione fideicommissum
universale ad fideicommissarii heredes pertinere negatur, quam quod il-
li ipsi, qui fideicommissum praestare debuerant, fideicommissario successer-
sissent: atque ita confusis per aditionem actionibus, nulla fideicommis-
si persecutio superest. Species enim legis hæc est: Quidam condito te-
stamento,

stamento, heredes rogorat, ut ancillam manumitterent, eique restituuerent hereditatem; defuncto testatore, ancilla quidem manumissa est, sed ab intestato ante restitutionem decepsit; quoearc ejus successio ad heredes manumissores pertinuit, tanquam ad patronos. Heredes itaque manumissores puellæ hereditatem adierunt. Quæsitum est ab Imperatore Antonino, utrum heredes fideicommisso essent liberati? Ratio dubitandi fuit, quia heredes inæqualiter fuerant a testatore instituti, e.g. Unus in dodrante, alter in quadrante; quare si hereditas apud ipsos, tanquam testatoris heredes manebat, eam dividabant etiam inæqualiter, uno accipiente dodrantem, altero quadrantem: at si successerint, ut heredes pueræ fideicommissariæ, quia ea ab intestato præmortua proponitur, successissent æqualiter. Respondit ergo Antoninus, per additionem hereditatis pueræ, confusis actionibus, heredes gravatos esse fideicommisso liberatos. Ergo, inquiunt, dubitari non potest, Imperatorem aliud fuisse scripturum, si alios heredes fideicommissarius habuisset, nempe heredes gravatos non intelligi liberatos fideicommisso; quod perinde est, ac si diccas, in heredem fideicommissarii transire Jus deliberandi.

Quod si fideicommissum universale sub conditione conceptum sit, tunc ita distinguunt; aut dies cessit, vivo fideicommissario, & quia eo casu jam incipit pro puro haberi, procedent illa eadem, quæ jam de puro fideicommisso diximus: aut ante cessam fideicommissi diem fideicommissarius decepsit, & volunt regulam esse, fideicommissi transmissionem non fieri, *I. Statius Florus*, §. *Cornelio Felici*, ff. *de Jure fisci*, *I. intercidit*, ff. *de condit.* & demonstr. *I. un.* § *sin autem aliquid sub conditione*, *C. de caduc. toll.* Putant tamen ex voluntate testatoris posse ad heredes fideicommissarii transmitti, scilicet quoties ex aliqua conjectura apparet ita testatorem voluisse, veluti cum heres fideicommissarii est ex descendantibus testatoris. Vide *Iatius Manticam de conject. lib. II. tit. 20.*

Porro illud notandum est, in foro receptum esse, interruptionem graduum non vitiare fideicommissum. E.g. testator rogavit heredem, ut restitueret Cajo, itemque Caju ut restitueret Titio: accidit autem, ut vivo herede Cajucescerit, deinde vivo Titio deceperit heres; docent fideicommissum non intercidisse propter interruptum ordinem graduum, sed esse omnino restituendum Titio. Quod probant ex co., quia fideicommissum hac parte est simile substitutioni vulgari, cum per utrumque succedatur testatori, non heredi, *I. coheredi*, §. *cum filia*, ff. *de vulg. I. a. ff. ad Trebell.* Sed vulgaris substitutio ex graduum interruptione non vitiatur, quia substitutus substituto censetur substitutus instituto, *d. I. coheredi*, *in princ.* & *I. quandiu institutus*, ff. *de acq. hered.* Ergo eodem modo in proposita specie Titius fideicommissarius Caji, censendus est fideicommissarius heredi. Ita DD. communiter post Bart. in *d. I. quan-*
diu.

Hæc

Hæc pro foro obiter notasse volumus ; nam quid de rigore Juris sit , late tractat Faber dec.3.i. err.1. 2. & 3. quem vide .

Filiofamilias recusante hereditatem , utrum pater substituto vulgari præ- feratur .

Q u e s t i o . VII.

Species ita se habet . Filiofamilias instituto heredi datus est substitutus in casum vulgarem . Noluit filiusfamilias hereditatem adire reclamante patre , sub cuius potestate erat . Quaritur , an pater possit ipse hereditatem adire , excluso substituto ?

Et verior mihi videtur communis opinio , quæ patrem admitti docet , ex nova Justiniani constitutione in l. ult. C. de bonis quæ liberis ; ibi enim Imperator loquens de filiofamilias herede instituto , statuit , eo nolente hereditatem adire , patrem , qui reclamabat , ad adeundum admitti , & omne sive damnum , sive lucrum in suam habere fortunam . Idque verum esse ait , sive filiusfamilias sit integræ ætatis , hoc est , annum 25. excederit , sive in secunda ætate constitutus reperiatur , hoc est , minor ultra infantiam ; præterea nihil interessè utrum paganus sit , an vero miles . Et , quod notandum est , in §. similique modo , addit , patrem ita sibi hereditatem acquirere : *Quasi (verba textus sunt) ipse pater ab initio suisset beres institutus* . Ex quibus patet , a Justiniano haberi hoc casu nomen filii pro non scripto : & contra , haberi tantum pro apposito nomen patris , sub cuiusq[ue] potestate filius est ; seu potius sub nomine filii censeri institutum ipsum patrem . Quoties ergo ipse pater adire vult , substitutus omnino erit excludendus , qui solum potest admitti , repudiantibus patre simul , & filio . Ita Angelus , Aretinus , aliquique apud Trentacinquium par.6. de substitutionibus , & videtur esse opinio Bartoli in l.1. ff. de vulg . Eam quoque docuit Duarenus in hoc tract.

Et nihil obstat , quod post alios Fachin.4. contr.63. objicit ex l. si pater , ff. de hered. instit. nempe , substitutionem vulgarem in homine liberò eam continere conditionem , si nec ipse se fecerit heredem , nec mutata conditione alium fecerit heredem . Sed , inquit , filius hoc casu nec se fecit heredem , nec alium . Ergo hereditas statim defertur substituto , cum verificata conditio sit , argumento ex l. ult. ff. de conditionib. instit.

Non obstat , inquam ; & negatur suppositum . Supponunt enim , hic filium esse institutum , cum contrarium expresse Justinianus statuat,

quat, censeri sub nomine filii institutum patrem, tunc scilicet, cum filius patre invito repudiat. Si itaque pater institutus dicitur, & pater jam adit, consequens omnino sit, ut substitutus excludatur.

Ex his patet, quid dicendum sit de monacho, qui heredi instituto datus sit substitutus vulgaris, & monachus contradicente superiore non adeat, seu repudiet; nempe ex simili concludendum videtur, posse monasterium hereditatem adire, & substitutum excludere. Quæ sententia communis est, favore maxime causæ piæ: imo docent, monasterium non modo intra annum Juris deliberandi adire posse, sed eo transacto habere præterea quatriennium ad petendam restitutionem in integrum, tanquam si minor esset, argumento ex cap. i. de in integrum restituzione. Vide Bart. in d.l.i. ff. de vulg.

Utrum substitutus vulgaris excludatur a Fisco.

Q U E S T I O VIII.

Pone, Cajo heredi substitutus in casum vulgarem Sempronius. Cajus tamen, ante aditum sententiam, ob admissum delictum sententiam patitur, ex qua fiscus omnia ejus bona occupat; quælibet an quia Cajus redditus ob sententiam acquirendi incapax, ad hereditatem testatoris admittatur substitutus, an potius liecat fisco adire? Idipsum queritur, si Cajus post admissum delictum, sed ante latam sententiam repudiet: scilicet an possit fiscus admitti, tanquam repudiatione in ipsius fraudem facta?

Et placet, substitutum admitti. Ita Duarenus in hoc tit. Petrus Gregor. 42. sym. 14. Fachin. 4. contr. 64. nunquam enim de fisco declaratum est id, quod modo de patrefamilias diximus; nempe ipsum in his casibus pro iustitio haberi: & propterea recte hic locum habet regula d.l.s. pater, ff. de hered. inst. hoc est, quia institutus neque se fecit heredem, nec mutata conditione fecit heredem alium, propterea substitutum admitti.

Addit Fachin. immerito de hac re certare DD. contra constitutionem Justiniani in tit. C. de caduc. tollend. ubi in §. cum autem, quoties heres institutus nequit adire, non vocat fiscum, ut erat ex l. Pap. i., sed eo excluso, sanxit substitutum admitti; nec fiscum vocat, nisi ultimo loco, omni alio herede tam testamentario, quam ab intestato deficiente. Neque enim verum est, quod putabat Bart. in d. l. i. censeri heredem institutum ob crimen admissum sibi heredem fecisse fiscum; nam iustitio heredis facta est, & non juris.

Sed tuetur se Bartolus verbis Martiani in l. si sequens gradus, ff. ad Syl-

Syllan. ubi hæc habet : *Si sequens gradus altus fuerit necem testatoris, an prioris hereditas ad illum transferatur?* Et sit Papinianus non esse hoc ; nam pœna illius, bujus præmium esse non debet. Unde fit, ut hereditas deferatur fisco, excluso substituto, etiam si is vindicaverit defuncti necem. Ceterum defertur fisco ob delictum heredis instituti, qui ex Syllaniano tenebatur quæstione habere, & supplicium sumere de iis servis, qui sub eodem tecto fuerunt, quoties dominus per vim necatus fuit, l.l. §.occisorum, ff. cit. tit.

Verum respondeatur, eatenus ibi substitutum excludi, & fiscum admitti, quia hereditas ab herede instituto adita jam fuit ; quippe non omnis heres, qui defuncti necem non vindicat, punitur, sed is tantum, qui jam hereditatem adivit : is, inquam, tanquam indignus punitur, & ab eo hereditatem, tanquam ab indigno, fiscus aufert, l. necessarios, §. non alias, ff. cit. tit. Cum ergo hereditas adita fuerit, merito sit Papinianus heredem sequentem in gradu, seu substitutum excludi ; quippe is non potest venire Jure substitutionis, & veniret tantum Jure præmii, quod vindicavit testatoris necem. At istud ipsi præmium nunquam lex ulla concessit : & e contrario Senatusconsultum Syllanianum vocavit fiscum Jure pœnæ.

Quod si accidat heredem repudiasset hereditatem, antequam sententiam passus sit, nec propterea fiscus admittetur, tanquam repudiatione in ipsis fraudem facta. Primo enim hic fraus nulla est ; nam cum institutus heres repudiatur, utitur Jure suo, cui a lege concessum est libera aendum, & repudiandi libertas, nisi forte id in fraudem creditorum fiat. Et patet a simili ; quippe heres, qui fideicommissio gravatus est sub conditione, si sine liberis decesserit, potest per subsequens matrimonium legitimare filios naturales ad excludendum fidicommissarium, etiam si matrimonium istud in mortis articulo imeat, cap. tanta, qui filii sint legitimi. Præterea dato id factum in fraudem fisci ; tamen ab hac fraude innocens est substitutus, qui suo Jure utitur, cum ex substitutione adit hereditatem, quam institutus repudiavit.

Hinc regulam DD. statuunt, nempe quum institutio pro non scripta habetur, semper fit locus substituto vulgari, Gloss. & Bart. in *l. ex facto*, ff. de hered. instit. ex qua regula orta est mirabilis decisio, quæ extat apud Thesaurum dec. 127. cum seq. Species est : frater condito testamento heredem instituit turpem personam, cui vulgariter substituit, præterito fratre superstite. Is ergo egit querela inofficiosi testamenti adversus fratri testamentum ex *l. fratres*, C. de querela inofficiosi ; & obtinuit institutionem turpis personæ haberi pro non scripta : at non sibi mellificavit, quippe non sibi, sed substituto victoriam paravit, qui & successit, quo circa frater obsuit instituto, & sibi non profuit. Verum hæc decisio difficultate non caret. Vide Menoch. conf. 234. & Sforziam Oddo conf. 10.

Utrum substitutio in unum casum concepta,
trahi possit ad alterum.

Q u a s t i o IX.

Ad L.4.

Prima est opinio eorum, qui docent, casum impotentiae a testatore positum in substitutione trahi ad casum voluntatis, quamvis de hoc secundo nihil testator expresserit, sed tantummodo dixerit, *Si heres esse non potuerit*: & e contrario casum expressum voluntatis trahi ad casum impotentiae; prorsus ut nihil intersit, utrum testator dixerit, *Si heres esse voluerit, vel non potuerit*, ac si unum tantum ex his casibus apponat, altero omisso. Quæ fuit sententia Bartoli, cui subscripta Soccin. Ripa, & alii in *I.i. ff.de vulg.*

Probant id primo ex defuncti voluntate, qui substituendo, id videtur voluisse, ne intestatus decederet, cui quidem voluntati æque contrarium est tam si heres nolit, quam si nequeat heres esse: propterea testator, qui in unum casum substituit, censendus est etiam substituisse in alterum, præsertim quia pro eodem habentur nolle, & non posse, argumento ex *I.i.ff.de procuratoribus*. Nec novum est in Jure nostro, casum omissum, ex voluntate testatoris censi comprehensum in expresso, *DD. in I.Gallus, §. Et quid si tantum, ff.de liber. Et posth.*

II. Ex *J. §. Et quid si tantum*, cum Galli consilium concipiatur sub conditione, *Si filius morietur*, nihilo minus ad similitudinem mortis admittuntur ceteri casus omnes, in quibus accidat filium de medio tolli, vel per aquæ & ignis interdictionem, vel per emancipationem, vel per servitutem: quasi hi casus ex sententia legis Vellejæ suppleantur, quæ in *2.cap: generatim* habet, *Si quis ex suis heredibus suus heres esse deficit*. Supplentur ergo in formula Galli, licet omisso. Ergo a pari in specie nostra, quamvis casus impotentiae, vel voluntatis, omissus sit, tamen ex similitudine dici debet comprehensus; jam enim diximus simile esse nolle, ac non posse, *d.l.i. ff.de procuratoribus*.

III. Ex *I.si minor, C.de institutionib. & subst.* quippe filius a matre institutus sub conditione si per emancipationem sui Juris efficiatur, ad matris hereditatem admittitur, quoties pendente conditione alia via sarcis paternis solvatur, veluti quia pater moriatur, deportetur, vel filius fiat Consul, Episcopus, & ita porro; tanquam si casus emancipationis comprehendenter omnem alium similem casum, quo filius sui Juris evadat. Id ipsum colligere licet ex *I.Titius, §.Lucius, ff.de liber. Et posth.ex I.ult. C.de posthum.* & tandem ex his, quæ supra disputavimus de substitutio-

ne

ne vulgari , quæ continetur in pupillari , & e contrario.

Non desunt tamen , qui in contrarium vitantur , substitutionem in unum casum conceptam non trahi ad alium , Duarenus in *boc tract.* Mantica 5. de conject. 1. Fachin. 4. *controv. 65.* Quæ sententia verior est , & firmatur ex pluribus.

Et primo quidem ratione ; nam quoties duo sunt , quorum unum se alteri opponit , & unum alteri repugnat , tunc regula est , ut unum non contineat alterum , nisi ex expressa Juris constitutione , ut ex mox dicendis clarum erit , & patet etiam ex l. 4. ff. de *vulg.* quippe intantum vulgaris complectitur pupillarem , in quantum hoc expressa Divorum Fratrum constitutione fuit statutum , *Lquamvis* , C. de *impuberum* . Sed in nostra specie primus casus vulgaris opponitur secundo , cum sœpe accidat , ut quis velit , & non possit , vel e contrario , ut quis possit , & tamen nolit : nec ullam adhuc expressam Juris constitutionem habemus , quæ statuat unum in altero comprehendendi . Ergo ex regula , quæ hic incorrecta manet , dicendum est , unum in altero non includi . Verum ut proposita regula clarius pateat .

II. Probatur Jure ex Pomponio in *l. commodissime* , ff. de *liberis* , & postb. ubi quamvis , qui nondum natus est , ita a patre , vel avo institui possit , *Sive vivo me , sive me mortuo natus sit , heres esto* ; tamen si alteruter casus omissus fuerit , hic casus non censetur testamento comprehensus , ut propterea natus eo casu rumpat testamentum . Ubi reēte Alexander ita in sumimam redigendo textum , regulam statuit , nempe , Qui providet sibi in uno casu , non videtur in alio casu omissio sibi providere .

III. Ex Papiniano in *l. pater Severianam* (alias *Severinam*) ff. de *conditionibus* , ubi pater filiæ prædium legavit , si *Ælio Philippo* nupisset , (quod ita interpretatur , si voluerit nubere) quod si non nupisset , hoc est noluisse nubere , idem prædium Philippo dari voluit . Accidit , ut nondum viri potens puella diem suum obierit . Respondit Papinianus , conditionem non extitisse , nec propterea fideicomissum Philippo deberi : scilicet , quia casus voluntatis non complectitur casum impotentia .

Neque obstat , quod ait Gomesius 1. *variorum cap. de vulgari* , n. 10: Papinianum ita in ea specie statuisse , quia pœnam testator apposuit in eo casu , quo filia Philippo nubere noluisse . Nam id facile rejicitur ; et si enim Papin. mentionem faciat pœnae , tamen decisio non nititur pœna , sed solum dependet ex eo , quod fideicomissum relictum erat in casum quo nollet , non etiam in casum , quo non posset matrimonium inire .

Ex his facile patet , quid adversariorum argumentis responderi debat . Nam cum primo ajunt , mentem testatoris in substituendo vulgariter , eam fuisse , ne intestatus decederet , dicimus id quidem verum

esse, cum eo tamen, ut verum etiam sit, testatorem demonstrasse, mentem suam fuisse, non ut omni casu testatus decederet, sed eo casu tantum, quem ipse in testamento expressit; nam in nostris legibus exempla habemus eorum, qui omni casu voluerunt testati decedere; quippe dicere soliti sunt, vel generatim, *Si heres non erit, argumento ex d.l.commodissime*, ibi, *Neutrius temporis babita mentione*: aut utroque casu espresso, ita *Si adire noluerit, vel non potuerit, l.cum proponas, C.de hered.instit.* Quocirca, cum in nostra specie neutrum ex his fecerit, sed alterum tantum casum expresserit, videtur in eo solum voluisse testatum decedere. Facillime quippe poterat utrumque casum exprimere, aut uno espresso, alterum addere, nec tamen fecit; quod signum mihi evidentissimum videtur, noluisse omni casu decedere testatum.

Cum vero addunt pro eodem haberi nolle, & non posse, dicimus hoc intelligi in quantum ad effectum, non in quantum ad modum; quæ modi diversitas adeo maximi momenti est, ut uno espresso alterum non comprehendatur, ut clare patet ex *d.J.pater Severianam*.

Hinc II. facile resolvitur, quod opponunt ex *d.l.Galtus*, §. & quid si tantum; nam dato, quod vulgo putant, in formula Galli casum mortis expressum porrigi ad ceteros casus non expressos interdictionis aquæ & ignis, emancipationis, & servitutis, qui similes casui mortis sunt; tamen id habemus speciali lege declaratum, quæ declaratio si facta non esset, contrarium diceremus ex regula a nobis supra explicata. Hæc autem declaratio in nostra specie non adest.

Potest etiam negari istos casus in formula Galli sub casu mortis comprehendendi; verior enim explicatio *d. §. & quid si tantum*, est ea, quam latissime tradit Antonius Faber in *10. conjct.* Nempe id solum ibi statui, quod sicuti ex *l.Velleja*, potest avus instituere nepotem, si filius suus heres esse desierit, ita idem avus ex ejusdem legis sententia in formula Galli potest sibi providere in ceteris casibus morti similibus, si modo id expresse faciat; vel si generatim dicat, *Si filius suus heres esse desierit*; nunquam enim ibi dicitur, quod vulgo opinantur, expresso solo casu mortis, ceteros etiam similes casus intelligi expressos. Vide latius cit. Fabrum.

Quod III. opponunt ex *d.l.si mater*, resolvitur, si notemus emancipationis nomen aliquando large sumi, & comprehendere omnes eos modos, quibus filius e patria potestate subducitur, sive per mortem sit, sive per dignitatem, aut similiter; ut propterea, cum dixerit mater, se filium heredem scribere, si per emancipationem sui Juris efficiatur, nullum casum exclusisse videtur, ut in *tit. C.de emancipationibus liberorum*.

In quantum vero ad textus *l.Titus*, §. *Lucius*, ff. *de lib. & postb. & l. ult. C.de postbam.* dicimus, eos nisi mente & voluntate testatoris, qui ex fæti ignorantia aliter scripsit, atque opus fuit, ut consideranti illorum tex.

textuum species facile perspicuum fiet. Quippe in d. §. *Lucius* quidam ita in testamento scriperat, *Quod filia mea in utero habet, heres esto;* quibus verbis videbatur, nepotem post testamentum nasciturum sibi scripsisse heredem; & nihil minus nepos pauculis horis. ante testamentum natus erat, testatore ignorante. Respondit Paulus, institutionem valeare, hoc est casum expressum nepotis nascituri post testamentum, contineare casum non expressum ejusdem nepotis nati ante testamentum. Id tamen ex speciali ratione a Paulo respondere est; non enim poterat dubitari de eo ipso nepote testatorem sensisse; erravit tamen in facto, ut qui credebat nondum natum, qui jam eadem die natus erat; quare constabat de mente testatoris instituendi eum nepotem, cui menti ignorantia facti non obstat, ex vulgata regula Juris. Nos autem non negamus, ex voluntate testatoris casum omissum posse suppleri; id quod negamus, est, in specie nostra hanc testatoris voluntatem haberi; nisi aliquid aliud proponatur, unde ea colligi possit.

Simile est, quod habetur in d. l. ult. proponitur enim testatorem scripsisse, *Filius, qui intra decimum mensem post mortem meam nascetur, heres esto;* filius vero natus deinde est, vivo testatore; & sublatis antiquorum Jurisconsultorum iuris Justinianus rescripsit, filium non videri præteritum; constat enim voluntatem testatoris fuisse eum omnino filium instituere, quem ex errore putabat, sibi post mortem nascitum; quocirca hic etiam casus omissus suppletur, quando de voluntate testatoris constat, quod in specie nostra non est.

Ceterum licet testator in unum casum substituat, adhuc tamen sub eo tacita pupillaris comprehenditur ex l. ult. C. de institutionibus, ubi quidam instituit ventrem, & addidit, si posthumus natus non fuerit, Cagus heres esto, hoc est, si posthumus heres esse non poterit. Tamen substitutus admittitur tam si posthumus editus non fuerit, quam si natus fuerit, & moriatur; illo scilicet casu admittitur ex vulgari, isto ex pupillari.

Utrum ob pubertatem vulgaris tacita expiret.

Q u e s t i o X.

Ad L. lex Cornelia 28.

Verior est opinio Glossæ in *L. lex Cornelia*, ff. de vulg. ubi Ripa, Imola, Salycetus, & alii cum Gomez i. var. hoc sit. ubi Emmanuel Suarez, nempe expirante substitutione pupillari per adventum pubertatis

tatis filii, adhuc superefse vulgarem, ex qua substitutus ad testatoris hereditatem admittatur, filio nequeunte, vel nolente patris hereditatem adire. Quod palam fit exemplo pupillaris tacitæ, quæ continentur in vulgaris expressa quippe; si filius institutus heres adest hereditatem, quamvis vulgaris expressa evanescat, superest tamen adhuc pupillaris tacita; prorsus ut filio deinde intra impubertatem decedente, ei substitutus succedit, l.4. ff. de *vulg. cum-concordantibus.* Ergo a pari cum pupillaris exprimat, filio pubertatem ingrediente, remanet tacita vulgaris; non enim inter utrumque casum ulla rationis disparitas potest assignari.

Quidam credunt ad hanc conclusionem firmandam facere etiam legis fictionem, quæ vult substitutum ex vi vulgaris succedentem fingi per retroactionem a morte defuncti successisse defuncto, argumento ex liberos, ff. de *acq. hered.* Quæ tamen ratio nullius momenti mihi videatur, quia quam facillime responderetur, retrotrahi quidem, cum adest; sed hoc ipsum nos querere, utrum adest.

Objicies vitiatō continente vitiatur quoque, quod ei inest, seu cadente principali cadit accessorium, l. *cum principalis*, l. *nihil dolo*, §. *cum principalis*, ff. de *reg. juris.* Sed vulgaris tacita se habet, ut contentum, seu accessorium ad pupillarem expressam, quæ est ut principale, & continens; quocirca hac vitiata vitiatur & illa.

Respondemus tamen, tunc vitiatō continente vitiari etiam contentum, cum id quod inest a continente dependet. Quod non est in specie nostra; quia vulgaris tacita non dependet a pupillari expressa, nec contra, utpote quæ continentur, seu intelligitur ex sola legis dispositione, & propterea id, quod inest, habetur tanquam si expressum esset, ut patet ex d. l.4. ff. de *vulg.* Dicendum est ergo, tacitam vulgarem inesse in pupillari, non tanquam in causa, seu in principali, sed tantum tanquam in conditione, seu occasione, ut scilicet facta pupillari, sit & intelligatur esse etiam vulgaris. Ceterum ut infantis vita, in utero matris contenti, non dependet a vita matris, cum saepe accidat mortua matre, quæ continet, infantem vivere, ita etiam in specie nostra.

Utrum

Utrum substitutio pupillaris facta a patre filio
puberi, vel a matre filio impuberi,
tacite vulgarem compre-
hendat.

Q U A S T R O XI.

Ad L. si mater 33. ff. de vulg.

Hoc perinde est, ac si quæras, utrum pupillaris substitutio ab initio nulla, complectatur tacitam vulgarem. Et communis fere sententia est, eam tacite vulgarem non continere, converti tamén in vulgarem, ut scilicet substitutio valeat quo modo valere potest, Bartolus, Soccinus, Imola, aliisque in l. i. Alexand. in l. 5. ff. de vulg. At vero Gomesius i. var. 3. voluit vulgarem contineri, ex l. si mater, ff. de vulg. Quæ opinions licet distent, in quantum ad explicandi modum, re tamen, seu effectu idem sunt.

Nonnulli vero tradunt, eam resolvi in fideicommissum, prorsus ut heredes filii obligentur restituere substituto ea pupilli bona, quæ ei a patre, vel matre substituente pervenerunt, ex l. Scævola, ff. ad Trebell.

Hæc tamen omnia falsa sunt, ut ex ipsa argumentorum dissolutione patebit. Nam quod attinet ad textum in l. si mater, ff. de vulg. ibi Africanus hæc verba habet: *Si mater ita testetur, ut filium impuberem, cum erit annorum XLV. beredem instituat, cique pupillaribus tabulis, si sibi heres non erit, aliuos substituat, valet substitutio.* Putabat Gomesius, tabulas pupillares hic accipi pro pupillari substitutione, quasi mater filio ita substituerit, *filio meo in ætate pupillari decedenti Titius heres esto.* Quæ utique substitutio nulla ab initio est. Cum ergo Africanus dicit substitutionem valere, consequens omnino fit, ut valeat, tanquam vulgaris, quod Gomesius putat denotati verbis illis, *si sibi heres non erit.* Ob quem novum intellectum huic legi datum, narrat idem Auctor, se olim licentiati, ut vocant, gradum obtinuisse.

At recte Emmanuel Suarez id immerito factum notat; potius enim ei, qui licentiati gradum obtinuisse, ex tam absurdâ explicatione ea dignitas adimenda fuisset, quam ei, qui non haberet, danda; quippe nullam ibi pupillarem substitutionem mater filio puberi fecerat, cum aperite dicatur, alium substituisse, *si sibi filius heres non erit,* quæ substitutio vulgaris est; hæc enim verba matri substituentis sunt, non Africani interpretantis substitutionem matri, ut Gomesius somniat, & facile consideranti patet. At queres, cur ergo hæc substitutio dicitur facta

tabulis pupillaribus? Respondet Cujac. ad Afric. lib. 2. qq. hoc ideo factum, quia substitutio restricta fuit ad solam etatem pupillarem; ut propterea species illius textus haec esse videatur; nempe cum mater filio pupillariter substituere cuperet, & lege impediretur; consilio adhibito Prudentum, effectu quodammodo substituit, instituit enim filium, cum is erit annorum XIV. seu cum pubes fieret; cum genim annus dicitur, nisi aliud addatur, semper de completo intelligitur, *I. qua etate, ff. qui testamenta.* Quod si accideret, ut filius in etate pupillari existens heres non esset, alium sibi instituit heredem, dicendo, *Si filius in etate pupillari heres non erit, Cujus heres esto.* Quae substitutio vulgaris est, cum facta sit in casum, quo heres non erit; dicitur tamen Africano facta in tabulis pupillaribus, quia mater filio impuberi substituit. Quæsum est, an substitutio valeret? Ratio dubitandi fuit, quia non possumus substituere ei, quem non instituimus; filius vero in etate pupillaria matre institutus non fuit, utpote quem instituerat, cum esset annorum XIV. Respondit tamen Africanus, substitutionem valere, quia vere filius erat institutus; ex legis enim dispositione, ubi quis ex certo tempore institutus, dies adjectus pro supervacuo habetur, & perinde est, at si pure heres institutus esset, *§. heres, Institutionibus de heredibus instituendis.* Cujacius tamen ad Afr. tract. 2. ait, hereditatem non posse dari ex die, ita intelligi, ut non possit dari ex die nominativum, veluti post quinquennium, quam mortuus fuero ex Kalendis Januariis. Tacite enim diem recipere hereditas potest; quippe servus ex die liber esse iussus, recte heres instituitur pure, *I. quoties, §. si servus, ff. de hered. instit.* Veluti Stichus ex Kalend. Jan. liber esto. Idem Stichus heres esto, ubi hereditas non est data ex die, sed pure, eam tamen moratur dies. Et hic etiam tacite dies hereditati adjicitur, his verbis: *Cum erit annorum XIV.* Hoc enim non tempus solum, sed & conditionem in se continet; nam non interest, utrum scribatur, *Si annorum XIV. factus fuerit, an Cum annorum XIV. factus erit;* nam priore scriptura per conditionem tempus demonstratur, sequente per tempus conditio, utrobique tamen eadem scriptio est, ut dicitur in *I. si Titio, ff. quando dies leg.* Collata igitur institutione in tempus pubertatis, haec verba, *Si heres non erit, sic accipiuntur, si intra pubertatem decesserit.* Idem sensisse videtur Viglius *tit. de pupill. in princ. num. 6.*

Dices, eo casu, quo conditionalis substitutio fit, filius non est statim heres, sed institutio ad adventum conditionis suspenditur, itaut ea non adveniente, institutio nunquam facta intelligatur, *I. cedere diem, ff. de verb. signif.* Quod ergo in specie nostra operaretur, ne substitutio valeret, contra quam Africanus decidit; nam mater substituisset filio in eo casu, quo conditio non existeret, hoc est, si moreretur ante XIV. annum: quod perinde est, ac dicere, *cum institutus non esset;* at non instituto substitui non potest.

Respondendum est, ad substitutionem vulgarem recte faciendam, non

non necessario exigi, ut fiat heredi pure instituto, quod nullo Jure probatur; sed satis esse, ut fiat instituto: Imo ad substitutionem pupillarem nec etiam exigitur, ut fiat instituto, ut quæ filio exheredato recte fit, §. non folium, de pupill. substitutione. Aliter explicant Corasius in *I. si testamento, C. de impuberum*, Politus in *hoc tract.* Cæsar Costa 3. ambig. 20. quos vide; qui tamen omnes in hoc convenient, substitutionem non fuisse pupillarem, sed vulgarem.

Quod attinet ad textum in *I. Scævola*, ff. ad Trebell. quo probare nituntur, substitutionem ab initio nullam verti in fideicommissum, varie responsum est. Species ita se habet. Pater filio impuberi in codicillis in casum pupillarem substituit: quæ substitutione inutilis fuit, seu ab initio nulla, quia codicillis hereditas neque dari, neque adimi potest; tamen Scævola ex benigna interpretatione respondit, substitutionem verti in fideicommissum filio impubere decedente, prorsus ut successor filii ab intestato obligetur bona ipsius filii Jure fideicommissi restituere substituto.

Vulgo DD. post Accursium, & Bartolum, existimantes dari in Jure nostro verba communia tam substitutionibus, quam fideicommissis, id factum docent, quia pater in codicillis verbis communibus usus est, dicens, Filio meo in ætate pupillari decedenti substituo Titium; nam inter verba communia ipsum substituendi verbum reponunt. Quoniam ergo dispositio non potuit Jure substitutionis directæ valere, utpote facta in codicillis, ideo Scævola respondit valere ut fideicommissum, quod in codicillis recte fit.

Quæ interpretatione perabsurda est; primo quia nulla in Jure dantur verba communia, cum omnia vel sint directa, vel inflexa, & nihil est medium, *I. quoniam indignum, C. de testamentis*. II. Quia etiam si verba hæc communia darentur, tamen iis verbum substituendi accenseri non posset, quod directum est, *I. 4. ff. de vulg.* Tandem, quia si substitutœ directum non esset verbum, sed commune, nulla opus fuisse benigna interpretatione, ut in vim fideicommissi voluntas paterna substineretur; nam verba communia, si darentur, æque & per se continere deberent non minus substitutionem directam, quam fideicommissariam; propterea sicuti sine benigna interpretatione interpretantur de directa substitutione, ita etiam sine eadem interpretari possent de fideicommissio.

Alii ergo respondent, in textu d. *I. Scævola*, specialem casum contineri, qui extendi ad alios similes casus non possit, ut constat ex eo, quod Scævola expresse nititur benigna interpretatione; quæ in Jure nostro semper demonstrat casum specialem contra Juris rationem, DD. in *§. scd cum aliquis, Institutionibus de testamentis*, & in *I. filio præterito, ff. de injusto rupto*. Hæc vero singularitas in tribus consistit, ut substitutio sit pupillaris, ut filius moriatur impubes, ut fideicommissum ad om-

nia filii bona se extendat, sicuti recte notat Viglius *Institutionib. de vulg. in princ. num. 4.*

Ideo autem I. exigitur, ut substitutio sit pupillaris, quia negligencia directo substituendi in codicillis, impuberi nequit imputari, qui ipse sibi prospicere non potest; est enim tota patris: propterea ne culpa patris filius laedatur, ejus negligentia aequitatis remedio emendatur, & vertitur in fideicommissum.

II. Quia pupillaris substitutio aetatem impubertatis non excedit, inde fit, ut cum vertitur in fideicommissum, nequeat eandem aetatem exceedere. Unde in d.l. Scævola expresse notatur, filium impuberem defecisse. Imo si pater expresse rogasset legitimos filii impuberis heredes, ut filii hereditatem alteri restituerent, id fideicommissum locum non habebit, nisi filius impubes decesserit, l. si fundum per fideicommissum, alias l. si Titio pecunia, §. fin. ff. de leg. 1.

III. Debet fideicommissum ad omnia pupilli bona se extendere, non ad ea solum bona, quæ a patre in filium pervenerunt. Nec enim verum est, quod Portius in tit. de Codicillis putat, id introductum esse in favorem patris, quia per fideicommissum patri succeditur, l. coheredes, §. cum filia, ff. de vulg. ignoravit enim posse etiam per fideicommissum succedi filio, ut in d.l. si fundum, §. fin. quod est in specie nostra, sicut enim pupillaris substitutio bona filii, & filii favorem respicit, ita quoque, cum vertitur in fideicommissum, bona filii, & filii favorem respicere debet. Præterea tunc per fideicommissum succeditur testatori, cum filius ipse de restituendo rogatus est; at hic non ipse pupillus, sed legitimi ipsius heredes rogati censentur, ut substitutis fideicommissum restituant; quo casu per fideicommissum filio succeditur, d.l. si fundum, §. fin.

His ita resolutis, facile appareat, quid in nostra questione respondendum sit, ubi substitutio pupillaris vel facta est a patre filio puberi, vel a matre filio impuberi, nempe standum regulæ, ut quæ ab initio nulla sunt, nullum quoque pariant effectum, cum non entis nullæ sint qualitates, l. e. ius qui in provincia, ff. si certum petatur.

Quod manifestum fit ex Papiniano in l. verbis civilibus, ff. de vulg. ubi verbis civilibus, sive directis substitutio pupillaris ultra XIV. annum frustra fit; quocirca neque ut vulgaris, neque ut fideicommissum substitueri potest; nam si ut quid ex illis valeret, male frustra fieri dicetur, imo satis utilis esset. Quocirca fit, ut substitutus, qui non admittitur ex substitutione, neque ut adjectus heres quandoque futurus fit; hoc est neque etiam erit coheres.

Neque putandum est cum Cujacio, substitutum non admitti, tanquam adjectum heredem, vivo pupillo, eo vero mortuo, admitti. Quod Cujacius elicit, ex illis, Quandoque non erit; verba enim textus sunt: Sed qui non admittitur, ut substitutus, ut adjectus heres quandoque non erit. Unde Quandoque erit, hoc est, mortuo pupillo.

Non

Non enim vir doctus animadvergit, verba illa Quandoque non in Jure nostro accipi pro nunquam, ut aperte patet ex §. mutui, *Institutionib. quibus modis re contrahitur obligatio*, ubi de mutuo hæc verba habentur: *Et quandoque nobis non eadem res, sed alia ejusdem naturæ, & qualitatis redduntur*. Sicut ergo ex hoc textu male quis colligeret, quandoque in mutuo restitui easdem res; ita in *d.l. verbis civilibus*, frustra colligit Cujac. substitutum quandoque ut adjectum heredem haberi. Etiam Philosophi notant, verba, Quandoque non, in materia necessaria significare, *nunquam*.

Utrum qui substitutus est vulgariter, & per
fideicommissum, habeat
electionem.

Q u e s t i o XII.

Ad L.Centario 15.

C Ommunis fere opinio est, contingente casu vulgaris substitutionis, id est, non adita per institutum hereditate, permittendum esse substituto, ut nihilominus cogat heredem adire, & hereditatem ex fideicommisso restituere, scilicet si nolit succedere Jure directo, & ex vulgari substitutione hereditatem obtinere. Ita Bart. in *L.Centario*, num. 38. ff. de *vulg.* post alios Mich. Crassus in §. *substitutio qu. 8. num. ult.* qui id ipsum esse docent, si substitutum sit vulgariter, pupillariter, & per fideicommissum; semper enim quæstio de duobus erit, scilicet de vulgari, & fideicommisso.

Probatur hæc sententia ex pluribus. Lex Paulo in *I. si quis servo, ff. de manumiss. testam.* ubi quoties servo libertas in testamento dupli modo relicta est, & directo, & per fideicommissum, in potestate servi est, utrum velit, libertatem ex directo habere, & fieri libertum orcinum, an potius ex fideicommisso ad eam pervenire, & fieri libertum heredis. Sed quoniam dici posset, hoc introductum esse favore libertatis, cuius gratia multa specialia in Jure nostro recepta sunt; ideo.

Probatur II. ex *I. rec. sare*, §. *Titius, ff. ad Trebell.* cuius species est. Titius heres fuit institutus, & eidem Sempronius vulgariter substitutus; tum ipse Titius si hereditatem adiulet, fuit rogatus, ut eandem hereditatem eidem Sempronio restitueret. Mortuo testatore, Titius noluit esse heres, ex quo factus est locus Sempronio vulgariter substituto. Quæsum est tamen, utrum Sempronius iste, si nolit succedere, ut substitutus, possit Titium institutum ex Trebelliano cogere ad adeundum, ut

hereditatem sibi ex fideicommisso restituat , veluti si substitutio sit libertatibus , aut legatis onerata ? Et respondit Ulpianus , Sempronium habere potestatem eligendi , adeoque posse heredem ad adeundum cogere . Imo addit Ulp. idipsum esse , si is , cui fideicommissaria hereditas relata est , non sit substitutus , sed legitimus heres testatoris ; nempe posse heredem institutum ad adeundum cogere , si malit hereditatem habere ex testamento , quam ab intestato .

III. Ex Theodosio in *I.fin.C.de Jure codicilli*. ubi si testator testamento clausulam codicillarem addiderit , heres , utrum velit , eligendi habet potestatem , nimirum an velit bona testatoris ex testamento tanquam heres , an potius ab intestato , ut fideicommissarius ; quamquam eidem de negetur posse utramque petitionem cumulare , & simul proponere , sicut etiam denegatur variatio , ubi alterutrum semel eligit .

Hæc quidem apertissime suprapositam conclusionem probant ; sunt tamen nonnulla animadvertenda cum Fabro dec. 34. err. 1. nempe non posse hodie heredem institutum cogi ad adeundum ex Trebelliano , ut dicitur in *d.l.recusare* , §. Titius ; propterea quod Justinianus in *auth.de heredib. & falc.* videtur in hac parte Trebelliani , seu Pegasiani dispositionem immutasse ; nam in §. si vero nullus , herede non adeunte concedit fideicommissario potestatem adeundi per se hereditatem , absque eo , quod accipiat e manu heredis .

Præterea , hodie nihil interesse , utrum fideicommissarius idemque substitutus hereditatem habeat ex lege Justiniani potius , quam ex vulgari substitutione ; quippe ibidem Justinianus statuit , fideicommissarium adeuntem per se teneri ea omnia præstare , quæcunque testamento illo præstari testator voluit . Non ita olim erat ; nam si substitutio erat libertatibus , aut legatis onerata , intererat substitutum hereditatem habere potius ex fideicommisso , *d.l.recusare* , §. Titius : Imo multo durius est , si ex lege Justiniani succedat , quam si ex vulgari substitutione ; quoniam succedendo ex Justiniani lege (verba Fabri sunt) omnia omnino præstare debet ; quæcunque testamento cuilibet , & quolibet modo relitta fuerunt ; at si ex vulgari substitutione succedet , ea tantum debet , quæ a se vel nominatim relicta , vel ex rescripto Severi tacite repetitæ sint , non etiam quæ ab instituto nominatim data fuissent . *I. licet Imperator* , ff. de leg. 1.

Ex his omnibus Fabro videtur dicendum , hodie amplius electio . nem non esse concedendam substituto , eidemque fideicommissario , cum cesset ratio illa Ulp. in d. §. Titius , de qua re vide latius apud ipsum .

De milite substituente filio ultra ætatem pupillarem.

Q u a s t r o X I I I .

Ad textum in l.Centurio 15.ff.eod.

Species est. Miles filio impuberi ita directo substituit: Filio meo intra. viceimum quintum ætatis annum decedente, Cagus heres esto. Et si quidem filius intra pubertatem obierit, nihil dubii est, Cajum ex pupillari ad omnia filii bona Jure communi admitti. At si obeat post XIV. annum, quamvis in testamento pagani certum sit, substitutionem post dictum annum omnino frustra fieri, *l. verbis civilibus, ff. de vulgari; ambiguum tamen est, quid dicendum sit, quoties substitutio facta a milite est, ut in nostra specie.*

Et ambiguitas oritur ex duabus libi invicem repugnantibus legibus; nam in *l.centurio, ff.cit.tit.* dicitur, *post eam ætatem XIV. anni, substitutum ex privilegio militum, patris dumtaxat bona capere, cum fratribus inventis in hereditate.* Prorsus ut Papinianus velit, substitutionem prædictam duplēcē esse, pupillarem, filio impubere, & quodammodo vulgarem, filio pubere decedente: illo casu substitutus succedit filio, isto autem patri. Cui dispositioni repugnat Diocletianus in *l.precibus, C. de imuberum;* nam quamvis concedat, filio post pubertatem decedente, substitutum admitti ad bona tantum patris; vult tamen ea capere *veluti ex causa fideicommissi;* quare legitimi filii heres censurantur rogati, ut hereditatem testatoris, detracta Trebellianica, restituant substituto.

Quæ antinomia adeo fortis visa est Antonio Fabro 15. conject. 12. & seq. ut in eam prolapsum sit sententiam, ut crederet, verba illa textus in *d.l.precibus, veluti ex causa fideicommissi,* debere expungi, tanquam a legulejo aliquo olim illi legi Diocletiane addita, contra omnem Juris rationem; ut qui nesciret ex privilegio militari substitutionem semper manere directam, primo ut pupillarem, secundo ex quadam similitudine ut vulgarem, ut in *d.l.centurio.*

E contrario Cujac. 12. obs. 17. opinatur, textum Papiniani in *d.l. centurio* capiendum esse non de vulgari substitutione, sed de fideicommisso, quod etiam Pileus docuit; nam cum ibi nihil expresse dicatur, quo Jure substitutus post pubertatem filii succedit, videtur dicendum succedere, non ut substitutum vulgarem, sed ut fideicommissarium *ex d.l.precibus,* quæ propterea mutilatione non indiget. Cujac. sequitur Fach. 4. contr. 44. Cui tamen opinioni illud obstat, quod in *d.l.*

con-

centurio, militis dispositio fuit directa, id est, *Cajus heres esto*, & quidem directa non solum in primo casu, sed etiam in secundo; & regula Juris est, ut militis voluntas servetur, cum de ea constat, *Iesus militis, ff.de milit. testam. cum concordantib.* & nos supra diximus.

Omissis itaque Accursii, Corasii, aliorumque opinionibus, probabilis videtur resolutio Christophori Castellionei, antiquissimi Jurisconsulti, quem sequuntur Fulgosius, Jas. & Curtius in *ad. II. Vigilius in tit. de pupillari, §. qua ratione, num. 13.* Emmanuel Suarez i. obs. i. aliquie, dum volunt verba illa *d.l. precibus*, *veluti ex causa fideicommissi*, non denotare veritatem, ut vulgo credunt, sed tantummodo similitudinem, secundum propriam verborum significationem, *DD. in l. 1. ff. de leg. 2.* & in *l. ex castrensi, ff. de peculio*. Quod roboratur ex eo, quia cum in Jure nostro de vero fideicommisso mentio est, simpliciter dicitur, *ex causa fideicommissi*, omessa particula, *veluti*, *l. cogi, §. ult. l. Scævola, ff. ad Trebell.*

Similitudo autem inter restitutionem istam bonorum directam, & fideicommissum, consistit in pluribus. I. Quia sicuti fideicommissarius non succedit heredi gravato, sed testatori, qui fideicommissum fecit; ita substitutus in nostra specie non succedit filio, sed patri ipsius militi.

II. Quia sicuti fideicommissum ex Jure Digestorum nequit fideicommissarius obtainere, nisi herede adeunte; ita in casu nostro substitutus militis bona non habebit, nisi filio adeunte.

III. Quia ut fideicommissarius, ita substitutus impetrare debet separationem bonorum testatoris, & heredis. Ex quibus appetet, hanc Castellionei explicationem recte procedere, quamvis Fabro ex studio contradicendi, displiceat.

Ceterum cum Papinianus ait, *filio moriente pubere, capi a substituto bona patris cum fructibus inventis in hereditate, queritur quinam isti fructus sint.* Et fere receptum est, eos esse, qui extant ex bonis patris eo tempore, quo filius moritur, cum alii ad filii pertineant Jure dominii, argumento ex *l. item veniunt, §. item non solum, & l. ult. ff. de petitione hereditatis.* in quibus regula statuitur, fructus omnes augere hereditatem, sive ante aditam hereditatem, sive post accesserint. Ita Soccini, hic, Alexander, Turaminus, aliquie.

**An nudum sui heredis nomen confirmet
tabulas pupillares.**

Q U A S T I O N E XIV.

Ad L. si filius 12. ff. de vulg..

Species est . Titius institutus heres a patre , sub cuius potestate erat , usus beneficio Prætoris , ab hereditate se abstinuit , & in ætate pupillare decepsit . Erat ei in eodem paterno testamento datus substitutus pupillaris . Quæstio est , utrum hic ex ea substitutione filio decedente succedat , an potius filio abstinentे , totum testamentum redditum sit caducum ? Diu multumque de hac re inter veteres , novosque Jurisconsultos certatum est .

Et quidem Antonius Faber varius fuit ; nam 2. conject. 2. tabulas pupillares confirmari negavit : in qua sententia non manlit , nam *decede 3.2. err. 1.* recantare non dubitavit , voluitque sine sui heredis immissoione tabulas pupillares valere . Idipsum docuit Schifordegherus lib.2. tract.2. Donellus 6. comm.25. Hotom.9. obs.10. Cujac. lib.3. qq. Pap. in *L. si filius 12. ff. de vulg.* Santolaria *interpr.* 10. post Bart. in *L.2. ff. cit. tit.* Quæ tententia vera est , quamquam non omnia , quæ pro ea adducuntur , æqualis momenti sint .

Nam illud argumentum probare non possumus ; quod desumunt ex *L. si filius 12. ff. de vulg.* ubi hæc habentur : *Si filius , qui patrī , ac postea fratri ex secundis tabulis heres extitit ; hereditatem patris recusat , fraternam autem retinere malit , audiiri debet.* Loquitur Papinianus de filio suo herede , qui usus beneficio recusat hereditatem patris , postquam eidem heres de Jure civili extitit ; filius enim in potestate statim a morte patris , etiam inscius , vel invitus , suus & necessarius heres est patri , *I. in suis , ff. de suis & leg. ber.* Et tamen Jurisconsultus *secundis tabulis* robur suum tribuit . Cur ita ? Nempe , ajunt , quia nudum sui heridis nomen confirmat tabulas pupillares . Ita Faber *loc. cit.* Schifordegherus *quæst.3.* aliique .

Has tamen doctorum virorum nugas satis mirari non possumus . Quæstio enim , utrum tabulae pupillares remaneant firmæ , est ubi patri nullus heres ex testamento extitit ; scilicet si solus impubes scriptus heres est , & is abstinet : vel eo exheredato , alter filius instituitur , qui se abstinet . Quod si impubes coheredem habeat ; ipse abstinet , alter vel repudiat , vel abstinet . Non est hæc species Papiniani , ubi patet duos sibi scriptis heredes filios , Primum , Secundum . Primus suspestat dicens

ob ea alienum patris hereditatem, eandem recusavit. Non ita Secundus, qui Jure accrescendi in totum assem patri heres fuit, ut patet ex eo, quod Jurisconsultus subdit, facto casu substitutionis pupillaris, Primum quæsisse separationem bonorum Secundi, cui erat substitutus, a bonis paternis, in qua Secundus successerat. Ait enim: *Justus enim Praetorem facturum existimo, si fratri separationem bonorum patris concederit.* Habet ergo pater filium Secundum heredem; quare tabulae pupillares firmæ fuerunt, non quia nudo nomine sui heredis confirmatae, ut comminiscuntur: sed omnino, quia filius pupillus heres extitit, licet frater recusaverit. Hoc igitur argumento omisso.

Firmum argumentum extat apud Julianum in *I. filius 41. ff. de acq. hered.* Ejus hæc verba: *Filius, qui se paterna hereditate abstinuit, si exherediti fratri hereditati se immiscuerit, & pro herede gererit: poterit ex substitutione hereditatem obtinere.* Species est. Quidam duos filios in potestate habens, unum sibi scripsit heredem, alterum exheredem esse voluit, cui in ætate pupillari decedenti substituit eundem fratrem, quem sibi heredem scriperat. Quod licite fit, §. non solum, *Institutionib. de pap. subst.* Patre mortuo, filius scriptus heres ex beneficio Praetoris abstinuit; nam abstinere dicitur filius in potestate, scriptus heres, ubi paternam hereditatem recusat. Hinc ab intestato patri succedit filius, qui exheres scriptus fuerat; & mox obiit, antequam in suam tutelam veniret. Quæsitum est, an tabulae pupillares robur habeant? Julianus ait, fratrem superstitem ex substitutione admitti, non modo ad una fratri pupilli bona, sed etiam ad hereditatem, quæ ei ex patre ab intestato observenerat, licet jam ab ea abstinuisse. Hic solus filius est heres institutus: is idem abstinet: corruit propterea institutio: & patri filius alter exheredatus ab intestato succedit. Eo non obstante, secundæ tabulae valent, confirmatae a nudo sui heredis nomine.

Eadem sententia probatur ex *I. si filius 42. alias Julianus, ff. cit. tit.* ubi filius pupillus se us fuit heres institutus, isque idem abstinuit. Hoc tamen non impedit, quominus eo in pupillari ætate decedente possit extraneus ex secundis tabulis ejus hereditatem consequi.

Denique hæc omnia confirmantur ex Jaboleno in *I. paterfamilias 12. ff. de privilegiis credit. alias 28. ff. de reb. auctorit. Judic. poss.* in cuius specie cum filius impubes ex toto asse institutus esset, ac patris hereditate se abstinuisse; nihil minus substitutus pupillaris admittitur. Hanc Jaboleni sententiam latius persequitur Fab. *dec. 3 1. err. 8. juncta dec. 3 2. er. 1.*

Nec sane alio dicit aperta Juris ratio. Nam tametsi suus heres beneficio Praetoris abstineat, tamen de Jure civili non est sine herede, qui suum heredem habet, *I. cum quæsi 30. §. sed et si suus, ff. de fideicommiss. libert.* Abstensionis enim beneficium est ex Praetoris Jurisdictione, *I. necstariis 57. ff. de acq. heredit.* Jam Praetor heredis nomen adimere no-

po-

potest , sicuti nec dare , §. quos autem , *Institutionibus de honorum possessionibus*.

In contrarium tamen nituntur Viglius in §. i. *Institution. de vulg.* Alciatus in d.l. si filius 12. num. 11. Goveanus ad l.2. ff. de vulg. num. 28. qui & ipsi & rationum momentis , & legum auctoritate pugnant ; si enim existentia sui heredis confirmat tabulas pupillares , quia adhuc heres est , cur vel Juri accrescendi , vel vulgari substituto locus fit ? Cur legata in secundis tabulis relicta tutione dumtaxat Prætoris valent ? ut in d.l. si filius .

His rationibus adversarios Goveanus premit ; a quibus haud scio ; an ullus haec tenus se extricare potuit . Mihi tamen plana deliberatio videtur , & facilis . Dicimus , Prætorem naturali æquitate motum , concessisse Jus abstinenti pupillo , ut ipsi faveret , ne dum patris hereditatem habet suspectam , invitus ære alieno patris prægravaretur , d.l. si filius 12. Filio ergo abstinenti , Prætor eum heredis loco non habet , l. si filius 12. ff. de interrog. a. Proinde vel vulgari substituto locum facit , vel suam partem coheredi Jure accrescendi defert . Si ita est , cur tabulas pupillares substitinet ? Causam ejus rei dicam . Tabulæ pupillares nunquam in odium pupilli tendunt , ut tendit interdum institutio , cum scilicet paterna hereditas suspecta est . Est enim pupillaris substitutio moribus introducta in ipsis pupilli merum favorcm , ut testatus decedat , §. nam moribus , *Institutionib. de pupill.* Et quod in alicujus favorem introductum est , non debet in ejus odium retorqueri , l.3. §. causæ , ff. de Carb. editio . Hæc ergo est ratio , cur Prætor , qui institutionem infirmat , ratas deinde tabulas pupillares habeat . Hinc etiam intelligimus , quo sensu intelligi debeat , legata in secundis tabulis relicta Prætorem tueri ; nam & Prætor est , qui tabula ipsas tuetur . His rebus perpensis , in promtu sit reliquis etiam ratione facere satis , quas Goveanus , & Faber in conjecturis cumulant .

Sed videamus , an legum auctoritates , quas nunc facere putant , evincant .

Afferunt l. locum Ulpiani in l. sed si plures 10. §. si ex aſſe. ff. de vulg. ubi legitur : *Nec enim valet filii testamentam , nisi patris adita fuerit hereditas : nec sufficit ad secundorum tabularum vim p[ro]p[ter]e factum esse testamentum , ut ex eo adiri hereditas possit .* His accedit , quod Alphenus dixit l.2. §. quisquis , ff. cit. cit. *Nisi adita patris hereditas sit , papillare testamentum evanescit.*

Nihil est , quod minus urgeat ; his enim Jurisconsultis sermo est ; quando filius in potestate est exheredatus , & pro ex eo extraneus est institutus heres . Ecce Ulpiani verba : *Si ex aſſe heres institutus , filio exheredato substitutas , repudicaverit patris hereditatem , cum non haberet substitutum , non poterit filii hereditatem adire .* His subnectit eam rationem : *Nec enim valet , &c.* Palam est , heredem institutum fuisse

extraneum, nam de herede repudiante, & adeunte Jurisconsulti loquuntur : quæ verba in heredem suum non cadunt . Quid ergo mirum , si filio exheredato , & herede extraneo , qui ex asse fuerat institutus , repudiante ; totum testamentum corruit , & caducum fit ? tunc enim , filio exheredato , substinentur tabulæ pupillares , ubi heres ex asse institutus , suus heres est ; eo enim se abstinentे , nudum sui heredis nomen tabulas pupillares confirmat , d.l.filius 41.

Urgent II. auctoritatem lapud Julianum 11. §.1. ff. ad Senatusconsultum Trebell. ubi Ulpianus ex Juliani sententia scribit , filium posse cogi adire patris hereditatem , ab eo , cui fideicommissum in secundis tabulis relictum est , ut ea ratione confirmatis tabulis pupillaribus , peti a substitutis fideicommissum possit .

Vaties se torquent DD. ut ab hac difficultate se expediant . Cujaeius 26. obs. 1. ad emendationem , tanquam ad sacram anchoram , confugit , & ubi legitur , *Cum filio ejus impubere , addit , exheredato . Nempe , ait , si filius institutus heres sit , ἀνάφενος filii sui heredis tabulas confirmat satis . Idipsum , suppresso Cujacii nomine , auguratus est Faber dec. 3. l. err. 8. circa finem . Alio & alio se vertunt Schiford. q. 10. Valentia ad tit. de acq. hered. cap. 7. num. 21. Contius in l. virum , num. 98. C. de fideic. Placet omnino , quod habet Santolaria d. interp. 10. num. 16. qui monet hic a Juliano non agi simpliciter de secundis tabulis , & de legatis in eis relictis ; quæ omnia a nudo Jure civili dependent , ex quo existentia sola sui heredis satis est , ut tabulæ pupillares confirmantur . Sed agi præterea de fideicommisso in his ipsis tabulis relecto . Hoc in causa est , ut nudum sui heridis nomen non sufficiat , sed omnino aditio requiratur . Nam Prætor est , qui fideicommissum restituti cogit , & Prætor filium pro herede non habet , nisi se immisceat , l. i. §. qui sunt , ff. si quis omissa causu testamenti . Itaque ex Prætore immiscione filii opus est , ut testamentum valeat , ut tabulæ pupillares confirmantur , ut in subsequentibus patebit latius .*

De cogendo herede ut adeat , ubi tabulæ
pupillares adsunt , & simul fidei.
commissum factum est .

Q U E S T I O X V.

Ad Alphenum in l.moribus 2. §. interdum , ff. eod.

UT res hæc satis involuta possit evolvi , plures casus distinguendos putamus , qui licet similes videantur , longe tamen inter se distant . Et quidem prius ita se habet . Pater condito testamento , Primum sibi scripsit heredem , filio impubere exheredato , cui tamen pupillariter substituit eundem Primum , quem rogavit , ut filii hereditatem restitueret Secundo . Accidit , ut Primus suspectam dicat hereditatem patris , eamque adire recuset ; ex quo totum testamentum una cum pupillari substitutione , & fideicommissio corruit ; nam non adita patris hereditate , pupilli testamentum evanescit , ut hic §. quisquis autem .

Quæritur ergo , an Secundus , qui est fideicommissarius possit Prætorem adire , eumque regare , ut Primus institutus , idemque substitutus adeat , ad hoc , ut confirmatis tabulis pupillaribus fideicommissum constat ? Et quidem quæstio est , si jam pupillus decessit ; nam si adhuc vivat , improbe facit , qui de viventis hereditate sollicitus est , ut in nostro §. interdum , l. ita tamen , §. a patre , ff. ad Trebell. Unde Philippus Junior Macedonum Rex ita queritur cum filiis apud Livium lib. 40. Vivo & spirante me hereditatem meam ambo & spe & cupiditate improba crevissis . Et respondendum est , Primum posse cogi adire .

Hoc sane est , quod hic habet Alphenus , cujus verba sunt : *Interdum etiam pupillaris testamenti causa compellendum heredem institutum adire hereditatem , at ex secundis tabulis fideicommissum convalescat , ut puta si jam pupillus decessit .* Ratio dubitandi fuit , quia fideicommissum ex filii exheredati bonis relictum nullius est momenti . Quod habetur ex Papiniano in l. cohered. 41. §. quod si , ff. eod. ubi si pater filium exheredaverit , & ei nihil reliquerit , nullum fideicommissum erit . Filio ergo exheredato pupillariter substitui potest , quia substitutio favor & honor est : fideicommitti vero non potest , quia fideicommissum onus est , & onerare non possum , quem non honoro . Hæc tamen ratio cessat in specie nostra , ubi substitutus impuberis , est etiam heres institutus patris ; propterea recte ab eo substituto fideicommissum relinquitur , ut monuit Goveanus hic n. m. 2.

Hujus quoque fideicommissi causa cogetur adire a Prætore , qui fideicomissa tuerit , non vero causa substitutionis pupillaris ; substitu-

tiones enim, prout a Jure civili admissæ, ad Prætoris curam non pertinent. Et verum est, modo fideicommissum universale sit; nam propter singularia fideicomissa non cogit Prætor adire, *l. cogi, ff. ad Treb. l. si quis omisca, ff. si quis omisca causa testamenti.*

Ceterum hic obiter meminisse oportet, ut filii in officio contineantur, duo patri a legibus permissa esse, unum dum vivus ipse est, alterum cum moritur. Licitum est enim patri vivo abdicare filium, quem vestibus spoliatum e domo ejicit, qui a quoquam recipi non potest sub pena læse Reipublicæ; et si ab eodem patre, gratia inita, recipi iterum possit. Causæ abdicandi sunt, si filius noctu foris cubuit, si cominatur, si libidini incumbit, & similes. Hæc tamen abdicatio hodie sublata est, *l. abdicatio, C. de patria potestate, ubi Gothofred. Alciat. 2. dispunct. 28.* Est quoque licitum patri, cum moritur, filium in testamento exheredem scribere. Et hæc exheredandi potestas olim ampla erat; nam pater novercæ blanditiis delinitus filium poterat exheredare, licet filio succurreretur quærela testamenti inofficioli, *l. 4. ff. de inoff. testam.* Hodie exheredatio, nisi ex vitiō ingratii, licita non est; quare cum infilium impuberem id vitium non cadat, ejus exheredatio hodie non vallet, saltem quia per heredem scriptum causa ingratii vera probari non potest, *§. aliud quoque, aut b. ut cum de appellat.* Hæc notata volui, ut intelligamus, hujus nostri §. casum hodie consistere non posse.

Secundus casus est, ubi filius est institutus heres. Et hic iterum dividitur in duos; nam vel fideicommissum in summa cera relictum est, vel in ima.

Primo itaque dicamus, ubi fideicommissum in summa cera relictum proponitur. Finge, Pater institutum filium pupillum rogavit heredem tatem restituere: tum in ima cera ex pupillari eidem substituit. Quo casu, si filius abstinet se, corruit institutio, & cum ea fideicommissum in summa certa relictum. Ne id accidat, succurrit fideicommissario Senatus-consultum Trebellianum, ut filius a Prætore compellatur miscere se hereditati, sic deinde restituere, *Ulpianus in l. recusare 6. §. 1. ff. ad Trebell.* Ex quo etiam pupillares tabulae suscitantur; nempe, quia pars sunt prioris testamenti; quæ sententia contra Scævolam obtinuit, tecum Paulo in *l. qui plures 38. §. 1. ff. de vulg. & pupill.*

Ratio hujus coactionis est; quia fideicommissorum restitutions, quæ misti imperii sunt, & ut introductæ ex bono & æquo, jubebantur a Prætoribus iis, qui specialiter dicti sunt *Prætores fideicommissarii*, quos duos D. Claudius constituit, unum Titus detraxit, *l. 2. §. deinde Cornelius, ff. de orig. Jur. Coram his fideicommissarius cogebat heredem adire, & restituere, l. 4. l. 13. & passim in tit. ff. ad Trebel.* Jam ubi filius institutus heres, beneficio Prætoris se abstinet, licet adhuc de Jure civili heres sit, a Prætore tamen amplius pro herede non habetur, *l. 1. §. qui sunt, ff. si quis omisca causa testamenti.* Quod mirum non debet videri iis, qui diversas vias, per quas Prætor, & Jus civile procedunt, non ignorat. Ecce, qui de non

pe-

petenda pecunia cum creditore suo paciscitur , eam adhuc de Jure civili debet : at de Jure Prætorio jam liberatus est , l.3. §.1. ff. de constit. pecun. l. creditoris , C. de pastis ; Prætor enim in edicto proposuit , *Pastæ conventiona servabo , l.Jurisq. §.Prætor , ff.de pastis.* Testamentum , ubi filius in potestate est præteritus , de Jure civili nullum omnino est : Prætor tamen ut validum habet , & contra illud bonorum possessionem Contra tabulas impetratur , l. maximum vitium , C. de lib. præter. Nempe , quia de Jure Prætorio testamentum validum est , si ob-signatum sit , Ulpianus in fragm. tit. de possessionibus dandis , §.etiam si . Etiam si , inquit , *Jure civili non valeat testamentum , forte quod familiae mancipatio , vel nuncupatio defuit , si signatum testamentum sit , non minus quam septem testium Civium Romanorum signis , bonorum possesso datur .* Nam præter eam solemnitatem , nullam aliam Prætor exegit , §.sed prædicta , Institutionibus de testamentis , l.2. §.exegit , ff. cit.tit. Videndus Ulpianus in l.filius præteritus 12.ff.de injusto rupio , & in l.patriis 20.ff.hoc tit. Modestinus in l.si filius familias 19.ff.de testamentis.

Itaque , ut ad lineam redeamus , quia universalis fideicommissi restitutio injuncta est heredi , & ab herede ex Senatusconsulto Trebelliano facienda est : & quia Prætor filium , qui se abstinet , pro herede non habet ; ideo eum se immiscere cogit , ut ita heres de Jure Prætorio factus , restituat , d.l.recusare , §.. Sic multa ex suis Edictis Prætor Juri civili immiscebatur . Exemplum ex hoc ipso Senatusconsulto proferamus : quod de iis actionibus transferendis loquutum est , que Jure civili heredi , & in heredem competit ; tamen dum Prætor fideicommissum restituji jubet , etiam actiones honorarias , quas ipse in Edictis proposuit , Juri civili incognitas , transire voluit : imo naturales quoque obligaciones , quas æquitate motus tuetur , l.quamvis 40. ff ad Trebell.

Interim me non latet , Prætoris cognitionem esse solum , ubi de minoris summa fideicommissis agitur : majorum vero cognitionem sibi vindicasse Consules , ut monet Cujacius 2.1. obs.34. ex Quintil. Instit.6. Non debes , inquit , apud Prætorem petere fideicommissum , sed apud Consales ; major enim præatoria Jurisdictione summa est . Et hoc referenda sunt verba l.cum quidam , §.1. ff.de Jurisdictione. Quoties de quantitate ad Jurisdictionem pertinente queritur , semper quantum petatur : querendum est , non quantum debeatur . Quæ delimita sunt ex Ulpian. lib.6. fideicommissorum . Hinc intelligimus , quod nemo notavit , cur idem Ulp. in l.ille a quo 13. §.penult. ff. ad Trebell. quæsierit , an Consul institutus heres , si suspectam hereditatem dicat , cogi per Consullem possit adire , & restituere , & an Prætor per Prætorem Statuit Principale auxilium implorandum esse . In Provinciis fideicommissum prestatur per Jurisdictionem (non quidem simplicem , sed mistam) Præsidis , l.si res obligata , ff.de leg. 1.

Hæc ipsa locum habent , ubi fideicommissum in ima cera relictum est :

et : puta si substitutus filio pupillo , fideicommissum restituere rogatus est . Egit de hac re Ulpianus in *I.apud Julianum 11. §.1. ff. ad Trebell.* Proponit duos heredes simul cum filio impubere institutos , cosdemque substitutos filio , & fideicommisso gravatos . Dubitat , an fideicommissario liceat institutos ad adeundum cogere ? Et respondet , sufficere ei , qui fideicommissum in secundis tabulis accepit , unum ex hereditibus institutis cogere adire patris hereditatem . Et rationem in hæc verba reddit : *Hoc enim factò , confirmatisque primis tabulis , poterunt ex substitutione ambo cogi adire , & restituere hereditatem .* Ubi vides discrimen inter Jus civile , & prætorium . Ex illo nudum sui heredis nomen confirmat tabulas pupillares : ex isto id satis non est , ubi scilicet in secundis tabulis fideicommissum relictum est , quod ex Prætoris Jurisdictione restituendum sit . Nam filius ex Prætore heres non est , ubi abstinet ; de Jure tamen civili adhuc heres est , ut jam diximus . Et hæc est vera hujus legis interpretatio , quæ ab omnibus desperata dicitur a Schif. lib.2. tract.2. qu.7.

Hæc tamen omnia Julianus ipse , sibi parum constans , subvertere videtur in *I.lita tamen 27. §. si pater , ff.ad Trebell.* ubi : *Si pater filium , quem in potestate habebat , heredem scripserit , & ab eo petierit , ut hereditatem Sempronio restitueret , isque suspectam sibi esse dicat , poterit ex Trebelliano Senatusconsulto hereditas restitui . Quare et si non immiscuerit se hereditati , nihil minus actiones , quæ ei , & in eum competebant , ad Sempronium transferentur .* Ut ab hac difficultate se expeditat Schif. q.9. discrimen statuit inter spontaneam fideicommissi restitutionem , & coactam : illam ait fieri posse a filio suo herede , et si se non immiscuerit , cum fiat ex Jure civili , quod fideicomissa rata esse jubet : hanc , nisi præcesserit immixtio , fieri non posse ; quia cum Prætor ad eam , suam interponat auctoritatem , opus est , ut filius coactus adeat , ut sit heres , & fideicommissum confirmetur . Sequutus est Santo , Iatia num. 18.

Quæ solutio videtur infirmari ex eo , quia filio se abstinente , legata corrunt , *I.virilis portio 8. § si adierit , ff.de legatis praestandis .* Cur ergo fideicommissum non corruit , & filius sciens volens , non expectato Prætoris Jussu , illud recte restituit ? Responderi tamen potest , discrimen versari inter legata , & fideicomissa ; nempe filio abstinente , legata omnino corriri , nec a filio etiam volente restitui posse , quia legata Prætor non tuetur , nisi quis in fraudem hereditati renunciet , ut ab intestato heres sit , *I.1. ff. si quis omisca causa testamenti , &c. secus vero esse in fideicommissis , quæ filio abstinenti permittitur restituere , si velit ; nam si nolit , cogetur a Prætore adire , & restituere .* Itaque legitimus testatoris heres , qui filio remoto succedit , vel substitutus vulgariter filio , queri non potest de fideicommisso sponte restituto a filio , cum a Prætore ad restituendum filius cogi potuisset : at justè queretur de solutis spon-

sponte legatis, ad quæ præstanta filius per Prætorem cogi non poterat.

Substitutus ex pupillari succedit, teneatur respondere creditoribus.

Q U A S T I O XVI.

Ad L. si filius 12. ff. de vulg.

INSTITUTA HÆC pugna est primum inter Marcellum, & Julianum: tum gravissime exarsit inter Jurisconsultos, qui sequuti sunt, aliis pro Marcellō stantibus, aliis pro Julianō. Sed nunquam fortius vexata, quam hisce nostris temporibus. Nos de aliorum opinionibus parum solliciti, eam sedare, & componere conabimur, distinguendo casus, quæ Jure merito debent distingui.

Species ita ex Juliano proponenda est. Pater, qui duos habebat filios, Primum, & Secundum, vel Primum ex asse instituit, exheredato Secundo, vel utrumque sibi scripsit heredem. Primus suspectam dicit hereditatem patris, & recusat: ut ita hereditas ex integro delata sit Secundo, vel Jure accrescendi, ex testamento si fuit pro parte institutus: vel ab intestato, si fuit exheredatus. Tum in ætate pupillari deeedit, & ei ex substitutione quam pater fecerat, succedit frater, idest Primus. Quæritur, an is creditoribus paternis respondere teneatur? Hanc esse speciem Juliani, patet ex Ulpiano in l. quæstum 40. ff. de acq. hered.

Julianus scripsit: *Incidere eum in Edictum, si se immiscuerit im-
puberis hereditati.. Nam quis judicium parentis opugnaverit, non de-
bet ex eadem hereditate quidquam consequi.* Intelligit Edictum Prætoris, *Si quis omis̄a causa testamenti, ab intestato, vel alio modo possideat her-
editatem;* quod etsi loquatur de eo, qui omittit causam testamenti, ad hoc ut eos circumveniat, quibus quid ex judicio defuncti relictum videri potuit, tamen Jurisconsulti ex mente Prætoris, illud etiam in eum casum traxerunt, cum quis institutionem omittit, ut creditoribus defuncti fraudem faciat, ut hic, & in d.l. si pupillus 42. ff. de acq. hered. Ceterum ille non dicitur omittere causam testamenti in fraudem, qui quasi ex voluntate testatoris videtur omis̄isse, l. quia autem 6. in princ. ff. si quis omis̄a causa testamenti.. Exemplum esto ex l. i. §. si proponatur, ff. cit. sit. ubi qui fuit institutus, & si heres non erit, ipse idem sibi substitutus, prætermisit institutionem, & adiit ex substitutione. Dicitur non incidere in Edictum, *quasi testator hanc ei dederit facultatem, qui eum substituit;* videtur enim eum voluisse vel institutum, vel substitutum. Ex his vis argumenti, quo Julianus usus est, jam apparet; nam in spe-

specie Juliani, cum testator non substituerit institutum sibi ipsi, sed fratri, videtur cum voluisse & institutum, & substitutum; quare ubi omittit causam testamenti, ut institutus, jam videtur impugnare iudicium parentis. Facit ergo contra Edictum, si ex substitutione velit succedere fratri: proinde creditoribus paternis respondere cogitur.

Idipsum sensit Julianus in alia specie, quæ habetur in d. l. si pupil. lus 42. Pone pater filium impuberem, quem solum habebat, instituit heredem, eidemque Titium pupillariter substituit. Pupillus paterna hereditate se abstinuit, & antequam in suam tutelam venisset, obiit. Julianus voluit, substitutum compellendum esse creditoribus paternis respondere, & patris onera subitum: non etiam legitimum heredem, si forte substitutus desit. Tamen ratio, qua motus Julianus est, ibidem non exprimitur. Et sane ea esse non potuit, quam in superiori specie protulit; non enim hic substitutus in Edictum incidisse dici potest, ut qui institutus non fuit, sed substitutus solum. Nec ea certe fuit, quia filius in potestate, ubi beneficio Praetoris abstinet, adhuc de Jure civili heres est, l.i. §. qui sunt, ff. si quis omisso causa testamenti. Et beneficium non concessum cause, sed persona, in heredes non transfit, l. privilegia, ff. de reg. Jur. Non, inquam, fuit; quia eadem de causa, legitimus heres creditoribus paternis pupilli respondere obligatur.

Verius est, Julianum nixum eo, quod substitutus venit ad hereditatem pupilli judicio patris substituentis, non etiam ex sola legis dispensatione, sicut venit legitimus; quare absurdum non est, eundem substitutum creditoribus ejusdem patris obligari.

Ceterum has species, primam, & secundam, diversas esse, & longe inter se abire, palam est; tum quia prior proponitur in l.40. posterior in l.42. tum etiam, quia diversa est decidendi ratio in una, atque in altera: tandem, quia Notæ Marcelli diversæ sunt, ut jam videntur est.

Itaque Marcellus ad primam speciem Juliani notat, referente Ulpiano in d.l.40. Sed Marcellus eleganter distinguit, multum interesse, utrum ex ase fuerit institutus in patris testamento, an ex parte: ut se ex parte, potuerit sine metu, remota patris successione, impuberis hereditatem amplecti. Duo ait, unum tacite, alterum expresse. Tacite, ut hinc exordiar, si filius sit ex ase institutus, fratre pupillo exhereditato, & eidem sit pupillariter substitutus, & accidat, institutum omittere hereditatem, quæ tota alteri ab intestato obveniat; cum is idem fratri ex substitutione vult succedere, cogitur patris onera subire. Et in hac Marcellus Juliano consentit; quare in hac specie Juliani ratio recte procedet, idest, substitutum incidere in Edictum.

Expresse. Si ambo filii sint a patre instituti heredes, & alter ex his partem suam recusat, ita ut tota Jure accrescendi fratri deferatur; ubi

ubi factus est substitutionis casus , potest sine metu creditorum impuberis hereditatem amplecti . Et hic a Juliano Marcellus dissentit . At quid est , quod ait , *Remota patris successione?* Ad quæ verba vulgo non attendunt . Nempe tunc non adesse metum , ne vexetur a creditoribus , si petat separari bona pupilli a bonis paternis , ut iitis remotis , ea quæ fuerant pupilli , solum accipiat . Hoc est , *removere patris successionem* . Quare si frater istam separationem non petet , reincidet res ad primum casum , & substitutus incidet in Edictum.

Et hæc interpretatio est Papiniani in *I. si filius 12. ff. de vulg.* quæ hic expendenda est : verba sunt : *Si filius , qui patri , ac postea fratri ex secundis tabulis heres exitit , hereditatem patris recuset , fraternalm autem retinere malit , audiiri debet . Justius enim Prætorem facturam existimo , si fratri separationem bonorum patris concesserit . Species eadem est , quæ Juliani , decisio eadem , quæ Marcelli . Sermonem habet Papinianus de filio , qui patri heres exitit , scilicet ipso Jure , ut qui suus heres erat ; de facto tamen , postquam heres extitisset , abstinuit ; prorsus ut tota hereditas paterna tota ad fratrem pervenisset ; de quo Papinianus nihil habet , utrum institutus fuerit , an exheredatus ; nihil enim interest : quippe semper eadem decidendi ratio erit , sive frater hic sit ex teste heres ab intestato , sive partim Jure institutionis , partim Jure accrescendi . Deinde frater antequam in suam tutelam venisset , decebat , relieto substituto pupillari fratre suo , qui coram Prætore petiit , ut sibi liceret retinere bona propria fratri , & rejicere bona paterna , quæ ad eundem fratrem pervenerant . At cur , coram Prætore ? Nempe , quia de Jure civili certum est , frustra omnino hanc separationem petiit ; cum enim substitutus pupillaris sit heres pupilli , §. igitur , *Inst. de fab. pupill.* in omne Jus pupilli succedere debet , *I. x. 1. 1. 1. ff. de verb. signif.* ubi enim bona paterna ad filium pervenerunt , j. m. in filii patrimonio sunt ; unius enim unum est patrimonium , *I. Juriscons. §. 1. ff. de excusat.* Hac ergo de causa , frater Jure civili omisso , adiit Prætorem , & ab eo separationem bonorum patris , & fratri petiit . Quæsitum est , an eam Prætor ex æquitate concedere posset ? Respondet Papinianus posse . Et hoc est , quod dixerat Marcellus , fratrem , *remota patris successionem* , posse ad bona fratris tantum admitti , ex substitutione pupillari . Eadem ergo species est , eadem decisio . Et nota sunt Papiniani verba , cum ait : *Justius enim Prætorem facturam existimo , si fratri separationem bonorum patris concesserit* ; et si enim justum Jus civile sit , justum etiam Prætorium ; tamen Prætorium justius dicitur . Aristoteli *βέλτιον μέίον δίκαιον βέλτιον δίκαιος. Justum melius justo.**

Rationem hujus decisionis prætermisit Marcellus ; nam , ut Seneca ait , *Jurisconsultorum responsa valent , etiamsi ratio non reddatur* . Eam tamen nobis non invidit Papinianus , qui unam , & alteram affert . Prior est : *Etenim Ius dicentis propositum est , liberos oneribus hereditariis non*

sponte suscepitis liberare, vos invitatos ab hereditate removere. Sensis est, si Prætor hanc bonorum separationem fratri non tribuit, utique eum invitum arceret a bonis fraternis; cogeretur enim is ea recusare, quando alia via a creditoribus patris se eximere non potest. Hoc autem est contra Prætoris propositum, qui beneficio suo liberis concedit posse se abstinentem a bonis patris, ne ab ejusdem creditoribus vexarentur. Adde, filius, qui abstinuit ab hereditate patris, inane hoc beneficium experietur, si deinde bona patris a fraternis non separaret; cogeretur enim creditoribus paternis respondere, quorum tamen metu abstinuit.

Posterior Papiniani ratio est: *Præscriptum, cum remotis secundis tabulis, legitimam haberet fratris hereditatem.* Vis argumenti in eo est. Cum Prætor substatueret secundas tabulas ob utilitatem ipsius pupilli, certe videretur id facere in odium fratris, si separationem denegaret, Fac enim, secundas tabulas corrue, ad pupilli bona frater ab intestato admitteretur. At separatione denegata, frater ob metum creditorum patris, ab omni pupilli hereditate arceretur, & bona etiam fraterna amitteret. Quare substatuentur hoc casu tabulae pupillares in odium fratris. Quod non videtur dicendum.

Fuit bonorum separatio a Prætore introducta pro hereditatis creditoribus, quibus sufficiunt bona defuncti, quæ non sufficerent, si & in eorum possessionem mittentur proprii creditores hereditis, forte mediocris, vel egeni, ut in *I. i. ff. de separationibus*, Hoc quia æquissimum visum est, translatum deinde fuit ad alios, veluti ad necessarium heredem, ne creditores hereditarii etiam vendant bona ejus propria, quæ post domini mortem acquisivit, vel quæ ei dominus debuit: ita etiam ad legatarios, & ad patronum heredem libertæ, quæ Titio exempli gratia heres extitit, ne creditores Titii etiam vendant alia libertæ bona: sic etiam ad castrenses creditores, ut separentur a paganis, aliquosque, quos recenset Accursius in *d.l.i. in prisc. v. Decreto Prætoris*. At jam vides, coaccedi etiam ei, qui fratri pupillo sit substitutus.

Ex his Papinianus ita concludit: *Itaque legata dumtaxat ex secundis tabulis præstari debent, habita ratione facultatum in Falcidia non patris, ut alias solet, sed impuberis.* Nempe ubi frater substitutus pettit, & impetravit a Prætore separationem bonorum patris, & fratris pupilli, utique ex hoc beneficio consequitur, ut non obligetur præstare legata in primis tabulis a patre relictis, & quæ ipsam patris substantiam onerant. Obligatur solum præstare legata relicta in secundis tabulis, quæ pupilli hereditatem afficiunt. Proinde in ineunda ratione legis Falcidix, videndum est, an legata excedant dodrantem bonorum ipsius impuberis. Quod si separatio petita non fuisset, tunc licet legata secundarum tabularum de pupilli hereditate præstentur, tamen ratio habetur facultatum ipsius testatoris, *in ratione, s. quod vulgo, ff. ad I. Falc.* ubi Goveanus.

Alia

Alia longe diversa est nota Marcelli ad secundam Juliani speciem, eaque refertur ab Ulpiano in d.l.s*i pupillus* 42. quæ in Pandectis Florentinis incipit, Julianus. Itaque cum Julianus dixisset, ut jam retulimus, substitutum extraneum pupilli abstinentis debere patris pupilli onera subire, & paternis creditoribus respondere; impugnat eum Marcellus I. ex absurdo, quod inde oriretur. Absurdum est, quia substitutus metu onerum, hereditatem pupilli, hoc est, privat eum testamentario herede; ergo docet substitutum pupilli abstinentis cogi patris pupilli creditoribus respondere. II. impugnat, quia si iste frater esset, & omitteret causam testamenti, & ab intestato vellet ut legitimus heres succedere, utique creditoribus paternis non obligaretur, neque in edictum incidet, nempe quia in sola fratri bona succederet, non etiam testatoris: ergo a patri extraneus, quando in sola filii bona admittitur, creditoribus patris non erit obnoxius. Quæ rationes extant & apud Papinianum in nostra l.s*i filius*, ut visum est.

Ex hac tenus disputatis apparet, Juliani sententiam fuisse, substitutum filii pupilli abstinentis ab hereditate paterna, cogi semper & indistincte facere satis creditoribus patris. At vero ex Marcello tres casus debere distingui. Primus est, fratrem ex asse institutum, & repudiantem, dum fratri exheredato ex pupillari succedit, obligari creditoribus paternis. Secundus est, fratrem ex parte institutum, & repudiantem, dum fratri coheredi ex pupillari succedit, non teneri iisdem creditoribus respondere, si bonorum separationem petat, ut in d.l. quæsum est, & in nostra l.s*i filius*. Ultimus est, extraneum pupillo abstinenti substitutum, indistincte a prædictis creditoribus conveniri non posse, d.l.s*i pupillus*.

Una modo difficultas manet, de sententia Jaboleni in d. l. paterfamilias, de privilegiis creditorum, quæ alias est sub tit. de bonis auct. Judicis possidendis. Dubium enim est, cuinam ipse adhæserit, Juliano, an Marcello? Doctores in diversa tendunt. Et quidem Antonius Faber dec. 32. err. 2. opinatur, Jabolenum sententiam Juliani amplecti, quod sequutus est Santolaria interpres. 10. num. 24. Quod verum est.

Hæc ut clare constent, primo loco Jaboleni speciem proponemus. Ea ita se habet, Paterfamilias testamento condito filium pupillum, quem solum habebat, instituit heredem, eique extraneum pupillariter substituit. Mortuo patre filius metu creditorum ab hereditate abstinuit, & in impubertate decepsit, ad cuius successionem venit substitutus. Ex quibus constat, hanc speciem omnino convenire cum ultima jam proposita ex d.l.s*i pupillus*. Super qua re epistolam Jurisconsultus quidam Jaboleno scripsit, quæsivitque ab eo, an in substitutum actio creditoribus paternis danda esset. Et quidem Jurisconsultus ille putabat dari, eamotus ratione, quia patri, & filii unum testamentum est, figura, de-

pup. subst. Certe hec ratio non producitur a Jaboleno, ut opinantur; sed a Jurisconsulto, qui epistolam scripsit, ut satis ex ipso verborum contextu appareat.

Videamus jam quid Jabolenus rescriperit. Ejus hec verba sunt: *Respondi. Quod Praetor filio, qui a paterna hereditate se abstinet, praestat, ne, bonis patris ejus venditis, in eum actio detar.* Tum addit: *Idem in substituto filio herede servandum non est;* quæ verba ita construenda sunt. Idem in eo herede, qui substitutus est ipsi filio, servandum non est. Tandem sui dicti rationem reddit in hec verba: *Quoniam filii pudori parcitur, ut potius patris, quam filii bona ventant.* Sensus apertissimus est, nempe a Praetore praestari quidem filio abstinenti, ne conveniatur a creditoribus patris, at idem in extraneo pupillariter substituto non praestari, qui creditoribus iisdem erit obnoxius; nam hoc beneficium a Praetore excogitatum est gratia filii, cuius pudori parcitur: ergo beneficium personale est, & per consequens non transit ad alios, *i.privilegia, ff.de reg.Juris;* quare eo non gaudabit extraneus filio substitutus.

Non me latet, nonnullos a predictis Jaboleni verbis delere negationem, & legere, *Idem in substituto filio herede servandum est.* Sed isti non animadvertisunt, ita legendi, dictum repugnare rationi, quæ mox subjicitur, & rationem dicto; nam ratio probat, privilegium ne a creditoribus paternis conveniatur, esse solum filio abstinenti a Praetore concessum, & tamen in dicto haberetur oppositum, nempe idem privilegium servandum esse etiam in substituta.

De Nepotibus postumis, &c iis, qui postumorum loco sunt, heredibus instituendis.

Q u a s t i o X V I I .

*Ad Scavolam in I.Gallus 29. ff.de lib. & post.
lib.28. Tit.2.*

O Eum postumus institui heres non poterat, ob incertitudinem personæ, ut qui non tam animal videtur, quam spes animantis, *I.i. ff. de ventre in postf. mitt.* & solum habetur, ut pars viscerum matris, *I.i. §.i. ff. de ventre inspiciendo.* Et hanc esse hujus prohibitonis rationem collegit Raphael Cumanus ex §.posthumo quoque cum antecedenti, *Institutionib. de legat.* quam tamen clarius ibidem docet Theophilus. Cur autem incerta persona requiri institui, non una ratio est; nam Alciatus hic *num. I.* ideo factum putat, quia facultatem testandi

a le-

a lege Decemvirali concessam , visum est Jurisconsultis anguste interpretari , utpote ex qua disponit quis de re in eam casum , quo mortuus sit , nec amplius ipsius rei dominus , Gloss. in *l. illa institutio* , ff. de hered. *inst.* quocirca est hæc potestas concessa ex quadam humanitate , & per viam dispensationis , contra naturalem rationem , & ideo rigorose interpretanda . Aliam causam reddit Faber 9. conject. i. quia testandi potestas est in testatore per modum legis , *l. verbis* , ff. de verb. signif. & maximum. legis vitium est incertitudo : quippe Jus finitum & certum esse debet , l. 2. ff. de Juris & facti ign. Proinde Ulpianus in *frag. tit. 22. §. in. certa* , ait incertam personam heredem institui non posse , quoniam certum consilium debet esse testantis.

Verum cum postumus suus ab intestato omnino succederet , rumperetque testamentum , *l. intestato* , §. fin. de suis & leg. cœpit ab isto summo Jure , & nimia religione recedi , factumque est , ut institutio postumi sui sive filii , sive nepotis permetteretur ex eadem humanitate , ex qua potestas testandi concessa est . Unde intelligimus Ulp. in *l. placet* , ff. eod. cum ait: *Placet omnem masculum posse postumum heredem scribere* ; nam verbum , *placet* , est novum Jus inducentis , sub cuiusdam interpretationis praetextu , *l. placet* , C. de Sacro. Eccl. ut idem Alciat. loc. cit. observat , licet in sententiis criminalibus verbum *placet* , alio sensu accipiatur , ut *relegari in insulam placet* , *l. metrodorum* , ff. de pœnis , & in vita D. Cypriani , *In fascium Cyprianum gladio animadvertis placet* , Cujacius ad l. 8. ff. qui *testam. fac.*

Secus fuit in nepote postumo alieno , qui ex veteris Juri rigore nequit institui , quamvis institutus ex edicto Prætoris habeat bonorum possessionem secundum tabulas , & præteritus contra tabulas ; si cut enim Prætor succurrit filiis emancipatis , ita & nepotibus prædictis , *l. extraneo* , *l. ubicumque* , §. i. cul. ult. ff. de ventre in posse. mittendo , *l. postumus* , §. i. ff. de inoff. testam. Et juxta Prætorium Jus intelligendum est , cum in *l. Titius* , §. ult. ff. eod. & in §. postumus , *Institutionibus de legatis* , legimus , postumum alienum olim institui heredem potuisse , ut iecit Accurs. & Bart. interpretantur , quos sequitur Faber 9. conject. 2. in fine .

Itaque duplex est postumorum genus: quidam sunt sui , quidam alieni . Sui sunt , qui si eo tempore nascerentur , quo testamentum fit , diuimmodo concepti sint , inter suos heredes testatori futuri essent , id est essent in ejus potestate , & primum gradum in successione occuparent . Ita Faber loc. cit. ex Ulpiano *tit. 22. §. postumi* .. Itaque nepos , qui ex me testante conceptus est ex filio meo familias , eodem filio mortuo , aut aliter e medio sublato , suus mihi postumus est .

Alieni sunt , qui concepti testamenti tempore , si nunc nascerentur , non essent testatori inter suos heredes , id est aut non essent in testatoris potestate , ut postumus conceptus ex filio emancipato : aut

quam-

quamvis in potestate essent, primum tamen locum in successione non occuparent, ut postumus ex filiofamilias, qui adhuc vivus est.

Verum nepos postumus, qui tempore testamenti solummodo conceptus erat, vel nascitur post avi mortem, & dicitur postumus Aquilianus, quia de eo Gallus loquutus est: vel nascitur avo etiamnum vi-
vente, & est postumus Velleanus, de quo scilicet lex Junia Vellea cap. i. sermonem habuit.

Interea non omiserim, dari quoque postulum Cornelianum, ut eum quidem eleganter vocat Cujac. ad l. lge Cornelia, ff. quis testamen-
ta facere; quoniam enim lex Cornelia mortis & captivitatis tempora conjungit, ideo qui post captivitatem nascitur filius, post mortem pa-
tris nasci videtur, & rumpit testamentum in civitate conditum, etiam si ante moriretur, quam pater, Lqui uxorem, ff. de injusto rupto. Quia ergo lex Cornelia patrem tempore captivitatis mortuum fingit, recte fi-
lius post captivitatem ortus, licet vivo patre, postumus Cornelianus dicetur.

Quoniam vero postumus suus necessario erat instituendus, aliter præteritus nascendo testamentum rumpbat, alienus vero institui ne-
quibat: & saepe accideret, ut qui tempore conditi testamenti alienus erat, deinde vero post testamentum conditum fieret suus; ideo saepe etiam accidebat, ut testamenta rumperentur in grave testatorum præju-
dicium. Quare ut huic malo obviam irent, laborarunt, partim C. Aquilius Gallus, eximius Jurisconsultus, Ciceronis collega, cuius etiam sunt formulæ illæ de dolo malo, & de stipulatione, quæ dicteur Aquiliana: cui etiam nonnulli tribuunt Legem Aquiliam de damno injuria,
quos tamen decipi putat Anton. August. in libro de legibus, & Juris-
consultis: partim vero occurrit lex Junia Vellea, de cuius auctore,
& specie non satis constat. Est autem non lex Consularis, sed Tribu-
nitia, ut Falcidia, Uoconia, & similes, Manutius de legibus Roman.
pag.63.

Itaque tam de consilio seu formula Galli, quam de lege Vellea agit Cerbidius Scævola lib.6. quæstionum, relatus in nostra l. Gallus, quæ propterea in duos tractatus distinguitur. In primo proponitur Galli for-
mula, & id statim initio. Et hic subdividitur in 7. partes; nam Scævolam formulam Galli extendit 6. modis: restringit, seu declarat uno dumtaxat. In secunda proponitur lex Vellea, in §.nunc de lege:
& hæc subdividitur in tres partes; agitur enim primum de primo capite
legis, tum de secundo, & tandem de sententia Juliani, duo capita le-
gis Velleæ commisoientis. Singula quatenus opus & usus erit, explana-
bimus.

TRACTATUS PRIOR

De Formula Galli.

Gallus Aquilius sic posse institui postumos nepotes induxit: *Si filius meus vivo me morietur, tunc si quis mibi ex eo nepos, sive quæ nepli post mortem meam in decem mensibus proximis, quibus filius meus moreretur, natus natave erit, heredes sunt.* Hactenus Scævola. Ex quibus constat, Gallum loqui de nepote, qui tempore testamenti duohabet, primo ut sit conceptus, alioqui non posset attento naturæ ordine intra decimum mensum nasci: secundo ut alienus postumus sit, ut qui patrem vivum habet, & ideo si nasceretur, primum gradum in successione non occuparet, cum eum pater præcedat. Constat etiam loqui de eo nepote, cui post testamentum conditum duo accident. I. ut pater moriatur vivo avo. II. ut ipse post avi obitum nascatur. Hic ergo nepos tempore testamenti nequit institui, ut alienus: tempore quo nascitur, debet institui, ut jam factus suus, & inveniens se præteritum, avi testamentum rumpit. Cui incommodo occurrit Gallus subtiliter inventa verborum formula, qua nepos postumus alienus institueretur, non eum alienus manet, sed cum fiet suus: quippe tota formulæ vis consistit in articulo temporis, *Tunc*, idest eo casu & tempore postumus instituitur, cum patre mortuo ex alieno sit suus: significat enim extremitatem temporis, argumento ex *L. ult. ff. de condit. & demonstr.* ut recte monet Faber *g. conject. 1.*

Unde colligitur primo, nepotem non institui ex tempore testamenti, sed in tempus, quo pater moritur, quod est quidem contra Juris rigorem, sed tamen ex æquitate receptum est, ut probatur ex Modestino in *L. in tempus, ff. de heredibus instituendis*, cum ait: *In tempus capienda hereditatis institui heredem posse, benevolentia est.* Ubi duo habemus, heredem posse institui non ex die conditi testamenti, sed ex die, quo capax acquirendi erit, veluti L. Titius cum capere poterit, heres esto; & præterea hanc institutionem ex benevolentia, seu benignitate substineri, cum ex rigore Juris nulla sit; tribus enim temporibus heres capax esse debet tempore conditi testamenti, mortis testatoris, & aditæ hereditatis, *l. si alienum, §. i. ff. cit. tit.* Eodem modo nepos Aquilianus instituitur in tempus, quo fiet suus: quare & hæc institutio ex benevolentia valida est; nam Gallus Aquilius, ut inquit Cic. *z. de officiis*, Juris civilis rationem nunquam ab æquitate se junxit.

Ex his intelligimus textum Africani in *l. si ita scriptum, §. i. ff. de hered. inst.* Species est; quidam testamento ita heredes instituit, *Filia mea heres esto. Si quid mihi liberorum me vivo mortuove nascetur, tunc*

tunc ex dodrante heres esto, dicitur filia instituta ex asse. Quod con-
trarium est eo, quod habetur in *I. qui non militabat, §. filii, ff. cit. tit.*
ubi uno herede in parte scripto, ex gr. in dodrante, alter heres, qui
sine parte instituitur, in reliquum assis vocatus intelligitur. A qua dif-
ficultate se expedire non potuit Cujacius ad Africanum in *d. l. si ita*
scriptum, §. i. ubi tamen filia sine parte scripta heres, ideo ipsi as datus
intelligitur, quia tempore testamenti nullum habet coheredem; postu-
mus enim erit coheres tunc cum nascetur, ex formula Galli. Itaque
censetur testator transisse ad dupondium; nam filia est instituta in as-
se, postumus in dodrante; quo circa hereditatis fient partes 7. quarum
4. habebit filia, postumus tres, quæ est ratio sesquitertia, ut eadem ratio
est inter 12. & 9. uncias, ut ibi Africanus ait. Secus est in specie *d. l.*
qui non militabat, §. filii, ubi non solum heres natus erat, sed erat co-
heres, propterea is, qui sine parte scriptus est, ad reliquum heredita-
ris, quæ vocat, vocatus censetur.

II. Regulam, Quæ ab initio non valent, tractu temporis non re-
convalescunt, cessare in prædictis casibus, quia institutio refertur ad
initium validum, scilicet cum heres capax erit, cum postumus fier-
suus; habere vero locum, cum institutio ad initium invalidum conser-
tur, ut si qui incapax est, simpliciter instituatur, heres esto, *d. l. si alienum* *§. i.* ita quoque inutiliter alicus postumus absolute instituatur, li-
cit deinde suus fiat, ut ex citatis Juribus patet.

III. Postumum Aquilianum non esse alienum, sed suum; habito
nempe respectu non ad testamenti tempus, sed ad effectum institutionis,
instituitur enim tunc, cum hujus nepotis pater morietur, quo certe tem-
pore postumus suus est. Et licet verum sit, institutionem ex certo tem-
pore fieri non posse; id tamen est, cum ex ea institutione quis par-
tim testatus fieret, partim intestatus, contra textum in *I. Jus nostrum,*
ff. de reg. Juris. Quod utique non accidit in specie nostra, ubi nepos
instituitur quidem ex certo tempore, sed id tempus vivo testatore ac-
cidit, ut patet ex illis verbis, *Si filius meus vivo me morietur; quo*
circa cessat in ea ratio absurdii.

Interim non negamus, Aquilianum postumum, si accipiatur re-
spectu testamenti conditi, esse alienum, ut explicandus est Paulus in
I. pen. ff. de leg. i. in ipsis verbis: *Et obtinuit sententia Galli, alienos*
quoque postumos legitimos nobis heredes fieri.

His ita explicatis, progrediamur ad oppositiones, quæ contra hanc
Galli formulam fieri solent.

Prima oppositio est contra illa verba, *Si filius meus*; quibus ver-
bis filius non instituitur, sed sub conditione ponitur; conditio autem
non disponit, nec institutionem inducit, *I. ex facto i. ff. de hered. instit.*
l. si quis eum, §. ult. ff. de vulg. quo circa filius est præteritus, & in con-
sequens testamentum est nullum, adeout nec Jure Prætorio reconvale-
seat;

scat ; *i. si filius in potestate , ff. cod.* Vanum igitur est Galli consilium : quippe etiam nepotis institutio nulla est , utpote in testamento nullo facta .

Varia comminiscuntur DD. pro hac difficultate removenda . Verius est , quod Acc. ait , a Gallo presupponi cetera habilia præcessisse , adeoque filii institutionem , de qua ideo non meminit Gallus , quia non formulam instituendi filium , quæ nota erat , at formulam instituendi nepotem invenire studuit . Remque ita se habere patet ex declaratione Scævolæ hic §. in omnibus , cum ait : *In omnibus his speciebus illud observandum est , ut filius dumtaxat , qui est in potestate , ex aliqua parte sit heres institutus* ; scilicet in formula Galli filium non institui , sed supponi antecedenter institutum , in aliqua hereditatis parte , ut in *I. cum in testamento , ff. de hered. insti.* ubi Acc. Imo Hotom. de verbis *Juris* refert , in quibusdam libris manuscriptis formulam Galli a filii institutione ordiri , ita : *Filius heres esto , &c.*

Secunda oppositio est adversus verba illa , *Vivo me morietur* ; nam cum heres institutus vivo testatore decedit , testamentum fit caducum : & olim ex *I. Papia de caducis hereditas Fisco quærebatur , litem veniunt , §. cum antequam , ff. de petit. hered.* quamquam hodie deferatur vel substitutis , si qui sunt , vel legitimis heredibus , *I. un. §. pro secundo , C. de caduc. toll.* Frustra ergo Gallus laboravit , ne postumus rumperet , quod jam caducum est .

Quidam respondent , filio coheredem datum , & ideo testamentum substineri , de qua re infra . Interim notandum cum Alciato hic , Galli formulam multis ante annis inventam esse , quam lex Papia conderetur : ille enim sub Julio Cæsare floruit , hæc sub Augusto jam sene lata est , Tacit. lib. 3. b. 7. Dio , aliquic . Immo lex Papia , ubi lata deinde fuit , consilio Galli non obfuit , quia excludebat fiscum , cum de hereditate filii , nepotis , vel pronepotis ageretur , d. l. un. in princ.

Tertia oppositio pendet ex eo , quod postumi alieni , si fuissent ab avo instituti , ex edicto Prætoris habent bonorum possessionem secundum tabulas , *I. postumas , §. i. ff. de inoff. testam.* ut jam supra notavimus . Unde fit , ut Galli consilium inutile & supervacuum sit .

Sed dato Prætoris edictum ante formulam Galli propositum fuisse ; de qua tamen re non constat , non inde fit Galli consilium esse inane ; sicuti inanis non est bonorum possessio , quam Prætor filiis etiam in potestate constitutis concessit , qui alioqui Jure civili satis tuti sunt . Prodest enim duplē habere paratam viam succedendi , alteram de Jure civili , alteram ex edictu Prætoris , ut latius post Theophilum explicant DD. in tit. *Institution. de bonorum possessionibus.*

Quarta oppositio ex alio etiam capite Galli formulam fuisse superfluam , quia validitati testamenti , filio moriente vivo patre , satis immo plenius consulitur substituto vulgariter nepote ; nempe quia Galli

li formula providit uni tantum casui mortis , at substitutio , Si heres non erit , latissime patet ad servitutem , deportationem , repudiationem , & similes .

Respondetur substitutione nepotis substineri quidem testamen-
tum , sed non in totum ; nepos enim jam factus postumus suus , esset
præteritus in primo gradu ; quare nascendo rumpet testamentum in pri-
mo gradu , utpote quod vim solum haberet ex secundo substitutionis
gradu . Neque hoc parum interest ; nam si ponas filio in primo gradu
instituto datos fuisse coheredes , tum filio vivo avo morienti substitutum
nepotem postumum ; quia nepos hic nascendo rumpit primum gradum ,
ubi est præteritus , fit ut coheredes filio dati amplius non succedant , sed
solus nepos ex secundo gradu heres erit . Probatur id ex simili in *l.ex
fatto* , §.Lucius , ff.de vulg. ubi quidam cum haberet filios in potestate ,
uxorem heredem scripsit , & ei substituit filios . Paulus ait , eum gra-
dum , a quo filii præteriti sunt , nullius esse momenti ; substitueri vero
testamentum ex solo substitutionis gradu . Concordat textus in *l.3.§.ult.*
cum duab. ll.seqq. ff.de injusto rupto , & in *l.si a primo* , ff. eod . Huic er-
go incommodo providit Gallus , excogitata formula , qua nepos in pri-
mo gradu institutus , facit , ut totum testamentum firmum sit .

Ex quibus etiam constat , postumum Aquilianum non esse sub-
stitutum , sed institutum , ut Goyeanus , Alciatus , & Cujacius hic
in princ. docent , & Fab.9. *conject. i.i.* quippe si esset substitutus , non
omnino avitum testamentum subsisteret . Et sane ubique in nostra lege
institutus dicitur , ut & in *l.si mater* , §. ult. & *l.cum in testam. ff.de
vulg.* In id ergo omnino Gallus incumbit , ne avus cogretur nepotem
substituere , inventa formula , qua cum instituere posset .

Nec obstat , quod Acc. Bart. & alii hic objiciunt ex *l.cum in testa-
mento* , ff.de hered. instit. ubi Julianus ait , in formula Galli duos gra-
dus heredum esse ; quare postumus erit in secundo gradu , & ideo sub-
stitutus ; respondemus enim duos gradus dici non ratione substitutionis ,
sed quia simul esse non possunt ; ut idem Julianus explicat , ibi : *Duo
heredum gradus sunt , nullo enim casu uterque ad hereditatem admitti-
tur* . Unde si nepoti datus sit substitutus vulgaris , & filius patri heres
existat , ex quo nepos heres non est , nequit substitutus una cum filio
admitti , quia non in primum , sed in secundum gradum substituitur ,
ut ibidem habetur . Hinc si quis instituat postumum , eique alium sub-
stituat : postumo non nato , non substitutus , sed legitimus heres erit ad-
mittendus .

Potest itaque postumus is , de quo sermo est , ex formula Galli in-
stitui in secundo gradu ; potest etiam vulgariter patri substitui : potest
denique simpliciter institui simul cum patre , ex novo Jure Justiniani
in §.postumo quoque , *Institutionib. de legatis* . Nec tamen inde fit , ut
Galli consilium hodie inutile sit ; est enim utile , imo necessarium , cum
quis

quis velit filium ex parte heredem , & quo casu filius se vivo decedat ;
velit sibi heredem nasciturum ex eo nepotem . Qui tamen easus varios
fortiuntur effectus , ut jam explicatum est.

De explicationibus Scævolæ.

Propositam a Gallo formulam pluribus modis Scævola hic explicat ,
& extendit .

Et primo quamvis Gallus doceat postumum sub duabus conditio-
nibus posse institui , *Si filius vivo me moriatur , & nepos ex eo na-
scatur* , interpretatur Scævola id verum esse , si ad effectum attendamus ;
si vero ad verba , posse primam illam conditionem , *Si filius moriatur ,
omitti* , tanquam ex natura actus subintellestam . Ponas ergo testato-
rem dixisse : *Filius heres esto : qui mibi ex filio nepos post mortem
meam nascetur , heres esto . Hoc etiam casu , nepos videtur vocatus , mo-
riente filio , §. quidam recte .*

Id tamen censeri posset falsum , quia injunctus potius filio nepos
ut coheres videtur , quam post patris mortem vocatus ; nihil enim hic
est , quod ordinem successivum demonstret ; quare potius simul vocati-
sunt , quisque ad semissim.

Respondet Acc . hæc vera esse , quando conjectura ex mente te-
statoris desumpta aliud non suadeat ; conjectura autem in specie proposita
est , quia avus videtur instituisse nepotem , ne testamentum rumpa-
ret ; quare nepos eo solum casu succedet , quo nascendo testamentum
rumpere posset , idest patre suo avi mortem pervertente ; quam respon-
sionem exornat Alciatus in *d. g. quidam recte , in princ.*

Hinc factum est , ut longissimis disputationibus hic digladien-
tur DD. circa hujuscemodi conjecturas . Quæ omnia vanissima sunt ,
ut quæ ortum habent ex non intellecto Scævola responsò . Non enim
dubitandum est , duos simul institutos esse coheredes , cum nihil ob-
stat , quo minus simul succedant , & nihil adeat , quod unum non nisi
alio deficiente vocet . Quod sane adeat in specie nostra ; nepos enim ,
qui ex filio meo nascetur , heres a me nequit institui , ut qui postumus
mihi alienus est : quocirca cum eum simul cum filio meo instituo , ejus
institutio de Juris rigore nulla est . Huic rigori se opponit æquitas , quæ
testantis voluntatem interpretatur , nepotemque non simul cum patre
institutum intelligit (quo casu institutio rueret) sed tunc , cum potest
institui , nempe si pater ejus vivo me decesserit , & nepos ex alieno fiet
suus . Hæc enim institutio ex Galli formula valet . Hæc est vera sen-
tentia Scævola in *d. g. quidam recte* .

Hæc tamen interpretatio hodie amplius locum non habet ; quia
enim Justinianus postumi alieni institutionem firmam vult , etiam cum

alienus est , d. s. postumo quoque ; inde fit , ut hodie cessa ratio , ex qua Scævola motus statuit , filium & nepotem ex eo nasciturum non intelligi simul vocatos ; ea enim , ut diximus , tota pendebat ex eo , quod nepos postumus simul cum filio nequibat institui . Cum ergo hodie simul institui possint , certe simul vocati erunt . Falluntur itaque DD. qui etiamnum Scævola sententiam locum habere credunt : & multo magis fallitur Acc. & Alciatus , dum putant , si testator filium & nepotem jam natum instituat , dicendo , Filium & ex eo nepotem instituo , videri ordine successivo institutos , ut scilicet nepos sit filio vulgariter substitutus . Quam sententiam merito rejiciunt Arctinus , Jason , & Cujacius hic .

Reliquæ Scævolæ interpretationes ad formulam Galli faciliores sunt , & eas hic enumerasse sit satis . II. enim producit , ut quod de filio dictum est , etiam in nepote procedat , & pronepote , §. idem credendum . III. & IV. licet in formula dicatur , Si filius vivo me morietur , id tamen non solum capiendum est de morte naturali , sed etiam de civili , ut est servitus , aquæ & ignis interdictio , seu deportatio . Quam interpretationem Scævola ait , desuntam esse non tam ex Gallo , quam ex sententia legis Vellez , §. & quid si tantum , cum seqq. & nos infra . V. idem est in nepote nato apud hostes vivo avo , sed redeunte post mortem avi , §. si ejus , de qua re infra latius . VII. idipsum viget , si post institutum filium , instituatur pronepos , præterito nepote , qui tamen nepos deinde ante patrem moriatur , §. forsitan . VIII. tandem addit Scævola , hæc omnia locum habere , si testamentum valuerit , veluti si filius ex aliqua parte sit heres institutus , §. in omnibus .

Petes , cur Scævola dicat , filium oportere ex aliqua parte esse institutum heredem . Cujacius interpretatur , vel , seu saltem ex parte aliqua . Quæ interpretatio coacta nimis est , & duo tribuit Scævolæ , qui unum dicit ; tribuit enim , filium institui debere vel ex aße , vel ex parte aliqua , cum Scævola ultimum tantummodo ex his dicat . Putem ergo Scævolam respexisse eum solum casum , quo formula Galli est necessaria , qui est cum filius coheredem habet ; tunc enim opus est , nepotem ex formula Galli instituere : nam si coheres filio datus non sit , satis est nepotem ex eo vulgariter substituere , si mortuo patre , & avo nascatur ; nihil enim hoc casu interest , si nascendo rumpat tanquam præteritus primum gradum . Secus est in priori casu , ubi multum interest primum gradum non rumpi , ne scilicet coheredis institutio ruat . Ne id ergo accidat , necessaria est formula Galli , qua nepos non substituitur , sed instituitur , ut ex his , quæ supra dicta sunt , iam satis constare puto .

TRA-

TRACTATUS POSTERIOR

De Lege Julia Vellea.

Quoniam Galli Aquilii consilium ad eos solum nepotes pertinet, qui post avi mortem nascuntur, succedentes in locum sui heredis, ut propterea non omnes casus, qui in hac re accidere possunt, comprehenderit; nam aliquando in sui etiam heredis locum succedit nepos, qui vivo avo nascitur, sed post testamentum conditum: aliquando etiam, qui ante testamentum natus est: quare nisi instituantur, testamentum rumpunt. Ideo, ut huic Galli defectui obviam ieretur a Junio Velleo, lex Junia Vellea lata est, ut quidem appellatur in Pandectis Florentinis, & a Cajo lib. i. Institut. licet in nonnullis libris Julia Vellea dicatur. Hoc igitur in duo omnino capita distincta est, de quorum utroque agemus.

Verba primi capitatis referuntur haec: *Qui testamentum faciet, si omnes virilis sexus, qui ei suis heredes futuri erunt, cum nascerentur, instituendi necessario, potestatem habeat, etiamsi parente vive nascantur, §.nunc de lege, ut recte legit, & emendat Cujacius hic retrahens prima verba §.sequentis.*

Itaque ne qui nascitur post avi mortem nepos, testamentum rumpat, providit Gallus excogitata formula, qua nepos institueretur; at nihil cogitavit de altero casu, quo nepos idem vivo adhuc avo nasceretur. Huic incommodo occurrit Velleus in priore capite sue legis, ubi avo impartitus est potestatem instituendi nepotem ex filio nasciturum, si nepos is, mortuo filio, se vivo nasceretur, ut explicat Scavola hic d. §.nunc de lege.

Dicitur in lege, *Omnes virilis sexus, non quod neptis ex filio ex lege Vellea heres institui nequeat, non enim dubitandum est, posse, sicut etiam potest ex formula Galli. Sed ita dicitur solum, ut demonstretur necessitas nominatim instituendi, vel exheredandi; soli enim postumi mares nominatim exheredandi sunt, cum postumæ fœminæ etiam inter ceteros exheredari possint, cum adjectione legati, §.postumi, Institut. de exhered. liberor. l.ult. C. de liber. præteritis. Hodie ex Constitutione Justiniani in artb. ut cum de appellat. postumi cuiuscumque sexus, nec nominatim exheredari possunt, quia sine elogio nulla exhereditatio est: elogium autem postumo adscribi nullum potest, Cujacius in l.4. ff. eod.*

Ceterum nepos is, qui avo vivente post testamentum nascitur, etiam postumus appellatur, & est Velleanus, longe distinctus ab Aquiliano, ut satis constat ex Ulpiano in l.3. §.i. ff. de injusto rupso, cum

cum ait: *Postumos autem dicimus eos (dumtaxat) qui post mortem parentis nascuntur. Sed & iis, qui post testamentum factum in vita nascuntur, ita demum per legem Velleam, &c.* Et clarius infra in §. nominatim: *Sed et si ita dixerit, Postumus exheres esto, natus vel post mortem, vel vivo testatore, non rumpet. Ita quoque l. si quis ita, §. fin. ff. de testamentaria tutela, idem Ulp. ait, tutorem datum postumo, intelligi datum ei quoque, qui vivo patre nascitur,* Cujac. 3. obs. 4. Ant. Aug. de legib. pag. 143.

Secundi capituli legis Velleæ verba mutilla sunt, non enim a Scævola relata sunt, nisi hæc: *Si quis ex suis heredibus suus heres esse deficerit, liberi ejus, &c. in locum suorum sui heredes succedant, §. & bene, & §. videndum.* Hic, ut recte Cujac. loc. cit. adverdit, sermo est de nepotibus iis, qui postumorum loco sunt, idest qui tempore testamenti avi nati sunt, nec tamen eo tempore sui sunt, sed postea vivo eodem avo, in sui heredis locum succedunt. E.g. habeo filium in potestate, & nepotem ex eo jam natum, condeoque testamentum instituto filio, si me vivo filius meus decebat, nepos jam postumi loco habetur, & mihi sui heridis locum subit. Quocirca ne præteritus rumpat testamentum, lex Vellea avo potestatem instituendi eum post filii mortem concessit, §. etiam si vivente.

Dices, nepotes, qui jam nati sunt, possunt ex veteri Jure institui, ut hic, §. ille casus. Nihil ergo novi lex Velleja induxit. Respondet Cujacius hic, induxisse, ut succederent in locum suorum, ut si essent præteriti, successione testamentum rumperent, ut instituti, vel nominatim exheredati, non rumperent.

Unde colligit Scævola, eum etiam nepotem succedere in locum sui, cuius pater apud hostes sit: idque tam si pater iste vivo testatore decebat, quam si post ejus mortem ab hostibus non redeat; nam inducta fictione legis Cornelie videtur filius vivo testatore decessisse, d. §. vsidendum.

Supereft, ut de sententia Juliani videamus, qui duo hæc capita Legis Velleæ, quorum alterum de nascituro, alterum de jam nato loquitur, simul commiscuit. Species est. Post testamentum me vivo nepos ex filio nascitur non suus, quoniam & vivo filio meu nascitur: deinde mortuo testatoris filio succedit in locum sui. Quæsitum est, an ejus nepotis pure facta institutio valeat? Et videbatur non valere: non quidem ex primo capite legis Velleæ, quia etsi vivo testatore nascatur, tamen suus non nascitur: non item ex secundo, quia id caput est de his, qui nati cum essent tempore testamenti, mox in suorum locum successerunt; hic autem nepos tempore testamenti nondum natus erat.

Julianii tamen sententia, quæ moribus recepta est, fuit valere, ne scilicet aliter testamentum rumperetur. Qua in re Julianus duo capita legis Velleæ quasi commiscuit; nam partim videretur hic nepos aliquatenus ad primum caput pertinere, quod scilicet post testamentum

vivo avo nascatur: partim ad secundum, quod nascatur patre vivo, & in locum ejus succedat. Quasi igitur ad utrumque caput quodammodo pertineat, hoc colore si institutus sit, recte institutus intelligetur, ut verba Cujacii sunt, §. pen.

Hinc quæsumus a Scævola est, si hic nepos vivo patre emancipetur, an deinde sponte, ut heres voluntarius adire possit? Et respondet Scævola posse; quoniam enim receptum est ex sententia Juliani institutionem valere: erit ergo heres, sed non suus, quia Jus sui heredis emancipatione sublatum est. Quare reliquum est, ut voluntarius heres sit, §. ult.

Placet hic, tanquam pro coronide, latius explicare duo, quæ supra a Scævola disputata sunt in §. si ejus, & in d. §. quod si tantum, cum seq. quæ ideo duo sunt a nobis translata, quia post legis Velleæ explanationem, commodius intelligi possunt. Species textus in d. §. si ejus ita sc. habet. Quidam filium habebat, & nurum prægnantem, condicioneque testamento, filium, & ex eo postumum nepotem instituit pure. Nurus prægnans ab hostibus capta est, ibique vivo testatore, & ejus filio, peperit. Deinde post mortem avi & patris nepos reddit. Quæsumus est, an nepos reversus avi testamentum rumpat? Negat Scævola; nempe quia non est ab avo præteritus, sed institutus. Quælitum quoque est, utrum hoc casu nepotis postumi institutio firma sit ex lege Velleæ, an potius ex Jure antiquo? Jus antiquum hic in nostra lege sæpe appellatur formula Galli, habito respectu ad L. Velleam, quæ recentior est, ut recte Acc. observat. Hæc quæstio ambigua visa est Scævolæ; & licet eam proponat, tamen non solvit; nam ex una parte, quia nepos post avi mortem reversus est, videtur etiam post avi mortem natus: quod si admittamus, jam hic casus ad Jus antiquum, seu ad Galli formulam pertinebit. Ex parte alia, quia idem nepos & uivente natus est apud hostes, & reversus fingitur retro in civitate fuisse; propterea ejus institutio ex lege Vellea substineri videtur.

Quod iasolutum Scævola reliquit, DD. solvere conati sunt. Et Acc. quidem ad Galli formulam refert, quia ea tria, quæ exiguntur ex Gallo, omnia hic adsunt; nempe testamentum conditum est filio vivo, & nepote concepto: item filius mortuus est, vivo avo: tandem post obitum patris & avi nepos videtur natus; nam adnasci videtur, cum revertitur.

Contrarium verius opinatur Cujatius hic, nempe institutionem valere ex primo capite legis Velleæ, quia conceptus in civitate postliminii Jure gaudet, l. pen. ff. de statu bonorum, ibi: *Et si mulier prægnans ab hostibus capta fuerit, id quod natum est, postliminium habet.* Quamobrem, si redeundo, Jure postliminii, habetur ut natus in civitate, utique vivo avo natus est. Qui est casus legis Velleæ.

Mihi videtur, hanc speciem pertinere potius ad sententiam Juliani,

ni, qui capita legis Velleæ commisicuit: nepos enim hic, quamvis verum sit ex postliminio singi in civitate natum, tamen non est natus suus, utpote qui a Scævola natus dicitur viventibus patre & avo. Itaque deinde post mortem patris factus est suus avo adhuc vivo. Primum autem caput legis Velleæ est de postumo, qui vivo avo suus nascitur: ergo ad illud hic casus non pertinet, sed ad sententiam Juliani, qui docuit valere institutionem nepotis, qui vivo patre, & avo nascitur, sed mox mortuo patre, vivente avo fit suus.

Secundo, quod attinet ad d. §. & quid si tantam, cumseq. prænotanda sunt duo discrimina inter formulam Galli, & alterum caput legis Velleæ: primo Gallum loqui de nepote nascituro post avi mortem, Velleum vero sermonem habere de nepote, qui tempore testamenti natus fit: Secundo a Gallo non commemorari, nisi unum casum mortis filii instituti, verbis illis, *Si filius vivo me morietur*, nihil vero haberi de interdictione aquæ & ignis, de emancipatione, de servitute, aut de aliis modis, quibus filius de medio tolli possit: e contrario in lege Vellea hos omnes casus comprehendendi, non quidem sigillatim, sed verbis illis generalibus, *Si quis ex suis heredibus suus heres esse desierit*.

Quæstum ergo est, quid dicendum sit in casu Galli, si filius non moriatur, sed vivo avo interdictus e.g. sit aqua, & ignis? quid si filius tempore conditi testamenti reperiatur captivus, & in captivitate obeat post testatoris mortem? Et I. Scævola ait, hos casus a Gallo omissos, non posse trahi ad alterum caput legis Velleæ, quæ licet generatim dicat, *Suus heres esse desierit*, tamen loquitur de nepote jam nato tempore testamenti, non de nepote post avi mortem nascituro, qui est Galli Aquitii casus. II. addit, hos eisdem casus deportationis, captivitatis, & similes, esse admittendos in formula Galli, ex sententia tamen legis Velleæ.

Quæ verba D.D. vulgo ita accipiunt, ut in formula Galli casus mortis expressus, porrigitur ad ceteros casus non expressos, interdictio-
nis aquæ & ignis, captivitatis, & ceteros, qui similes casui mortis sunt.
Verius tamen est, quod tradit Faber loc.cit. nempe a Scævola id tantum statui, quod sicut in lege Vellea generatim dictum est, *Suus heres es-
se desierit*, ita in consilio Galli, immutata antiqua formula, possit dici generatim, *Si filius vivo me suus heres esse desierit*, aut simili modo.
Non ergo vult Scævola sub casu mortis comprehendendi alios casus; sed a formula Galli posse tolli casum speciale mortis, & in ejus locum sub-
stitui verba generalia, ea scilicet, quæ sunt in lege Vellea. Constat hoc ex ipso Scævola, qui tandem in §. quod si is, docet formulam Galli ita concipere, *Nepos qui mibi post mortem suus nascetur: vel- etiam gene-
rarius, Quicunque natus fuerit, heres esto, si suus heres nascetur*.

Itaque si testator non utatur hac Scævolæ formula, sed adhibeat verba Galli dicendo, *Si filius vivo me morietur*; & accidat filium de me,

medio tolli per deportationem , utique nepos non intelligetur institutus , & nascendo tanquam præteritus , rumperet testamentum . Ratio est , quia casus expressus non comprehendit omissum , l.commodissime , ff.evad. l.pater Severinam , ff. de conditionib. & demonstrationib. Verum de toca hac re latius disputavimus supra , cum vidimus , utrum substitutio vulgaris in unum casum concepta , trahi possit ad alterum .

Fragmentum repertum in Autbograpbo.

Filium non semper statim suum heredem esse.

QUAMVIS regula sit , filios statim a morte patris suos heredes esse ; l.i. §. qui sunt , ff. si quis omisso causa testamenti , l.in suis , ff. de liber. & post. Quod verum est , et si Jure Prætorio abstineant ; nam Prætoris beneficium non tollit Jus sui , licet tollat Jus necessarii heredis , l.cum quasi , §. sed et si , ff. de fideic. lib. tamen aliquando non statim suus heres est , ut constat ex l.i. §. si pater l. ff. ad Sylanianum , ubi si Post mortem patris filius antequam sursus ei heres existat , occisus fuerit . questio de servis paternis haberri potest ; nam licet non fuerit suus heres : tamen erat futurus , & S. C. Sylanianum plenius accipendum est . Ita ibi ex Scævola Ulp. doset .

Hoc Scævola responsum multos torsit , qui putant , filium semper statim a morte patris suum heredem intelligi . Sed recte Josephus Santolaria interpretat . i. docet , multos in Jure nostro extare casus , in quibus filius suus heres non statim existit , post Bart. in l.fif. ff. de condit. instit. ex num. 5.

I. Si filius jam natus institutus sit sub ea conditione , quæ in arbitrio & potestate ejus est ; id enim licite fieri potest , & filius conditionem non adimplendo , submovetur ab hereditate patris : secus si adimpleat , & eam adimplere potest , donec vixerit , l.4. ff. de hered. inst. l.fif. ff. de condit. institut. Dixi , filius jam natus ; nam postumus sub nulla conditione institui potest , l.cum postumus , ff. de lib. & post. Et ratio est , quia conditio , ut in potestate instituti , talis debet esse naturæ , ut facile possit impleri , d.l.4. §. pen. at nulla est conditio tam facilis , quæ a postumu recenter nato queat impleri .

Itaque filius ita institutus , antequam conditionem impleat , suus heres non est , & medium tempus est vacuum .

II. Quando Filius est exheredatus ; donec enim heres institutus deliberat , tempus vacuum est . Ponas enim heredem repudiare , filius tunc suus heres patri ab intestato est , l.i. §. sciendum , ff. de suis & legit. l.rescripto 6. ff. unde liberi , l.filium 20. ff. de bonorum possess. contra tab.

Oo

In

III. In postumo , quo in utero manente , tempus vacuum est , cum interim nihil ei lex deferat , & hereditatem conservat in tempus nativitatis , l.3. ff. si pars hereditatis petatur , l. cum quidam 30. §. sum , ff. de acq. bered. itaut si vivus in lucem non prodeat , testamentum non rumpat , l. quod certum , C. de postumus , l. vestre , ff. de acq. bered. l. si filius , ff. de lib. & post.

Objicis: in suis heredibus nulla hereditas est , Paulus l. in suis 11. ff. de lib. & post. ubi in suis heredibus nulla videtur hereditas fuisse , quasi jam olim domini fuissent ; quare hi hereditatem non percipiunt , sed magis liberam bonorum administrationem , l.2. §. ult. ff. pro berede , l. i. §. i. ff. pro donato.

Verum in verbis Pauli attendendum est verbum illud , Videatur , ait enim : *In suis heredibus evidentius apparet continuationem dominii eo rem producere , ut nulla videatur hereditas fuisse .* Nam verbum *videri* , improprietatem denotat . Vel dici potest , id regulam esse , non axioma , ne Paulus sibi ipsi contradicat , qui alibi in suis heredibus hereditatem esse docet ; nam in l. antiquitas , ff. si pars hereditatis , libero ventri integra reservari Jura hereditatum ait .

Hæc habet Autographum .



DO-



DOMINICI AULISII

J. C. CLARISSIMI,

De Mora.

*Ad explanationem lib. XXII. Pandectarum, Tit. I.
de Usuris.*

IN Jure nostro semper peccatum est, vel vitiis, vel remediis, nam ante Justiniani tempora materie, quae in Jure tractantur, longe lateque erant a Jurisconsultis discussae: et vero sub Justiniani Imperio dum Jus compendio docere studet, saepe nonnullae res ita truncæ & breves reliæ sunt, ut potius ostensæ nobis, quam traditæ videantur. Hoc autem perspicuum est tum saepe alias, tum precipue in tractatu de Mora, de qua in titulo nostro pauce admodum leges loquuntur, itaut nec ipsa, ut cetera omittam, definitio usquam compareat, unde tot tantæque subortæ sunt circa rem hanc Interpretum controversialia. Verum tamen est passim in nostro Jure & sub aliis titulis variæ leges haberi, quæ de Mora agunt; eoque nos eas hinc inde colligemus in hoc tractatu, inque nostrum usum vertemus. Et hoc sane facieundum erat a nostris Interpretibus, qui a Justiniano potestatem habent in singulos titulos nostri Juris conscribendi paratilia; ut habeatur in *præfationib. Digestorum*, & in *ff. de concept. & confirmat. Digestorum*; etenim male putavit Cujacius paratilia esse titulorum summaria, cum re vera non sint nisi suppleo ex reliquis titulis, quæ ad unum aliquem titulum pertinere videntur, ut ex Diodoro Diacono, & Matthæo Monacho Jurisconsultis græcis, docet Egidius Menagius in libello de *Amenitatis Juriis civilis*, cap. 15. Igitur hoc modo nos, quæ ad hunc titulum de Mora deesse putamus, operam dabinus ut suppleantur aliunde ex ipso Juris corpore. Ita hic tractatus suum complementum habebit. Dividemus autem in 4. omnino capita, ut pri-

mum sit de definiſione ſe natura moræ , alterum de ejusdem diſiſione & quomodo contrahatur , tertium de effectibus moræ , quartum quibus modis purgetur . Ita nihil deerit , quod merito defiderari poſſit . Eſt in terim tractatus hic , ſi quis unquam aliis , utillimus , & que ac diſcilli- muſ , adeut viri egregie docti non deſignati ſint in eo explicando bo- naſ horas impendere . Nam & Aemilius Feretus , & Franc. Hotomanus , & Hugo Donellus , & Stephanus Forcatulus , de eo ſingulares libros reliquerunt , ut omittam illos qui multa in aliis operibus hac de re in- ferere voluerint . Sed hic amplius immorandum non eſt . Sit ergo ,

Definitio Moræ .

C A P . I.

Vetus opinio eſt , Moram non poſſe definitione comprehendendi . Ita primus omnium , quod ſciam , docuit Uldeſicus Azo in ſumma tit. C.de uſur. num.6. eumque ſecuti ſunt Acc. Bart. & frequenter Interpretes alii . Atque ita accipiendo eſt cum Acc. textus in d.l. omnis defi- nitio , ff.de reg.juris ; ubi dicitur , omnis definitio in Jure civili pericu- loſa eſt ; parum eſt enim , ut non ſubverti poſſit .

Cujacius in comment.ad tit. ff.de uſuris , Moram ita definiſt . Mora eſt iuſta tarditas ejus , qui opportune interpellatus de re , aut pecunia , cuius nomine in eum actio eſt , non ſatisfacit , vel quidquid etiam op- portune offertur , non accipit . Dixi , iuſta , quo verbo ſignificatur mala fides : nam ſi rem ſolvere diſtulerit bona fide , non eſt mora , l.21. l.mora , ff.de uſuris .

Mora apud alios eſt dilatio cum dolo malo , vel lata culpa in fol- vendo , recipiendo debito . Explicatur definitio . Dicitur dilatio ; quod ipsum moræ nomen demonſtrat , cum mora diſterendi cauſa fiat , & quod debitor reprætentare debet , vel creditor ſtatim accipere , in aliud tempus protrahitur . l. ſciendum , ff.de uſuris . Unde ſpes credito- riſ , vel debitoris decipitur , & fruſtratur . Quare etiam mora dicitur fruſtratio in l.in fideicom. §.fin. ff.eod.tit. l.boniæm , ff.mandati . Quare Cujac. in l.23. ff.de verb. oblig. in princ. utrumque verbum conjungens , moram appellavit , fruſtratoriā dilationem . Verum fallitur Horom.hic , cum moram definiſt eſſe culpm , cum verum ſit , moram eſſe ſub ge- nere dilationis .

Dicitur dolo , vel lata culpa ; quamvis enim moræ nomen gene- ratim ſumtu , omnem dilationem etiam ianocuam ſignificet , l.etiam , ff.ut legatorum nomine conveatur , aut h. ſed & lis , C.de tempor.appellat. cap. mora , de reg. jur. lib.6.. Generaliter tamen mora intelligitur ea , quæ vel dolum malum habet adnexum , ut in l qui ſine , ff.de reg.jur. vel latam . cul-

culpam ; *I. quod ta. ff. de reb. creditis.* Mora enim nomen dupliciter sumi potest ; naturaliter significat omnem dilationem etiam innocuam , ut quæ fieri solet ex judicio non temere instituto . *I. etiam , ff. ut legatum nomine careatur.*

Dicitur in solvendo , recipiendo debito ; mora enim contrahitur aliquando ex parte debitoris , cum hic tempore congruo rem non solvit : aliquando ex parte creditoris , qui rem a debitore oblatam noluit recipere , ut patet ex *I. hominem , ff. mandati.* Verum hic notandum est , quod licet nomen Debiti in specie accipiatur pro ea re , quæ nobis nominatione dominii , sed obligationis debeatur , hoc est ex maleficio , vel contractu , *I. omnem obligationem , ff. de judic. I. creditores , cum duab. seqq. ff. de verb. signif.* tamen in genere accipitur pro quacumque re ex quocumque capite ad nos spectante . Quod clare ostendit Ulpianus in *Lpecunia verbum , ff. cit. tit.* ubi habet , Hoc verbum , debuit , omne omnino actionem comprehendere intelligitur . Atque ita in genere debiti nomen in nostra hac moræ definitione accipiendum est . Nomen crediti propriè mutuum , ut in *ff. de reb. creditis.* Sed extenditur ad omnes , quibus ex aliqua causa debetur , *I. creditorum , ff. de verb. signif.* etiam dominus , cui in justus possessor lege obligatur suum reddere . Ita Forcatus hic par. i. num. i. ex *I. obligamus , §. lege , ff. de O. & A. Obligamus* lege , Jure honorario , necessitate , peccato , nudo consensu , nutu solo .

Hoc est moræ definitio & perspicua simul , & exacta , quam Interpretes investigatu difficilem , inventu pene impossibilem credebant . Sed antequam alio stylum vertamus , pro uberiori hujus rei intelligentia , una & altera difficultas ad examen vocanda est . Sit ergo .

Utrum Mora nonnunquam sine dilatione ulla contrahi possit .

Q u a s t i o n e .

ET nos plane credimus , moram sine dilatione non esse , ut ipsum moræ nomen satis per se declarat ; atque ita etiam patet ex *I. scindam , ff. de usuris* , ubi aperte mora appellatur . Dilatio . Sunt tamen qui in contrarium nituntur , & putant posse moram sine dilatione committi , uti est servi occisio , quam passim inter moræ species computant . Ita *Aemilius Ferretus* hic num. 5 . & alii cum *Joann. Saporta* hic cap. i. num. 8 .

Probant id *I. si ex legati , ff. de verb. oblig.* ubi cum Pomponius dixisset , debitorem teneri de Stichi interitu , si per ipsum steterit , quominus vivo eo , cum creditori daret ; subdit hæc verba : Quod ita fit ,

si

si aut interpellatus non dedisti , aut occidisti eum . Ubi videtur Pomponius duplarem rationem contrahendere morte distinguere , interpellationem , & occisionem , ubi nulla dilatio . Idem habetur in l . si servum , ff . eod . Respondet Jos . Giball . 2 . de usur . art . 6 . c . 1 . num . 1 . in occisione dilationem quoque posse intelligi : neque enim est exhibitus suo tempore servus debitus , qui ante fuerat occisus , utpote qui nec exhibi potuit : & de illa mora tenetur , qui illum & debebat , & occiderat . Sed si recte perpendamus , haec responsio non procedit , quia Pomponius in ea lege aperte ostendit debitorem teneri ex ipso statim momento occisionis , nou fecus ac tenetur ex ipso interpellationis . Unde falsum est asserere , eum obligari non ex die occisionis , sed ex mora , quam deinceps necessario contrahet , quia a debitore interpellatus , servum occisum praestare nequit .

Itaque pro responsione observandum est Pomp . loqui non de debitor , qui fit in mora , sed generalius de eo , cuius culpa factum est , ne res debita praestetur ; potest enim per me fieri ne praestem , & tamen in mora non sim ; ut si debeam tibi ro . & tamen omnem meam substantiam dilapidem ; tunc utique per me stat , & tamen statim in mora non sum . Itaque in ea lege Jurisconsultas hoc agit , ut explicet , quando dicatur per debitorem scilicet ne res tradatur , & duos modos assignat , semper moram , & rei interitum ; primus continetur illis verbis , si interpellatus non dedisti ; secundus illis , occidisti eum . Ita recte explicat ibi Gipha n . nam . ro . Quare omnino negandum est , servi occisionem inter morte species esse , licet factum occisor tenetur .

Hujus responsionis veritas patet ex eo , quod alias in Jure nostro aperte distinguitur occidio a mora , quod mirum est Interpretes non animadvertisse , cum id clarum sit in ipsa l . si servum , & clarissimum in l . si fidejussor , ff . de dolo , in haec verba : Si fidejussor promissum animal ante moram occiderit ; quare occidio mora non est . Cum liberetur debitor , per consequentiam dimittitur fidejussor . Et liberatur debitor si animal ante moram ab alio occidatur . Itaque fidejussor occidit , & ita liberatus est non solum debitor , sed per consequentiam fidejussor . Tenetur tamen actione doli , d . l . si fidejussor . Obstat textus in l . mora , § . fin . ff . de usur . ubi fidejussor Stichum promissum occidens , utili actione tenetur ex stipulatu , l . mora , ff . de verb . oblig . Responde si dolus probetur .

Probant II . ex Marciano in l . mora , § . fin . ff . de usur . ubi habet : Item si fidejussor solus moram fecerit , non tenetur : sicuti si Stichum promissum occiderit . Sed omnino male ex hoc textu adversarii docent , occisionem mora esse accensendam ; cum ibi aperte invicem inter se haec duo distinguantur ; nam Jurisconsultus duos casus considerat , prior est , si mora per fidejussorem contracta sit : alter si servum occiderit ; ita ut per verbum , sicuti , non intelligitur , quasi exemplum morae , sed alter casus denotatur morae similis . Unde hinc etiam appetit moram ab

oc-

occidente distinguuntur & per consequentia habent omnia leges contra adversarios, & non cum eis facere.

Stet ergo eum, qui promissum, vel debitum servum occidit, teneri statim creditor, non quidem ratione moræ, quam nullam admisit, sed quod per ipsum fit, ne res creditor prestatetur. Idem est si debeatur equus, vel quodvis aliud animal: immo generalius de quacumque specie promissa intelligendum est, itaut si eam debitor perdat, secando, comburendo, vel alio quovis modo, statim teneatur, cum per ipsum fiat, ne tradi possit. Hoc autem in pecunia debita locum non habet, quæ et si deperdita, mutuam tamen functionem recipit, per subrogationem alterius pecuniae, quæ tantundem valeat, ut latius infra manifestum faciamus, ubi de effectibus moræ.

Utrum ad Moram requiratur dolus, an saties sit culpa.

Q U A S T I O N E . II.

Non una est Interpretum sententia. Præcipua est Petri Barbosæ in *I. si mora par. 2. ff. sol. matrimon.* qui ait, debitorem, & tempore debito non solvat, excusari a mora, cum ex justa causa id facit, quæ sicilicet eum ab omni culpa eximat: alias si ei culpa solum levis imputari potest, non liberabitur a mora; ut etiam eo fortius non liberatur, cum in dolo est.

Probat id I. ex Paulo in *I. si quis solutionis, in princ. ff. de usur.* ubi si quis distulit solvere, provocando ad judicium, non aliter excusat a mora, quam si constiterit ex justa causa provocationem iustificuisse: ergo omnis culpa abesse debet; nam justa causa dici non potest, quæ habet culpam admistam.

II. Ex Cajo in *I. illud quoque, ff. de petit. heredit.* dum notat bonæ fidei possessorem non teneri de interitu rei etiam post litem contestatam, quia non videtur esse in mora; cum non sit cogendus temere Jus suum indefensum relinquere; nam per verbum, Temere, innuit, tunc demum non videri in mora, neque teneri de interitu rei, quando si Jus suum indefensum relinquaret, videretur temere facere, hoc est, sine justa causa, vel probabili. Quare docet tunc excusari a mora, quando ob justam causam perseverat defendere rem, quam bona fide possidebat, itaut nulla omnino culpa ob hoc ei imputari posset.

Sed verius puto, moram non contrahi, nisi rei debitæ solutio differatur dolo, vel culpa, quæ dolo proxima sit, ut jam docuit Alciat in *I. quod te, num. 17. ff. si certum petatur, & Joseph. Gibell. a. de usur. art. 1. num. 3.* Quod novis rationibus apertum faciemus.

Et

Et primo ratione; nam ad moram puniendam varia à legibus penae excogitatae sunt , tum præcipue poena usurarum , *Item quidam* , §.quid enim , ff.de ussr. Usuræ autem poena gravis est , & grave malum dicitur; ita ut Hebreis recte usura dicatur , Nesciech , hoc est morsus , quoniam miseri debitores carpuntur , & devorantur : & Aristoph. in nebulis usura ram finxit belluam immanem , quæ per dies & menses argentum semper gignat . Aufonius , velox inopes usura trucidat ; & quamvis hi propriæ de usura conventionali loquuti sint , tamen eadem ratione hoc idem locum habere in illis , quæ ex mora debentur , nulli dubium est . Quare merito a legibus Divinis , & Canonicis usura omnis improbata est ; quidquid aliter Cl. Salmasius , Hugo Donellus , Petrus Heigius , Carolus Molinæus , & alii . Cum ergo gravis pena usura sit , certum est eion debere infligi , nisi propter dolum , vel culpam gravem , quæ dolo proxima sit , non etiam pro levi , vel levissima ; nam pena delicto par esse debet .

Probatur II. ex *I. qui sine* , ff. de reg. Juris , ubi qui sine dolo malo ad judicium provocat , non videtur moram facere . Unde aperte colligi potest , excusari a mora , qui litigat sive justa causa , sive etiam injusta; nam omnis causa a dolo excusat , qui calliditatem requirit , ut in *I. ligatur* , §.potest , ff. de liberali causa . Quare fit , non posse ex culpa levi , seu levissima moram contrahi ; licet secus sit de lata , quæ dolo proxima est , Lmñlier , §.sed enim , ff.ad Trebell. Ut se ab hujus legis obstatculo liberarent Adversarii , nimium astuant . Acc. in *I. quod te* , ff. de reb. creditis , putat suppleendum esse , Et sine culpa ; quod palam est temerarium ; quoties enim utrumque leges dicere volunt , aperte id faciunt , dicendo , dolo malo , & culpa , ut in *I. item si verberatum* , §.fin. ff. de reivind. *I. fin. §.i.* ff. ad teg. Rhod. de jalla ; sive dicendo , fraude & culpa , ut in *I. si culpa* , ff. de reivind. *I. si liberti* , C. de administrat. tutorum . At Petrus Faber in ea lege ait , illud sine dolo , debere intelligi pro justo , & bona fide , & non solum animo differendi . Barbosa sum. 4. putat dolum tunc solum requiri ad moram , cum interpellans desistit . Quæ omnia mere nugæ sunt , & vim faciunt verbis legis .

Probatur etiam ex Pomponio , *I. quod te* , ff. de reb. creditis , quæ hue illuc trahitur ab Interpretibus , & quisque pro se allegat : sed nullum adhuc recte intellexisse puto . Itaque in ea lege habetur , debitorem post moram commissam , non liberari ob rei interitum ; tunc autem in mora intelligitur , cum non tradidit , vel quia dolo malo debitoris res tempore solutionis absfuit ; vel quia ipse ignorabat se debere , cum tamen ex aliqua justa causa intelligere deberet , se dare oportere . Quare hic primo habetur de dolo , in quo omnes convenient : tum subditur de culpa lata in illis verbis , Etiamsi aliqua justa causa sit , propter quam intelligere deberes , te dare oportere ; ubi per illud , Intelligere deberes , lata culpa innuitur ; nam ignorantia in his , quæ scire debemus ,

la-

lata culpa censetur, & neminem excusat, cap. turbatur, §.notandum 1. q.4. gl. in cap. scbisma, verbo ignorantia 24.q.1. & communī consensu Interpretes admittunt. Sed hic illud impense notandum est, justam causam ad latam culpam pertinere; itaut qui habet justam sciendi causam, & tamen ignorat, dicatur esse in culpa lata, quia injustam ignorandi causam habet. Verum hoc amplius explicandum est.

Si quis est prudentissimus, itaut omnia circumspiciat, & omnibus provideat, in nulla culpa est: qui vero est prudens, & magnam diligentiam, sed non omnem omnino adhibet, erit in culpa levissima: sed si forte imprudens sit, hoc est deses, & negligens, erit in levi: quod si fuerit imprudentissimus, nimis in nimia & dissoluta negligentia, dicetur in lata culpa constitutus. Itaque haec quatuor notanda sunt, prudentissimus, prudens, imprudens, imprudentissimus. Ad dolum vero requiritur, ut quis improbus sit, quo casu etiam in fraude esse dicitur.

Amplius qui causam habet, quemcumque sit justa, vel injusta, excusat a fraude & dolo, d.l.igitur, §.potest; ita tamen, ut qui justam causam habeat, non possit dici nisi prudens, vel prudentissimus: quare ito casu in nulla culpa, illo solum in levissima esse dicetur. Sed qui causam quidem habet, sed injustam, hic non potest censeri, nisi imprudens, vel imprudentissimus: eoque erit in culpa levi, vel etiam lata. Hinc sit, quod qui habet justam causam sciendi, & tamen ignorat, dicatur esse non solum in culpa lata, sed etiam aliquando in levi; nam qui ita ignorat, dicitur habere injustam ignorandi causam. Quare cum Pomponius hanc ignorantiam traxit solum ad latam culpam, utique illum restrinxit. Hoc notasse satis utile est.

Nam hinc resolvuntur argumenta Barbosæ, quæ nonnullis satis difficultia visa sunt. Et primo inquantum ad Paulum in d.l. si quis solutio. ni, ubi qui juste ad judicium provocat, non facit moram; itaut ille tantum dicitur moram fecisse, qui injuste, seu sine justa causa provocat; respondetur verum esse hoc posse intelligi non solum de culpa lata, sed etiam de levi; tamen si Jurisconsultorum consuetudinem attendamus, non debet capi, nisi de culpa lata: etenim Pomponius in d.l. quod te, aperte injustam causam de lata tantum culpa accipit. Quare ita quoque intelligendus erit Paulus, & per consequens nobiscum sensiet, qui docemus, moram non contrahi nisi ex dolo, vel culpa, quæ dolo proxima sit, hoc est culpa lata. Inquantum vero ad Cajum in l. illud quæ, eodem modo respondemus; nam ibi dicit, qui non temere litigat, non est in mora: non temere, hoc est, cum justa causa. Quare qui injustam causam litigandi habet, est in mora, hoc est in lata culpa, ut mox cum Pomponio dicebamus. Et sane in tit. Instit. de pena temere litigantium, illud verbum Temere, non accipitur nisi de eo, qui dolo, vel culpa lata ad judicium provocat.

Pp

Hinc

Hinc intelligitur Ulp. in *I. sciendum*, ff. de *asur.* cum dicit, illum qui optima ratione differt, hoc est justa causa, non esse in mora, puta si exceptionem aliquam alleget; nam hic nos docet ad moram contrahendam in justam differendi causam exigi, hoc est latam culpam; itaut Paulus in sequenti lege statim subdat de dolo; dum ait, exceptionis oppositione non contrahi morem, si id ipsum fraudandi causa non simuletur.

Intelligitur etiam, quomodo accipiendus sit textus in *I. nemo rem, s. fin. ff. de verb. oblig.* ubi generatim habetur, moram facere, qui admonitus de re debita praestanda, vel solvenda, maluit potius litigare, & judicium accipere, quam rem debitam, aut promissam praestare, aut restituere; nimurum hoc esse per dictas jam leges intelligendum, cum promissor, sive debitor, vel dolo malo, vel lata culpa, & animo tergiversandi judicium accipit, ut recte ibidem admonet Giphanius; neque enim est novum unam legem per aliam explicare, & distinguere.

Intelligitur etiam textus in *I. dolus est, ff. mandati*, ubi habetur, dolus est si quis nolit solvere, cum exegerit; & sermo proprio videtur esse de procuratore, qui vel speciem, vel quantitatem meo mandato a debitoribus exegit, & eam mihi reddere, & solvere detractat; hic enim cum palam sciat se debere, ita tergiversando, cum dolo dicitur esse. Verum ex hoc textu facile colligi potest, debitorem, qui pecuniam a me accepit, cum reddere non vult, credi a lege versari in dolo saltem presumto; nam & hic quoque se debere sine ullo dubio scit, ut ibidem Acc. advertit. Quare fallitur *Jaf. 3. consil. 34. ad fin.* dum ex hoc textu dicit, moram semper presupponere dolum; nam potest fieri, ut debitor qui est in mora, juste ignoret se vere debere, & eo casu non potest dici in dolo versari, ut dictum est; cum nihilominus in d. *I. dolus*, presupponatur debitorem scire se debere, ut non solvendo dicatur esse in dolo.

De divisione Moræ, & qua ratione contrahatur.

C A P. II.

Recepta est nostrorum traditio, moram in duas veluti species dividi, quarum unam Regularem vocant, Irregularē alteram. Irregularis est, quæ contrahitur absque ulla interpellatione; sed ex æquitate in quibusdam negotiis ipso Jure contracta intelligitur, ut favore dotis, odio furis. Regularis e diverso per interpellationem contrahitur; sive interpellatio hominis sit, sive diei in contractu appositæ, Barbosa in *I. mora, num. 8. ff. sol. matr.* & alii passim. De singulis agamus.

I. Mo-

I. Mora ex persona contrahitur, si interpellatus quis opportunο loco non solverit, quod debet, vel non acceperit, quod sibi debetur: hoc est, si quis admonuit debitorem, ut solveret, vel creditorem, ut reciparet, quod debetur, & per adversarium steterit, quo minus id fieret, satis mora facta intelligitur, *l.mora, ff. de usur. l. quod te, ff. de reb. creditis, l.si ex legati, ff. de verbor. oblig. l qui decem, ff. de solut.* & alibi sæpe. Est porro duplex interpellatio, una judicialis, quæ sit in judicio, quæque ad moram constituendam sufficit, ex *l.nemo, ff. de verb. oblig.* ubi Ulp. ait moram fecisse videri, qui maluit litigare, quam restituere, item ex *l.l. & 4. C.de usur. & fructib. legatorum*, ubi Cujacius notat, non duci certius moræ rationem, quam ex die litis contestatae. Altera interpellatio extrajudicialis est, quia extra judicium sit, & privatim a creditoro, vel debitore, eaque ad moram constituendam etiam satis est, *l.38. §.si actionem, ff. de usur. l.Tertia, §.usura, ff. de leg. 2. l.quis Romæ, §.coheredes, ff. de verb. oblig. & pas-* sim alibi.

Sed quæsumus est, utrum unica extrajudicialis interpellatio ad moram constituendam sufficiat, & modo solemniter, hoc est, testato facta sit. Et responde, id non juris, sed facti questionem esse. Male enim hactenus digladiatum est a nostris Interpretibus circa rem hanc, dum alii credunt iteratam interpellationem exigiri, ut *Æmilius Ferretus hic, a n.8. Corasius 2. miscell.6.* alii vero unam satis esse contendunt, ut Cujacius ad *Africanum tract.8. & ad l.36. ff. sol. matr.* Duarenus in *l.quis Romæ, §.coheres, ff. de verb. oblig.* Fab. *loc.cit.* Forcat. *hic par. 1. num. 10. ad 13.* ut omittam *Gibalium, Leotardum, Pichardum* in *disputatione de mora*, aliosque. Errant enim ad unum omnes, cum nos animadverterint questionem hanc propositam esse a Martiano in *d. l.mora*, ubi ait, resolvi de Jure non posse, cum ex facto pendeat apud Judicem examinando. Quod amplius exponere operæ pretium erit. Cum statuisse Jurisconsultus moram ex persona fieri, si interpellatus opportunο loco non solverit; statim subdit: Quod apud Judicem examinabitur. Quid, quæso vos, examinandum est in foro circa rem hanc, nisi utrum interpellatio recte facta sit? nimirum an semel interpellasse fuerit satis, vel potius iterato, & sæpius id faciendum fuisset. Quod & sequentia manifeste ostendunt. Hanc ergo questionem Martianus hic proponit, quam nos præ manibus habemus, & eam resolyi non posse ait, cum difficultis sit hujus rei definitio. Hæc verba non pertinent ad illud definitionis genus, qua rei natura quam brevissime exponitur: sed ad moræ constitutionem, id est, difficile esse definire, sive statuere, & determinare in genere, quot interpellationes ad moram ex persona exigantur: nam, ut idem Jurisconsultus subdit, facti magis questione est, quam juris; ita ut neque constitutione ulla, neque Juris auctorum questionibus decidi id posse videatur. Itaque aliquando una interpellatio satis erit, ali-

quando non. Exemplum afferit ipse Marcianus in eo, qui debitori suo renunciavit, sed cum is sui potestatem faceret, omissa est repetendi debiti instantia; hoc casu non dicitur moram fecisse debitor, cum ex instantiæ remissione videatur creditor deposuisse animum per id tempus debiti repetendi. Hoc autem ex facto dependet; quare recte Jurisconsultus dicit, id apud Judicem examinari deberi, & facti, non Juris quæstionem esse videre, utrum una interpellatio satis sit, an plures exigantur. Hæc est nostra circa legem illam opinio. Hinc mirari subest, qua fronte Leotardus q.8 i. num.5. dicat, quidquid veteribus vñsum sit, sibi tamen non videri admodum difficile esse definire, an mora contracta intelligatur. Ita sane eo quisque magis sibi sapiens videtur, quo magis ineptit.

Verum ab iis, qui sèpius interpellationem requirunt, producitur Scævola in *l. qui Romæ*, §. Seja, ff. de verb. oblig. ubi agens de credito-re, qui constituendus est in mora per debitorem, videtur non unam oblationem, sed plures exigere; ait enim, si Seja non cessasset. Quare eod em modo, ut debitor constituatur in mora per creditorem, non semel, sed iterato interpellandus est. Quæ objectio adeo movit Alciatum, ut *i. dispuñt. 13.* verba immutaverit, docueritque legendum esse. Etsi Seja ante cessasset, quod & hodie in aliquibus impressis legitur: ut sit sensus, primam oblationem sufficere, et si postea ab offerendo cesatum sit. Ego utramque explicationem falsam esse judico, cum nihil ibi Scævola de numero oblationum agat; nec sane agere potuit, cum Marcianus expressè de interpellationibus scribat, hoc nullis Jurisconsultorum quæstionibus unquam fuisse decisum. Dicam ergo quod sentio. Sed prius præfandum est, retinendam esse ex Codice Florentino vulgatam lectio-nem, nimirum, Si Seja non cessasset, ut monuit Ant. Aug. i. emend. 3. n. 35. atque ita etiam in suo M. S. legi testatur Menochius de arbitr. casu 220. Robertus 2. recept. leff. 3.

Mihi itaque videtur, illa verba, non cessasset pecuniam offerre, non denotare, opus fuisse, ut iterato pecunia offeratur, nam de hoc, uti ex Martiano patet, apud Judicem quærendum erat: sed valere, non omisisset, licet semel, offerre. Ita enim Cic. locutus est ad Q. Fratrem, Si te inimici vexare cæperint, ne cessaris me certiorem facere, ut accurras: quod tantundem valet, ac si simpliciter dixisset, me certiorem facias. Ita hic, non cessasset offerre, perinde est, ac dicere; obtulisset. De verbo cessare nos in §. fuerat, q. 3. Vide. Quare nihil Jurisconsultus statuit, de una, vel multiplici oblatione.

E diverso, qui unam interpellationem satis esse contendunt, nituntur in *l. Titia Sejo, §. usuræ, ff. de leg. 2.* cuius hæc sunt verba: Tameu pro non mora hoc habendum est, quam sufficit semel intervenisse, ut (usuræ) perpetuo debeat. Verum hoc nihil facit pro hac opinione; non enim hic afferitur interpellationem semel intervenire debere, cum nulla prorsus ibi de

de interpellatione mentio habeatur; sed loqui solum de mora, quam Paulus ait semel requiri, ut usuræ dicantur debitæ. Nihil autem miror antiquos Interpetres ita pessime his Pauli verbis usos; miror tamen ipsos ab Antonio Fabro viro acutissimo fuisse in hac ineptia fecutos, eo magis, quod jam verus illius legis sensus fuerit notatus a Corasio loc. cit. n.3. Ita neque quidquam statuit Marcellus in *I. tutor pro pupillo, ff. de administrationem*, ubi ait: Tutor usuras præstare non debet, ex quo obtulit pecuniam; unde quis colligere posset, unicam oblationem satis esse ad constitendum creditorem in mora: & tamen ex dictis constat, nihil hic Jurisconsultum de hac re diffinire, cum apud Judicem hoc examinandum sit.

Concludendum itaque est, ad moram nunc unam, nunc plures interpellationes exigi. Qua in re plurimum dominatur arbitrium Judicis, ut ipse scilicet videat ex aliis rerum, & personarum, ut dicunt, circumstantiis, & conditionibus, quot interpellationes, vel oblationes fuerint satis. Quod tandem Corasius loc. cit. num.9. veritate expugnatus, factetur. Hinc est, quod apud antiquos Jurisconsultos, dum facti speiem nobis expoundunt, nunc ajunt litigatores semel, nunc saepius interpellasse. Ita clarissime patet ex ipsomet Scævola in d. l. qui Romæ, in princ. ubi ait, debitorem quemdam Römæ testato creditori dixisse, param se esse pecuniam numerare; quæ verba ita concepta sunt, ut clare inuant, unicam interpellationem factam fuisse ex vulgata l. boves, §. hoc sermone, ff. de verb. signif. E diverso vero in ead. l. qui Romæ, §. coheredes proponitur, quem saepius testato convenisse, hoo est, non semel sed iterum, vel etiam tertio. Quod de facto ut ille sibi plenius caveret, fecit, ut notat Bart. in d. §. Seja num.4. Cujacius ad Africanum d. tract.8, l. cum patris, ff. de usur. Forcat. 1..p. num. 13.

Hoc idem Cujacius docet in quantum ad textum in *I. Æmilius, ff. de minor.* in quo agitur de fundo vendito lege commissoria, idest, ut nisi intra certum diem pretium solutum sit, fundus inemitus fiat, quæ lex statim atque commissa est (nimirum die jam præterita) venditor statim eligere potest, utrum commissoriam velit exercere, an potius pretium petere, ita ut uno electo ad aliud redire non possit, l. si fundus, §. eleganter, ff. de lege commissoria. Et proinde cum pretium post diem petit, videtur emtorem a mora liberare. Itaque Paulus in d. I. Æmilius ait, a venditore has denunciationes saepè fuisse datas. Quod est, ait Cujac. simplex facti expositio, non juris constitutio; nam si semel denuncias. set, adhuc fieri poterat, ut emtorem a mora intelligeretur liberasse, d. §. eleganter.

II. Mora ex facto est in illis obligationibus, quæ licet pure concipientur, tamen tempore completi videntur, ut definitur a Pau. lo in *I. interdum, ff. de verb. oblig.* veluti si quis insulam ædificare promiserit, neque tamen cœperit ædificare intra id tempus, quod ad incipiendam

cipiendam insulæ ædificationem sufficere potuisset, jam dicitur moram fecisse. Ita aperte in *l. stipulationes non dividuntur, §. fin. ff. eod.* Quare mirandum est de Antonio Fabro loc. cit. qui dicit moram non contrahi, nisi postquam transierit tempus, intra quod insula ædificari potuerit; cum in *d. §. fin.* dicatur attendi debere tempus, quod ad incipiendam insulam satis est, in hæc verba: nec si insulam fieri, ut tantum temporis prætereat, quanto insula fabricari possit, sed ubi jam cœpit mora facienda insulæ fieri, tunc agetur, diesque obligationi cedit: atque ita accipiendus est Paulus idem in *l. si insulam, ff. eod.* Idem prorsus est, si promiserim, quod in utero sit, aut fructus futuros; tunc enim incipit creditoris actio, & proinde debitoris mora, cum ea per rerum naturam præstari possint, *d. l. interdum.*

Sed putat Duarenus in *d. l. si insulam*, alique nonnullis ex lapsu illius taciti temporis solo moram non fieri in obligatione operis, sed hoc amplius & interpellationem esse necessariam, ut in obligatione dandi, *l. mora, ff. de usur.* Verum in contrarium communis opinio nititur, & manifeste constat ex *d. l. stipulationes, §. fin.* Nec turbat, quod Martianus in *d. l. mora*, dicat moram ex persona fieri, non ex re; quoniam in eo loco sermonem Jurisconsultus habebat de ea tantum obligatione, quæ pura omnino est, hoc est de ea, ubi tempus tacitum non inest, de qua nos loquimur in præsens. Objiciunt etiam Scævolam in *l. nulla, ff. de reg. jur.* ubi ait, nullam intelligi moram ibi fieri, ubi nulla petitio est; in cuius legis interpretatione tantopere se torquet Forcatul. p. 1. num. 9. Sed facilis responso est, petitionem non idem esse, ac interpellationem, sed denotare Jus petendi quod sibi debetur, *l. pecunia verbum, ff. de verb. Signif. & recte ait Scævola*, moram non committi a debitore, nisi jam creditor contra ipsum Jus petendi habeat.

Ratio vero cur in obligatione pura, cui tempus inest, mora ex transitu temporis committatur: in obligatione vero omnino pura interpellatione sit opus; inde pendet, quod in pura obligatione arbitrio creditoris conceditur temporis laxamentum debitori, eo que necesse est, ut ipse creditor moneat debitorem se amplius tempus laxare nolle. At vero si obligationi tempus inest, tempore adveniente, nullum amplius laxamentum concedi intelligitur, cum satis sit, quod interfuit ex tempore, quod inest. Unde fit tempus ipsum pro homine interpellare. Et notandum est, quod Venulejus ait in *l. continuus, §. cum ita, ff. de verb. ob.* in his negotiis Judicem, idest, virum bonum estimare debere, quanto tempore diligens paterfamilias facere potuisset, quod se facturum promisit. Cum vero Gifanius distinguit inter obligationem dandi & faciendi, frustra est, eo quod tacitum tempus non solum in obligatione faciendi inest, veluti insulam fieri: sed etiam inesse potest in obligatione dandi, ut si promittam foetus gregium, fructus futuros, *d. l. interdum.*

III. Mo-

III. Mora fit ex diei expressae adventu, in qua aliquid solari, vel præstari debet; statim enim ac lapsa est dies, mora facta intelligitur etiam non interpellante creditore. Unde illud ortum est, Dies interpellat pro homine. Ita Hornien. 3. Prochiris 3. Cujac. in l. 17. ff. de confit. pecun. & in l. trajectitia, ff. de act. & oblig. Hotom. hic num. 9. Donell. 16. comment. 2. & passim alii. Et patet tum ex mox recitat is; tum præsertim ex eo, quod Paulus scriperit ad diem sub pena promissa pecunia, & ante diem mortuo promissore, non ideo minus penam committi, eoque moram fieri, licet non sit adita ejus hereditas, l. ult. ff. de nauit. fæn. l. ad diem, ff. de verb. oblig. ubi Alciat. ait, cum nulla hic fiat curatoris, vel interpellationis mentio, satis probati ipso Jure moram per diei adjectum transitum committi. Idem constat ex l. pecunia, §. usurarum, ff. de usur. l. 3. ff. de in litem Jur. l. magnum, C. de contr. emtione, l. Thais, §. intra, ff. de fideic. lib.

IV. Fit mora ex adventu conditionis, vel diei incertæ, quæ pro conditione est. Verum queritur num interpellatione fit opus. Et Ant. Gubertus hic c. 4. num. 43. & seq. distinguit inter conditionem, cuius eventus in incerto est, ut puta, Si navis ex Asia venerit, & eam, quæ omnino extitura est, tametsi quo die extitura sit, ignoretur, veluti, si moriar. Itaque cum dubius est conditionis eventus, mora non fit, nisi interpellatio accedat; quia debitor prævidere non potest conditionis diem, ut tunc præsentem pecuniam habeat. At si omnino extituta conditio est, quoniam tunc diei certo comparatur, l. si pupillæ, ff. de novationibus, l. nam si cum 17. ff. de condit. indeb. solo conditionis even- tu moram fieri ait, modo eventum debitor non ignoret.

Verum Leotard. q. 8 l. a num. 36. putat conditionis eventum, etiam ejus, de qua incertum est, an sit extitura, si non aliud obstat, eum qui ea aveniente solvere tenetur, in mora constituere. Movetur ex levibus, ff. de usur. ubi convenerat sub conditione si agri venditi evincerentur, ut vendor pretium restitueret, nec quidquam de usuris expressum est, tamen evictione sequuta usuræ una cum pretio refunduntur emtori: & proinde sine interpellatione casus evictionis venditorem in mora constituit, tametsi incertum esset, an conditio esset extitura. Ipse enim conditionis eventus pro homine interpellat, nec alia admonitione opus est, cum ab initio conventum est, ut aveniente conditione solveret, l. 26. ff. de transactionib. l. i. §. ult. ff. de actionib. emti.

Ceterum verius est omni casu per conditionis eventum moram non contrahi, nisi hominis interpellatio accedat. Ita vulgo receptum testatur Jason in l. quoties, num. 2. ff. de verb. oblig. Ant. Gomez. lib. 2. x. 11. num. 31. Forcat. 3. p. num. 6. aliquie. Ratio satis evidens est; nam cum dies certa solutioni definita est, potuit satis a debitore prævideri, qui talem legem sibi dici passus est, eoque sine interpellatione mora constitutur. At dubium est, an veniat conditio & quando: quare nisi hoc casu in-

interpellatio accedat, eventus rei incertus in mora non constituet. Hinc regula est, ut quæ pro certo prævideri queunt, in mora, vel in culpa constituent, non quæ sub incerto, *i. sed & si quis, §. si feria, ff. ex quibus causis majores, l. si quis domum, §. fin. ff. locati.* Neque objicias, quod modo diximus de conditione pura, cui tempus insit, per temporis lapsum moram committi; nam sciendum est in tali obligatione tempus quodammodo certum esse, & saltum boni viri arbitrio definiri posse, ut jam notavimus ex *Venulejo in d. I. continuus, §. cum ita, ff. de verbis oblig.* & secus esse in conditionis eventu, ubi tempus omnino incertum est, nec in consiliis nostris, sed in volubilitate fortune positum. Eoque nihil mirum si hoc casu interpellatio requiritur, in illo non item.

Hinc recipienda distinctio Guberti non est; nam etsi certum sit conditionem illam, Si moriar, omnino eventuram esse; tamen incertum omnino tempus est, quando tandem eveniet: nec quidquam inopinatum magis est, ut ajebat Forcatulus, quam mortis impressio senibus saepe lentissimæ, & juvenibus insidiosæ, licet neutros obliviscatur. Condition, quæ omnino extitura est, multum interest, utrum stipulationi, an legato adscripta sit, *Acc. in I. Julianus, v. proficisci tur in prima solutio ne.* In conditione duo possunt esse dubia, unum de eventu, an scilicet res extitura sit, an non: alterum de tempore, quo res extitura est, vivo creditore an mortuo.

In contractibus dubius tantum eventus conditionis atteuditur, non etiam tempus, cum nihil interfit, utrum vivo, an mortuo creditore res existat, dummodo existat; semper enim ad ipsius heredem transmittitur, *§. omnis, Institutionib. de verb. oblig.* Unde factum est, ut qui sub conditione stipulatur, quæ omnino extitura est, pure videatur stipulati, *l. si pupillus, §. i. ff. de novationib.* Non tamen hæc stipulatio omnino pura censenda est, sed assimilari debet ei, cui tempus tacite inest; propterea quod statim promissum est, exigi non potest, sed expectandum est tempus eventus; ita tamen, ut si debitor interim solvat, repetere non possit, tanquam iaddebitum, *I. Julianus, ff. de conditione indebiti.*

At secus est in legato, ubi tempus, quo conditio extitura est, attenditur; nam quod vivo legatario existit, ad ejus heredem transmittitur: quod vero eo mortuo, non transmittitur. Ob hoc ergo dubium circa tempus, quod in legato interest scire, fit, ut legatum sub conditione, quæ omnino extitura est, vere pro conditionali habeatur, *I. b. s. j. usmodi, ff. quando dies legat. cedat.*

Cum vero dicit conditionem, quæ omnino est extitura, diei certo comparari, fallitur omnino, cum aperte pro pura declaretur in *l. si pupillus, §. i. ff. de novationib.* in hæc verba: Qui sub conditione stipulatur, quæ omnino extitura est, pure videtur stipulari. Ubi mirum in modum errat *Aec.* cum concedendo hanc stipulationem non esse conditionalem,

nalem , ait tamen in diem esse ; errat , inquam , quia pura stipulatio non solum opponitur conditionali , sed etiam ei , quæ in diem est , *s. omnis , de verb. oblig.* Est ergo vere pura . Nec obstat , quod statim exigi non potest , sed expectandus est eventus , quia in aliis etiam puris obligatiōnibus præsens exactio non admittitur , ut in stipulatione annua , & in ea , cui locus inseritur , *s. at si ita , s. loca etiam , eod.sit.* Cum ergo obligatio sub conditione omnino extitura , censeatur pro pura , merito sit , ut si per errorem ante solvam , repetitio non conceditur , *d.l. nam si cum , ff. de condit. indebiti.*

Neque e diverso verum est , quod Leotardus putabat , ipso conditionis eventu , absque interpellatione moram contrahi . Neque hoc probatur ex *d. levitatis , ff. de usur.* cum ibi usuras non debeantur ratione moræ , sed fructuum , quos interim e pretio soluto venditor percipit . Species enim ita se habet . Evictis agris , petebam a venditore tum agrorum premium , ut initio pacti eramus , tum usuras , de quibus nihil convenierat . Concordamus in hoc usuras deberi ; sed discordia e diverso erat de die , a qua deberi intelligerentur . Evidem emtor dicebam a dominii lite inchoata (hoc est a litis contestatione) debitas , ea ratione , quod ab eo die ego fructus agrorum adversario restituere teneor . Quare si ego fructus agrorum interim non lucror , neque venditor fructus pecunias sibi acquirere debet . Ita ergo ratione fructuum usuras peto . Verum e contrario venditor , se ad usuras obligatum ait a die , quo facta est evictio , nimirum lite finita . Et hoc probat Scævola , quia incommodum medii temporis , hoc est a die contestata usque ad sententiam , emtoris damnum est . Sed dices , cur concordant in hoc , ut usuras debeantur , etiamsi de illis nihil esset conventum , neque ulla interpellatio facta sit ? Responsio est in promptu ; quoniam enim premium semper emtori restituendum est post evictionem , etiamsi ea de re nihil conventum sit ; inde est , quod quoties expresse de pretio restituendo convenimus , res omnino frustratoria & inanis gesta esset , si secuta evictione nil præter premium esset restituendum . Ne igitur hoc dicamus , statutum est , ut hoc casu conventio de pretio etiam usuras comprehendere . Quod locum habet in contractibus bonæ fidei , non etiam in illis , qui stricti Juris sunt . Est itaque casus singularis .

V. Fit mora in obligatione pura , ex re potius , & ex singulari creditoris privilegio , nulla denunciatione facta , itaut statim ac debet , debitor in mora esse intelligatur . Et hæc dicitur mora re ipsa , *l. in minorum , C. in quibus causis restit. in integrum.* Idque I. fit odio furis , qui semper a die furti commissi moram facere intelligitur , adeoque cum res condicetur , estimatio secundum id tempus sumitur , quo res plurimi fuit , *l. in re furtiva , s. i. ff. de conditione furtiva . II. Favore minorum 25. annis , quibus a D. Marco & Severo concessum est , ut pro pecuniariis fideicommissis , quæ ipsis relicta sunt , usuras debeantur a die ,*

Qq

quo

quo peti potuit, *I.cum vero, §. apparet, ff.de fideicommissilibert. I.Titiae Sejo, §. usuras, ff.de leg. 2.* Quod deinde paulatim receptum est, ut locum haberet etiam in legatis, & in contractibus per minores initis, ut scilicet re ipsa, & solo tempore tardae solutionis mora facta intelligatur. Quod deinde legi sanxerunt Diocletianus & Maximianus in *d.l. in minorum, C. in quibus causis restitutio.* In aliis vero casibus debent minores interpellare, ut in mora debitores constituant, *Æmilius Ferretus num. 9.* Menochius *casu 220. num. 17. in fine.* Hæc mora re ipsa finitur, emensa minori estate; & ut iterum debitor in mora constituantur, interpellatio necessaria est, *I.Titiae Sejo, §. usuras, ff.de leg. 2.* In aliis moris sufficit eam semel intervenisse, ut usuræ perpetuo debeantur, ut ibidem habetur. III. Hoc ab Ulpiano extensum fuit ad fideicommissariam libertatem servo relictam; ut puta, si ancillæ prægnanti libertas relista sit, & libertas jam peti possit, nec tameu petatur: interim vero ancillæ filius natus sit, cum deinde mater libertatem adipiscetur, ipsi etiam filius tradetur, ut eum de manu mittat, eoque filius erit matris libertus. Ex die, quo libertas petita est, filius ingenuus nascitur, *I.cum vero, §. i. ff.de fideic. libert.*

Sed antequam ulterius progrediamur, sciendum Antiquos non omnes inter se convenire, utrum his casibus dicant moram inesse, an contra. Certe negat Paulus in *I.Titiae, §. usuras, ff. de legat. 2.* in hæc verba: *Quamvis enim constitutum sit, ut minoribus 25. annis usuræ omnino præstensur, tamen non pro mora hoc babendum est;* & nihilominus hoc oculi moram omnia esse, statuit Diocletianus in *I.minorum, C. in quibus causis restitutio in integrum,* *I. si tamen, ff.de minoribus;* in quibus dicitur mora te vel re ipsa. Quam disreceptionem ideo inducit putat Gibalinus *lib. 2. cap. 6. art. 1. num. 8.* quod non sit mora secundum regulas Juris, quæ interpellationem exigunt: sed sit ex creditoris privilegio. Non esse moram probatur. I. Quia si esset, non opus fuisset constitutione Severi, ut ex ea debeantur usuræ minoribus. Vetus enim lex erat, ex mora usuræ deberi. II. Quia usuræ non deberentur soli minoribus, sed etiam ceteris. Dices, si mora non est; ergo culpa & dolus abest, & proinde qua ratione usuræ debentur, quæ non ob lucrum exigentium, sed ob pœnam non solventium infliguntur, *I.cum quidam, ff.eod.*

Hæc in nostro Jure sunt expressa, videamus modo ad quas etiam personas id produixerint Interpretes.

I. In Ecclesiis, & aliis venerabilibus locis moram etiam re ipsa committi volunt. Ita de communi Covar. 3. var. 17. num. 4. Everard. in *locis legalibus, loc. 133. num. 3.* Surd. dec. 13. & 25. Idque dupli ratione assertum est, quia Ecclesia Jure minorum utitur, *cap. 1. & 3. de in integrum restit.* & proinde recte argumentum a minoribus ad piam causam, ecclesiæque duci potest; cum etiam quia Justinianus in *I. 46. C. de Episc.*

& Cle-

& Clerio. Jussit heredes , si distulerint præstare , & facere , quæ favore Ecclesiæ , & aliorum venerabiliorum locorum in testamento disposita sunt , solvere fructus , & redditus , & omnem legitimam accessionem ex die mortis testatoris , quod ipso Jure ab eo mora facta intelligatur . Idemque fere habetur in Novell. 13 i. §. si autem , ibique Cujac.

II. Favore Reipublicæ , ut scilicet debitores ipsius re , & ex solo tempore tardæ solutionis , moram facere videantur , quia etiam Respubli- ca Jure minorum utitur , 1.4. C. ex quibus causis majores , 1. Rom. C. de Jure Rep. lib. 11. Et eadem ratione oppida , & municipia , quæ ut nūt Leotard. q. 8. 2. n. 7. plusquam minores sunt . Habent enim minores suos curatores , qui satidare tenentur res eorum salvas fore , etiam si minor , nec alius quispiam id expostulet : oppida vero , & civitates Curatores non habent , sed destructores , qui eas diripiunt . Sane administratores earum non satisfiant , & multa conniventibus oculis transmittunt .

III. Hoc idem locum habere in fisco statuunt . Ita communiter post Acc. in l. cum quidam , §. fiscus , ff. de usuris . Menoch. de arbitr. causa 220. num. 8. Ferretus hic num. 9. Cujacius 22. abs. 34. licet ambigat Leotardus q. 22. a num. 7. ad 13.

I. Id probat Menoch. ex Ulpiano in l. item veniente 22. §. petitam , ff. de peti. bereditat. cum enim Senatusconsultum tempore Hadriani con- ditum loqueretur de hereditate fisco delata , & statutum esset , ne fiscus peteret usuras pecunie redactæ ex pretio rerum caducarum , quæ fue- rint ante fisci petitionem divenditæ ab iis , qui se heredes esse existima- bant ; ait Jurisconsultus tuus intelligi petitum a fisco , cum possiden- di denunciatum est , nam tunc incipit esse male fidei possessio . Et hæc est mora , quæ sine ullo privilegio per interpellationem oritur . Petit tum Ulp. Quid ergo si possessio scit quidem res esse caducas , Fiscus autem ei non denunciat ? an incipiat usuras debere pecunias redactæ ? Et respon- det eum debere ; caput enim male fidei possessio esse . Et hæc est mora orta , sine interpellatione ex privilegio fisci . Hujus argumenti vim ne attingit quidem Leotardus loc. cit. & frustra objicit in §. antecedenti ab Ulpiano afferi Senatusconsultum in privatorum quoque petitioibidus locum habere , licet in publica causa factum sit ; respondetur enim , ex hoc nihil elici posse contra supradictam sententiam , nam & privati ali- quando hoc privilegio fruuntur , ut mora sine interpellatione contracta intelligatur .

II. Probat Ferretus ex Paulo in l. cum quidam , §. fiscus , ff. de usur. ubi fiscus ex suis contractibus pecunias non dat , sed ipse accipit , ut solet a foricariis , alias forniciariis , qui tardius pecuniam inferunt , item ex vectigalibus : cum autem in locum privati succedit , etiam dare solet ; verba enim illa , Qui tardius pecuniam inferunt , non solum compre- hendunt moram ex interpellatione , vel die , sed etiam privilegiam , ut patet ex l. 3. C. in quibus causis restitutio in integrum non est necessa-

- *ratio*, in qua Jus singulare constitutum est favore minorum, ut eis ex solo tempore tardæ solutionis mora fiat. Ita quoque aliquando tardius solvere dicitur, qui diem conventam & constitutam præterire finit, ut accipiens est Paulus idem in d. l. cum quidam, §. ex locato, ubi ex locato qui convenitur, nisi convenerit, ut tardius pecunia illatæ usuras deberet, nonnisi ex mora (scilicet contracta per interpellationem) præstare debet; quamvis Leotardus num. 12. hunc textum acceperit etiam de usura privilegiaria; non animadvertisendo ad verbum convenerit.

III. Probat idem Ferretus ex l.4. C.ex quibus causis majores, unde constat Rempublicam Jure minorum uti solere. Verum ne extremus, hoc argumentum nihil probat pro fisco, cum omnino diversa sit Respublica, & fiscus, ut palam est ex tit. C.ne fiscus, vel respublica, & ex tit.de Jure fisci, & reipub. & ex l.6. & 8. ff. de maner. & honor. l.1. C.de defensorib. civitatum, & ex aliis plerisque locis; adeut fiscus Jure privatorum statutus, l. si pignus, ff. qui pot. in pign. l.3. C.de revind. l.2. & 6. C. de Jure fisci, l.37. ff. eod. vit. & ex Ammiano Marcellino lib.25. habetur, Julianum Imperatorem dixisse, se æquasse Jura fisci cum privatis, ut refert Cujacius in l.5. ff. de Jure fisci. Qua ergo ratione a republica ad fiscum potest recte argumentum duci? Quod etiam patet, quia passim Civitates respublicæ dicuntur, quas certum est non habuisse fiscum, ut Civitas Comanensium l.10. C.de injuriis, Thessalonicensium l.23. C.de evictionsibus, item Civitas Aphrodisiensium in novell. 160. Nec uspiam in Jure civili scriptum est, fiscum Jure minorum uti. Itaque hoc argomento non probatur communis sententia, quæ hoc privilegium tribuit fisco: quæ tamen satis ex supradictis firma remanet.

De effectibus Moræ.

C A P. III.

Quoniam Mora inter delicta a Jure civili computatur, & imponitur multæ pœnæ adversus eum qui, l.3. §. fin. ff. de usur. ideo in mora est, statutæ reperiuntur, quæ dicuntur effectus moræ: Verum quia potest mora committi vel ex parte creditoris, qui rem oblatam noluit recipere, vel ex parte debitoris, qui rem debitam noluit solvere; hinc fit, ut præsens omnis tractatio in duas partes dividi oporteat. Sit itaque.

De

De effectibus Moræ Debitoris.

Primus est, quod licet debitor ante moram de interitu rei non tenetur, ut jam dictum est; tamen si res sua & naturali morte post moram commissam perierit, debitor tenetur, *I. vero, §. i. ff. de verb. oblig.* Sed hoc ita absolute dictum varias, magnasque patitur difficultates; ideo varie nonnulli distinguunt. Giphanus itaque ad *I. si ex legati, n. 17. de verb. oblig.* ita distinguit, ut scilicet naturalis interitus rei pertineat ad dominum, sive petitorem, si æque res fuerat peritura apud ipsum; pertineat vero ad possessorem, si non æque. Vocat autem Giph. æque peritaram, quæ si esset data, ac restituta a debitore, non fuisset vendita, aut distracta a petitore, ut quia non potuerit eam vendere, aut etiam noluerit. Quod si autem potuit vendere, & non fuit ei restituta, hoc casu si periit apud debitorem, non potest dici æque peritaram fuisse apud creditorem, quia ille eam distraxisset. Est autem hujus distinctionis aequitas, sive ratio, cur uno casu naturalis interitus ad debitorem, altero ad creditorem pertineat, ista; quia cum creditor rem vendere potuit, & porro pretium inde consequi: id autem impedivit debitor morando, æquum sit ei moram hanc suam nocere, & non creditor. Cum vero non fuerat venditus, nihil est, quod conqueratur creditor: id enim, quod solum conqueri potuerit de pretio, jam locum non habet, quia presupponimus eum non fuisse venditum.

Sed dices: debitor semper dicet, se fuisse venditum. Respondet Giphan. id facile per Judicem æstimabitur, considerata & personæ, & temporis, & rei qualitate, ut si creditor sit pupillus. Hic certe etiamsi vellet, alienare non posset, sine decreto. Imo si habeat, unde se substantet, & creditoribus satisfaciat, ne ex decreto quidem permittitur alienatio rerum pupillarum, *I. i. ff. de reb. eorum, qui sub tutori.* Quid si tempora sint, aut pestilentiae, aut belli, quibus non facile reperiatur emitor? Quid si res sit ea, quam nemo facile emere velit, ut si fundus sit pestilens, servus nequam? Hac distinctione Giph. leges omnes, quæ de hac re loquuntur, & quas nos mox afferemus, concordat. Verum nos ab eo recedendum putamus.

Et plane res satis difficultis est: nec levis momenti controversia antiquis ipsis Jurisconsultis visa est, qui etiam sibi invicem adversari videntur in *I. illud quoque, ff. de petitione boren.* *I. si plures, §. ult. ff. de leg.* *I. quod te, ff. de reb. credit.* *I. item si verberatum, §. ult. ff. de rei vindicat.* Verum nos, aliorum opinamentis insuper habitis, & tribus casibus distinctis, omnes ad concordiam reducemos.

Primus est in prædome. In hoc ex sententia Proculi semper locum habet, ut ipse de interitu rei etiam naturali tenteretur, post moram,

que

quæ tamen mōra incipit ab illa ipsa die, in qua furtum commissum est: idque approbat Paulus in *l. illud quoque*. Porro in prædone moram intelligi [a die furti commissi, & monimus supra, & patet ex *l. in re furtiva*, §. I. ff.] de conditione furtiva. Ratio hujus rei cuivis obvia est.

Secundus est in bonæ fidei possessore. Quia in re a Cassio statutum est, ut in eo nulla ex rei interitu obligatio nascatur. Ut puta. Equum tuum in hereditate inventum bona fide, tanquam meum, possideo: ante legitimū usūcipationis triennium lis a te mihi contestatur, & in mora constituor: sed pendente judicio equus moritur; non per hoc equi aestimationem præstabo. Quod & Paulo placuit in *l. illud quoque*, ex ratione, quia injustum est, talem possessorem aut mortalitatem præstare, aut propter metum hujus periculi temere indefensum Jus suum relinquere.

Verum hæc inter Proculum & Cassium conciliatio introducta fuit a Paulo ipso in *d. l. illud*. Quod ut plenius perspici queat, oratione D. Hadriani statutum est, si quis hereditatis possessor conservatus sit, ut eam vero heredi restituat, & inter ipsos lis orta & contestata sit; statutum, inquam, est, ut post acceptum judicium, seu condemnationem rei sequuntur, id actori, pariterque victori præstetur, quod habiturus fuisset, si eo tempore, quo petiit, restituta fuisset hereditas.

Verum Paulus ibidem ait, hoc interdum durum esse, maxime si post litem contestatam mancipia, aut jumenta, aut pecora deperierint. Petit igitur Paulus, num hoc etiam casu reus convertitus teneatur? Et respondet quidem teneri; tum quia ita omnino verba orationis jubent; tum etiam ratione, quia potuit petitior, restituta hereditate, ea distractisse.

Verum quia hoc, ut dixit, in aliquibus casibus durum videri poterat, inquit Paulus, quid de hac tota controversia priores Jurisconsulti censuerint. Et ait, hoc ab illis quæsitum esse in specialibus petitionibus, hoc est cum de rebus singulis restituendis agitur. Nihil autem obstat, quin quæ illi dixerint, accommodentur etiam petitio[n]i hereditatis, quæ petitio universalis est. Pergit ergo Paulus, notatque in ea difficultate sibi invicem adversari Proculum & Celsum, quorum ille etiam quæ perierint morte sua post litem contestatam, restitui debere dicebat, hic vero contra. Quare ita Jurisconsultus eos concordat, ut Proculus recte sensiat in prædone: Celsus in bonæ fidei possessore. Hac ergo ipse etiam usus distinctione respondet in questione de petitione hereditatis, interpretando eo modo orationem D. Hadriani. Hæc omnia habentur in *d. lege*, ubi illud mirari occurrit, quod Paulus nihil ibi statuere videtur de eo, qui malæ fidei possessor sit. Sed vero res secus se habet, ut jam patebit.

Tertius igitur casus est in possessore malæ fidei. Et nobis videtur distinguendum, eum teneri, si petitior rem fuisset distracturus. Non te-

teneri , si non fuisset ; nam aliter dicere durum erit . Et ita sane intelligendus est Paulus modo citatus , cum ait verba orationis D.Hadriani , & rationem suadere , reum teneri ad omnia restituenda , si petitor erat distracturus ; hoc est , ut intelligamus , hoc ita deum verum esse , si conveniatur malæ fidei possessor ; nam deinde subjicit de possessore bonæ fidei , quem ait nunquam teneri : & de prædone , quem semper obligari affirmat . Giphanius ergo in hoc fallitur , quod hanc distinctionem in omni casu locum habere voluerit , cum tamen in uno procedat , hoc est in eo , quo quis bonæ fidei possessor est .

Obstare tamen videtur Ulpianus in *Item si verberatum, §.ult. ff. de rei vind.* ubi generatim loquitur , aitque , si servus peritus , vel aliud animal demortuum sit , sine dolo , & culpa possessoris , ita distinguendum esse , ut succurri debeat petitori , si erat distracturus : sicut non . Verum responsio in promptu est , nimirum Ulpianum , licet generatim loquatur , esse tamen distinguendum ex Paulo in *d.LXXXVII* ; neque enim novum est in Jure nostro unam legem per alias explicati , distinguiri , restringi , vel produci . Itaque dicendum est Ulp. capiendum etiam esse de possessore malæ fidei , non item de aliis , in quibus , ut vixum est , nulla distinctio locum habet . Ita quoque accipiems Ulp. ipsum in *Lxxviii res legata, §.ult. ff. de leg. I.* ubi ait : Item si fundus chasmate petat , Labeo ait , utique estimationem non deberi : quod ita verum est , si non post moram factam id evenerit . Potuit enim accepimus legata- riis vendere . Et recte sane , nam heres fundi ex legato debitor , malæ fidei possessori comparatur , cum certo sciat fundum alteri deberi ; itaque hic etiam jam tradita distinctione utendum erat .

Hinc etiam intelligitur , quomodo accipiendi sint Sabinus , & Caius , qui referente Cajo in *I.si plures, §.ult. ff. depositi* , docuerunt , depositariorum , qui malæ fidei possessor est , de interitu etiam post item contestatam , hoc est post moram , non teneri . Hoc videlicet ita deum verum esse , si petitor non erat distracturus , quia æquum est , inquit , naturalem interitum ad actorem pertinere .

Intelligitur etiam Jurisconsultus in *I.quod te, ff. si certum petatur,* ubi primum Pomponius afferat ea verba Sabini : Quod te mihi dare oporteat , si postea perierit , quam per te factum erit , quo minus id mihi das , tuum fore id detrimentum constat , hoc est rei , quæ dari debet , interitus , ad debitorem spectat , si is interitus accidat postea , quam per debitorem factum sit , quo minus daret . Doinde adjungit Pomponius , quid sit , & quando dicatur per debitorem factum esse : & ait , per debitorem stare , aut factum dici , non solum si per eum factum fuerit , ut res non esset in ejus potestate , sed etiamsi licet in potestate sit , tamen non dederit , cum deberet dare , puta cum esset interpellatus . Indicat igitur Pomp. duos modos , quibus stat per aliquem , sive factum esse dicitur , quo minus tem daret , nempe moram , & rei interitum ,

sive absentiam. Quod etiam habetur in l. si ex legati 23. ff. de verb. oblig.

Utrum dandi , faciendive difficultate reus evadat Moram.

NON unus hic casus discutiendus est . Prior est in debitore quantitatis , ut si qui centum solvere promisit , pecuniam , quam corroget , non inveniat . Et tres hac in re sunt Interpretum - opiniones . Prima est Bart. aliorumque in l. quod te , ff. si certum petatur , quam sequitur Honoratus Leotardus de usur. q.84. a num. 3 i. & est ex hac causa non excusari debitorem , quo minus moram fecisse intelligatur .

Et maximopere moventur ex Venulejo in l. continuus , §. illud , ff. de verb. oblig. ubi ait ex stipulatione centum dari , confessim agi posse , etiamsi promissor ea centum neque domi ipse habeat , neque creditoris reperiat , unde mutuo sumat . Et hoc ideo , quia pura stipulatio est . Et subdit propter inopiam non inesse tempus , licet tempus insit propter impossibilitatem loci , & operis , ut si promittam dare Ephesi , vel insulam fiori , de quibus egerat in prioribus §§. Cum ergo non obstante inopia possit promissor conveniri , consequens est si conveniatur , neque solvit , illum moram facere , eoque teneri ad id quod intereat . Quod confirmatur ex eo , quod Jurisconsultus concludit in hæc verba : Et generaliter causa difficultatis ad incommodum promissoris , non ad impedimentum stipulatoris pertinere . Et plane nisi mora contraheretur , incommodum esset ipsius stipulatoris , quod negat Venulejus . Quamvis ergo in §. illud non tam sermo de mora , quam de ipsa obligatione sit , ut Forcatulus , & alii passim notant ; inficiari tamen non potest inde pro mora apertam conjecturam defumi .

Ulterius addunt , qui ære alieno solvendo imper est , vinculis publicis detinetur , l.i. C. qui bonis cedere possunt . Verum nemo in vincula conjicitur , nisi moram committat , argumento ex l.3. §. quis pecuniam (P.F.) ff. de suspectis tutoribus , ubi tutor , qui pupillarem pecuniam deponere per vicaciter resistat , quoad emtionis occasio inveniatur , vinculis publicis jubetur contineri . Quare difficultas solvendi a mora non excusat .

Vetum si hæc paulo attentius considerentur , nihil concludunt . Atque ut ab ultimis initium faciam , vincula & carcerem dupli ex causa inventa esse constat . I. diligentioris custodiaz causa , ut dicitur in l. ff. quis filiof. §. ejus , qui ff. de injusto rapto . II. in pœnam , ut in d.l.3. §. quis pecuniam: falsum enim est , tutorem in vincula conjici ex mora , ut credunt , sed in pœnam per vicaciaz , ut ibi patet . Cum ergo debitor , qui solvendo non est , in carcerem detruditur , non hoc fit , nisi gratia custodiaz,

flosias, ne scilicet fugam arripiendo, vel se Jure asyli tuendo, frustretur creditores suos. Ita quoque in pœnam sunt perpetui carceres, contra quos summopere invehitur Hugo Grotius *apolog. c.17. & 19.* quod ad eos olim majestatis reus fuit damnatus, quem uxor callido commento cistæ inclusum e carcere eduxit. Verum hac pœna usus est Tiberius, qui partem majorem plebis Poledinæ, ac decutionum in perpetua vincula conjecit, Suet. *in vita c.37.* quæ pœna sublata deinde a D. Hadriano *I.mandatis, ff.de pœnis,* & solum retenta in servis a Tito, *I.incredibile,* & *I.servus, C.eod.* Hodie tamen de Jure Canonico revocata est, ideo scilicet, quod Judex Ecclesiasticus non damnat ad mortem, cuius vice damnabit ad perpetuos carceres, *cap. quamvis, de pœnis, lib.6.* & de jure Regni nostri, *Constitut. bi qui per inquisitionem, Capyc. Latro dec. 177. num. 14. cum seq.* sicuti apud alias quoque nationes usu hæc pœna recepta est, Joann. *Vestegenus in dissert. de misto, & mero imperio, num. 15.* Sed hæc ut occasione deserviamus, dicta sunt. Itaque non ex eo, quod debitor obseratus in carcerem conjicitur, licet inferre eum in mora esse; sed potius suspectum esse de fuga.

Cum vero dicunt ex cit. §. illud, causam difficultatis ad incommodum promissoris pertinere debere, non creditoris, communis responsio est, in ea lege sermonem haberi non de mora, sed de ipsa obligatione, cum dicatur, non obstante difficultate solvendi, statim teneri. Sed instat Leotardus, quod si statim tenetur, ergo cum non solvit, licet solvere nequeat, moram contrahit. Verum non advertit se, quod ajunt, petere principium; hoc enim in controversia est, utrum qui debet jam, & nihilominus ob impotentiam non solvit, constituantur in mora, an secus. Fatemur quidem statim debere, qui solvendo non est: negamus non solvendo esse in mora, quia eum impotentia excusat. Quare cum dicitur causam difficultatis ad incommodum promissoris pertinere, intelligitur, quod ipse undique, omni diligentia pecuniam conquerere debet; vel si non potest, in vincula conjiciatur. Eodem modo de ipsa obligatione intelligitur Imp. in *I.incedium, C.si certum petatur, ubi incendium ab ære alieno non exuit debitorem;* hoc est qui casu fortuito fit non solvendo, adhuc obligatus manet, itaut casus majores debitori accident, non creditori.

Subest jam contraria opinio, nimirum, moram non esse, quoties debitor ob impotentiam solvere non potest. Quod, ut alios omittam, tuerit Fachin.2. *contr.91.* & placuisse nostro Senatui, constat ex Minadoo *dec. 17.*

Quod primum ratione manifestum fit. Et probatur I. Jure ex Pomponio in *I.datio, §. si per venditorem, ff.de actionib.enti,* ubi diserte hoc docet; loquitur enim de venditore vini, hoc est de debitore generis, & ait eum non tradendo, constitui in mora, non quidem semper, sed si nulla difficultas tradendi fit. Hæc sunt ipsius verba. Mora autem vide-

tur esse , si nulla difficultas venditorem impeditat .

II. Probatur ratione . *Mora culpa & delictum est*, unde Pap. dicebat eam imputantem esse non oportere , l.3. §.fin. ff. de usur. cuius delicti pœna aliquando sunt usuræ ; nam usuræ non propter lucrum potentium , sed propter morem non solventium infliguntur , ut ait Paulus in l. cum quidam , §.quod enīm , ff. cod. Quare ubi culpa & delictum abest , neque mora erit , neque usuræ ullæ debentur . Et ita prorsus est in eo , qui solvendo non est : nulla enim culpa ei imputari potest ; cum culpa & delictum considerentur solum cum quis voluntarie agit , non etiam cum necessitate & inopia coactus . Non ergo adest mora . Quod plane clarius patet ex ipso Paulo in mox cit.§. dicit enim Jurisconsultus moram non videri factam ab eo , qui non habet , cui solvat , puta si creditor absens sit , vel si ipse debitor ex justa causa impeditus fuerit . Cujus dicti hanc rationem reddit . Quid enim potest imputari ei , qui solvere etiamsi vellet , non potuit ? Atque ita est in debitore obserato , qui creditorem instantem dimittere vellet , sed licet velit , ob inopiam non potest . Ideo in mora non est , eoque nec in culpa : quare nec usuræ debet ; cum haec tria , mora , culpa , usuræ sibi invicem connexa sint . Hinc est , quod paupertas excusat etiam a dolo , ideo scilicet , quia dolus voluntarius est , & paupertati necessitas juncta est . Ex.gr. fidejussor in majorem summam damnatus , quam debiti ratio exigebat , si sciens volens non provocat , in dolo dicitur versari , & doli mali exceptione repellitur , cum actione mandati adversus reum experitur : quod si sciens , sed non potens , hoc est , ob inopiam non provocavit , excusata est ipsius inopia , nec dolum fecisse dicitur . Ita Jurisconsultus in l. si procuratorem , §.igitur , ff. mandati .

Ceterum etiam si debitor obseratus , cum tempore suo non solvit , in culpa non sit , fieri tamen potest , ut sua culpa vel etiam dolo ad eam inopiam devenerit , veluti in ganeis , lustris , vel alio modo perdendo . Quare peti potest , utrum hoc saltem casu , ex hac culpa vel dolo , cum tempore statuto deinde non solvit , moram contrahat ? Et respondet Joseph Gibalinus de usur. lib.2. c.6. art. 1. num.3. debitorem peccasse quidem , cum sua culpa impotentem se reddidit , non peccare tamen jam impotentem factum non solvendo ; eoque neque hoc casu de mora teneri : quare passim docent Theologi eum qui sua intemperantia in morbum incidit , peccasse ; non tamen deinde , vigente morbo , peccare , si Jejunii legem non servat . Unde non solum iste in foro civili de mora non tenetur , sed neque in foro Dei , et si ab ipsa principali obligatione solvendi non eximatur , ut idem docet . Verum haec nihil nos movent , cum locum habeant , quando nullius prajudicium versatur . Secus vero est in casu nostro , ubi injustum omnino esset , si culpa debitoris re amissa creditor Jure suo fraudari deberet . Unde hic ea regula Juris procedit , quæ ait , si quis fecit quo minus posset , & que atque si

si posset , teneri , *I.si ex legati* , *I.si servum* , *ff.de verb. oblig.* *I.si ergo* , *§. si leres* , *ff.de leg.i.* Vide Giball. loc.cit. num.3..

Distinctio vero Forcatuli hic p.3. num.3. rejicienda omnino est . Distinguit ipse inter moram interpellatione vel lege contractam , & inter moram commissam per diem certam præstitutam: in illa debitorem ob impotentiam excusari ait , secus in ista . Eo arguento , quod in mora per diem certam contracta potest , & debet reus præcavere , & pecuniam parare : quod non potest in mora per interpellationem , vel ex lege . Ita plane Ulp. in *I.sed & si* , *§. si feriae* , *ff. ex quibus causis majores ex antiquis Jurisconsultis docet*, quod si feriae extra ordinem sint indictæ , & minores 25. annis hinc impediti , Jus suum non proposuerint , debent in integrum restitu : solemnum vero feriarum rationem haberi non debe re ait : quia prospicere eas potuerit , & debuerit actor , ne in eas incideret . Sed hæc nihil ad rem : & rursus dicimus , hanc distinctionem rejiciendam esse ; nam lex post interpellationem nullam amplius dilationem debitori concedit , sed eum , nisi solvat , statim in mora constitutum intelligit , non secus ac est , cum dies præstituta venit . Quare hac quidem in re omnis mora quocumque modo contracta , ejusdem naturæ est . Unde fit , quod si in mora per interpellationem producta , debitor cum solvendo non est , excusatur ab effectibus moræ , ut ipse Forcatulus dicit , debet etiam ab iisdem excusari , cum mora contrahitur ex diei lapsu , quod male ipse ideni negavit .

Mirum sane est viros doctos tantopere in hujus questionis dissolutione decipi , cum alii varios casus distinguendo , multos prætereunt , & quidem præcipios : alii vero ita aliquos casus proponunt & discutiunt , ut quod universale erat , nonnisi particulariter determinasse videantur . Nos itaque rem omnem a capite ordimur . Sed illud præmittemus ex *I.continuus* , *§. illud* , *ff.de verb. oblig.* duplicem esse difficultatem , seu impossibilitatem , aliam rei , aliam personæ . Exemplis res clara fiet . Qui promittit 100. dare , is nihil promittit , quod natura sit impossibile : sed fieri potest , ut ipsi sit impossibile , vel difficile ea præstare . Et hæc est difficultas , aut facultas personæ . Sed qui promittit dare Stichum , qui mortuus est , is naturaliter a nemine præstari potest . Et hæc est naturalis , & rei iphius difficultas , ut recte in *d. §. tradit Hugo Giphanius* . His ita positis , dicimus undecumque difficultas proveniat , semper debitorem a mora excusari . Sed ut hoc clarissime pateat , distinguamus duos casus . Prior , si obligatio sit faciendi . Secundus si obligatio sit dandi : & in hac vel quis promisit genus , ut 100. servum : vel promisit speciem . Verum nomine speciei etiam genus illud intelligo , quod speciei naturam induit ; nempe si addatur restrictio , ut , nummi , qui sunt in arca , frumentum , quod est in illo horreo , vinum , quod est in illa apotheca , *I.in ratione* , *§. rursus* , *ff.ad I.Falc. I.cum res* , *§. scilicet id petatur* , *ff.de leg.i.*

Primo itaque si obligatio sit dandi genus, puta 100. & quia genus semper extat, ideo hic vix est, ut difficultas seu impossibilitas rei considerari possit: sed tantum personæ difficultas versatur. Quæritur ergo utrum hæc difficultas personæ excusat a mora? Et non excusare respondent Bart. aliique in *l. quod te, ff. si certum petosar*, ut etiam visum est Honorato Leotardo de *afur. q.84. a num. 31.*

Moventur potissimum ex Venulejo in *d. l. continuus, §. illud, causus sententia supra exposita est.*

Secundo, si obligatio sit dandi speciem. Et eo casu distinguendum est inter difficultatem personæ, & difficultatem rei, hoc est, si res non sit in potestate debitoris, ut si res sit exenta commercio, vel servus sit in fuga, captus ab hoste, vel mortuus, *l. si ex legati, l. si servum, ff. de verb. oblig. l. si in Asia, §. ult. ff. de posuī, l. si fundas, §. in vindicatione, ff. de pignorib.*

Si itaque rei difficultas est, tam est verum ut ad moram debitorem non obliget, ut etiam omnino ab obligatione eximatur, hoc est, neque rem, neque ejus æstimationem solvere cogitur: idque tam si debeam ex stipulatione, quam ex causa legati, *d. l. si ex legati;* immo ex quocumque contractu: nam perfecta venditione, si res penes venditorem existens pereat, vendor liberatur, *§. cum autem pretium, de emt. & vendit.* Ex omni igitur contractu, vel causa debitor rei certæ non tenetur ad eam præstandam, si per eum non stet, quo minus præstari possit, *d. l. quod te, ff. de reb. creditis.* Ratio est, quia nemo tenetur ad impossibile, sive ab initio tale sit, *l. impossibilum, ff. de reg. juris,* sive ex post facto id siat impossibile; nam in contractu, ut in stipulatione, duo tempora spectantur, obligationis initæ, & præstationis faciendæ, *l. in executione, ff. de verb. oblig.* Et si igitur hoc casu stipulatio, sive contractus constitit, & valuit ab initio, ex post facto tamen evanescit, quia incidit in eum casum, a quo incipere non potest, *l. plurib. §. et si, ff. eod.* Neque obstat, re perempta, posse æstimationem præstari; nam non promissa est æstimatio, sed res, ut eleganter ait Paulus in *l. venditur.* *ff. de beredit. vendita:* rem, inquit ibi, debebam, non actionem: ita & hic promissor rem debebat, non æstimationem. Quare ut dicebam, si his casibus debitor sp̄eciei omnino ab obligatione dandi eximitur, multo magis a crimine moræ liber censendus erit.

Hoc autem procedit, modo res non absit, seu præstari nequeat culpa ipsius debitoris; nam rem tradere, vel ejus pretium justum teneretur. Hæc culpa vel est in faciendo, veluti si servum debitum debitor occidit, vel manumisit: vel in non faciendo, e. g. si servo promisso ægrotante, medicum non adhibeat, & patiatur mori. In legato heres de utraque culpa tenetur, *l. cum res 47. §. pen. ff. de leg. i.* In stipulatione vero promissor tantum de culpa in faciendo tenetur, non vero de culpa in non faciendo, id est de negligentia; & ratio est, quia qui dari

pro-

promisit, ad dandum, non ad faciendum tenetur, ut resolvit Paulus in *l. si servum, ff. de verb. oblig.* ubi Giph. Quin ergo debitor tenetur rei, quæ sua culpa abest, pretium præstare, & tempore debito non præstat, dubium est, utrum de mora teneatur. Et respondeo hunc amplius non esse debitorem speciei, sed generis, hoc est quantitatis, & pretii, ita ut facta novatio censeatur, non quidem voluntaria, sed Jure cogente, ut ea novatio est, quæ fit per litis contestationem, *l. aliam, ff. de novationibus.* Si itaque habet unde solvit, & tamen solutionem remoratur, est in mora: sed si adsit difficultas personæ, hoc est inopia, non tenetur, juxta jam tradita.

Ceterum si in obligatione dandi speciem difficultas sit personæ, utrum mora committitur? Exemplum esto. Teneor tibi ex causa legati, vel stipulationis, dare Stichum servum Titii: Titius paratus est milii vendere justo pretio: sed pecunia mihi unde emam, non sufficit; coque non emo, neque do. Atque ex dictis facile hujus questionis decisio colligi potest; cum enim hic debitor in culpa non sit, moram, quæ semper culpam comitem habet, non contrahit. Idem prouersus est, si Titius servum vendere nolit, ita ut heres ad Sticti estimationem Legatario solvendam teneatur, juxta *l. cum res, §. sed & si, ff. de leg. i.* hoc est, si estimationem nou solvo, quia pecunia destituor, moram fecisse non dicor.

III. Tandem si obligatio faciendi sit, Forcatulus *loc. cit. num. i.* post Bart. ait, difficultatem a mora excusare. Et exempla tam in difficultate rei vel personæ, habentur in *l. fin. §. pen. ff. ad l. Rhod.* ubi nauta, qui certam pœnam præstare promisit, nisi intra constitutum diem merces exposuisset certo loco, pœna remissa intelligitur, si per nautam non neterit, quo minus id faceret, veluti impeditus tempestate, quæ est difficultas rei, vel morbo, quæ est difficultas personæ: ita quoque si nauta vitium fecerit, quod etiam ad rei difficultatem pertinet. Itaque hic pœna missa ob moram, non committitur, si mora absque culpa, vel dolo promissoris accidat. Quod in aliis etiam rebus locum habet; nam qui iudicio se sisti promisit, & valetudine vel tempestate prohibitus non affuit, exceptione adjuvatur, *l. 2. §. si quis iudicio, ff. si quis cautionibus:* & qui Jura ecclesiæ Jurejurando se defensurum promisit, si difficultate impeditus non faciat, perjurus non est, *cap. brevi, de Jurejurando.*

Sunt tamen hac in re aliquot exceptiones. I. si ipse debitor hoc affectavit, vel causam præstitit; nam dolus, in quo versari videtur, ei maxime obterit, *d. l. 2. §. fin. ff. cit. tit.* ubi Acc. illud, *Affectavit, expounit, desideravit;* notatque aliquid professe, quod desideratum non profest. Sed fallitur; nam hic affectare est quod non est, affectu facere tanquam esset: veluti, levi tempestate oborta, poteram navigare, sed quia in hoc invitus, & malo animo feror, ideo affectu eam mihi tanquam magnam tempestatem Hugo, & non navigo; & contra, qui propter infirmitatem debebat abstinere a conducendis equis, tamen hoc

ni-

nimum cupiens , ducit , affectare dicitur in *l.idem Juris* , §. mulionem .
ff.ad l.Aquiliam . II. si difficultas alia via effugi possit , nempe itinere
pedestri commode vitando procellas maris , *d.l.2. §. pen.* nam difficultas
non liberat ab obligatione implendi per equipollens , *l.in testamento. ff.de*
conditionib. & demonstrationib. ubi qui fidejussorem , quem promisit , non
invenit , alium aequum idoneum praesta e tenetur . III. si quis difficultatem
sibi rem certo sciens , adhuc promittat , qui in dolo videtur esse . Exem-
plum est in socro , qui licet conventus pro dote , quam promisit , solven-
da , in solidum non tenetur , sed in quantum facere potest ; tamen si ipse ,
ut spe futuræ dotis generum inducat ad matrimonium contrahendum ,
sciens volens se præstare dotem non posse , tamen eam promittat , gene-
ra insidias fecisse dicitur , & difficultate non excusatur , *l.pen. ff.de Ju-*
re dotium .

De Mora Creditoris .

Varii hujus moræ effectus sunt . Primus est , ut periculum rei debi-
tæ amissæ , quæ tamen jam antea fuerat oblata creditori , cedat ip-
sius damno creditoris , qui in mora . Illud tamen in controversiam venit ,
de quo tandem in isto casu debitor teneatur . Et duo certa sunt ; pri-
mum quidem semper teneri de dolo malo , itaut si servus debitus , post
factam oblationem , pereat ex eo , quod debitor dolo necavit , pretium
ipsius creditoris reddere obligetur , et si hic in mora fuerit . Deinde eun-
dem debitorem nunquam teneri de casu sortito , *l.si ex legati* , *ff.de*
verb. oblig. Illud ergo in dubium venit , utrum debitor hic obstringatur ,
si culpa sua res debita , post creditoris moram , pereat . Hic varie cer-
tant Interpretes . Alii enim statuunt eum de culpa teneri , nixi in respon-
sio Marcelli in *l. qui decem* , *in princ. ff. de solutionib.* Alii contra , ex
Pomponio in *l. si mora* , *ff. sol. matrim.* Siquidem hi duo Jurisconsulti hac
in re sibi invicem adversari videntur . Hinc est , quod nonnulli , ut hos
nexus eluderent , distinctionem commenti sunt , ut nimis Marcellus
loquatur de debitore qualitatis , quem de culpa teneri volunt , ut
etiam debitorem generis . Pomponius vero de eo , qui speciei debitor
est , & hunc ob culpam conveniri non posse . Ita Bart. in *d.l. si mora n.8.*
quem frequenter sequuntur DD. & præcipue Barbosa par. 2. n. m. 12. Id.
ipsum arrisit Donello hoc *tract. p. 126.* Sed hoc latius explicandum est .

Primus itaque casus est in debitore speciei . Utputo mulier moram
fecit in recipiendo fundo dotali , quem maritus , soluto matrimonio ,
ei obtulit . Ex eo tempore non tenetur pro rebus dotalibus uxoris de
culpa ; itaut quamvis secundum naturam contractus , maritus teneatur
in rebus dotalibus de dolo malo , lata culpa , & levi , *l. si ut certo* , *§. nunc*
videndum , *ff. commodati* ; tamen ob eam moram mulieris , liberatur ab
utra-

utraquē culpa , & solum de dolo obligatur. Ita aperte Pomponius in *d.l.si mora*. Hoc idem constat ex *l.si per emtorem, ff.de periculo, & comm. rei venditæ*, ubi venditio vini facta fuit ad mensuram , si per emtorem steterit , quin mensuretur , dicitur ipse in mora , & vendor non tenetur , nisi de dolo . Quod pluribus explicare operæ pretium est . Venditio ad mensuram pro conditionali habetur , cum subaudiatur , si i.l admensum est : eoque interim , antequam admensuretur , periculum pertinet ad venditorem , qui interim rei dominus est , *l.quod saepe, §.in iis, ff.de contr. emt.* Hæc igitur conditio pro impleta habetur , si per emtorem factum fuerit , quo minus impleatur , juxta regulam *l. Labeo scribit, ff.de contrab.emt. l.Jure civili, ff.de condit. & demonstrationib.* Et per hoc venditio jam pro pura haberri incipiet : & merito periculum interitus ad emtorem , qui est in mora , incipiet pertinere , juxta regulam *l.i. C. de periculo & commodo rei venditæ* . Nec vendor tenebitur , nisi de dolo , qui semper præstatur.

Verum DD. hanc dispositionem extendunt , quod licet Jurisconsultus in *d. l. si mora* , dicat maritum dumtaxat de dolo teneri : tamen supplendum esse , ut etiam de culpa lata teneatur ; nam licet culpa lata ex se dolus non sit , cum non procedat ex calliditate , sed ex negligencia , & desidia ; tamen , inquantum ad Jus attinet , eodem modo punitur , ac verus dolus , cui dicitur equiparari , *l.i. §.fin. ff.si mensur falsum modum*. Itaque etsi Jurisconsultus loquatur tantum de dolo , intelligendus est etiam de culpa lata . Unde Castr. *ibid. num.3.* collegit , particulam , Dumtaxat , non excludere casus similes , ut etiam tradit Gl. in *l. ob as, C.de prædiis minorum* , & alii apud Petr. Barbosam loc.cit. *num.25.*

Alter casus est in debitore quantitatis , cum qui decem debet , ea numeravit , & creditori obtulit , sed creditor sine justa causa accipere recusavit , & pecunia pereat ; interitus creditoris damno cedit , qui est in mora ; si tamen ea pecunia amissa fuerit sine culpa debitoris , Marcellus *d.l. qui decem*. Unde aperte colligitur oblationem debitoris in quantitate liberare eum tantum a casu fortuito , non etiam ab ulla culpa . Hujus rei hanc rationem affert Barbosa *d.num.12.* quod debitor quantitatis nihil certum debet , & consideratur , tanquam debitor generis , quod cum quid intellectuale sit , nunquam perit : tamen , cum debitor certam pecuniam offert creditori , inde incipit pecunia considerari , tanquam species . Hinc est , quod qui quantitatem , vel genus debet , tenetur etiamsi species pereat casu fortuito , cum non per hoc dicatur perire quantitas , seu genus , quod debetur , ut intelligitur textus in *L. cedula* , *C. si certum petatur* . Verum cum debitor quantitatem debitam in certa pecunia offert , jam facta quasi novatione , dicitur debitor species : eoque si ea pecunia casu fortuito pereat , jam debitor liberatur . Hinc etiam fit , teneri e contrario debitorem de interitu rei , si culpa ipsius

Sius accidat : eo quod satis mora nocet creditori , si debitor liberetur a casu majori .

Hæc tamen Barbosæ ratio falsa est ; nam debitor quantitatis , etiam post oblationem factam , dicitur generis debitör , ut recte in d.l. qui decem , notat Acc. Et plane , ut quis dicatur debitör speciei , opus est ut pecuniam debitam in fæculo signato apud eadem deponat ; eo enim casu debitör ipso Jure ab actione liberatur , l.i. §. si pecunia , in fine , ff. depositi . Et hoc probat Barbosa idem sibi contrarius , n.zm. 17. ea ratione , quod quantitas non censetur esse in obligatione , antequam per solutionem certificetur , l. cum incertus , ff. de leg. 1. sola autem , & simplex oblatio vim solutionis non habet , l. acceptum , C. de usuris . Et patet evidentissime ex eodem Marcello ibidem , ubi dicit , debitorem , pecunia sine ipsis culpa pereunte , adversus creditorem dolii exceptione posse se tueri . Unde infertur debitorem quantitatis semper teneri , etiam de casu fortuito , si res pereat : sed solum ex æquitate Prætoris posse creditorem agentem exceptione repellere . Quod etiam indicant ipsa Jurisconsulti verba , cum rationem tradens , dicit : Etenim non est æquum teneri pecunia amissa , qua non teneretur , si creditor accipere voluisset . Ubi per verbum , Æquum , appetat aliud esse de rigore Juris . Quocirca dicendum est , per oblationem quantitatis non haberri pro debitore speciei , sed adhuc generis debitorem esse : alias ipso Jure liberatus censemur .

Hæc est in hac quæstione communis distinctio ; quam tamen confundit ipse Marcellus ibidem , ubi mox eodem modo discurrit in debitore quantitatis , ac in eo , qui speciem debet ; ait enim , quod si servus (qui est species) erat in dote , cumque obtulerit maritus soluto matrimonio , & is servus decesserit : aut nummos obtulerit (qui sunt quantitas) eosque non accipiente muliere perdiderit , ipso Jure definit teneri ; si scilicet , ut paulo ante dixerat , maritus culpam non admiserit . Quare aperte constat , Marcellum putare , tam debitorem speciei , quam quantitatis , teneri & post moram de culpa , licet de casu fortuito non teneatur , & proinde repugnat Pomponio , qui speciei debitorem excusat a culpa . Verum ex his Marcelli verbis nonnullæ difficultates oriuntur . Et prior difficultas est de servo ; nam ipso pereunte etiam ante oblationem , certum est maritum ipso Jure liberari , d.l. si ex legari , ff. de verb. oblig. eoque hoc casu mora creditoris in recipiendo , nihil ei obelset , nihilque prodesset debitori . Altera difficultas est in nummis : cum supra dixerit , debitorem exceptione teneri , hic addat , ipso Jure liberari .

Secundus effectus est , ut per moram creditoris , debitör liberetur ab operis . Exemplum esto in marito , qui licet etiam soluto matrimonio teneatur fundum dotalē colere , itaut alias obligetur ei restituere non solum fundum , sed & fructus , quos colligere potuisset , si fundo dotali culturam adhibuisset , l. videamus , in princ. ff. de usur . ubi Gloss.

ver-

Verbo ; *ratio* ; tamen si maritus offerendo fundum ; constituit uxorem in mora recipiendi dotem, ab eo tempore potest fundi cultum negligere, & nihil eo nomine tenebitur restituere uxori , ut in d.l.si *mora* decisum est , ea ratione , quod non est cogendus maritus perpetuo fundum coercere , itaut hæc obligatio procedat a facto mulieris , quæ noluit fundum oblatum recipere.

Verum tamen est , quod si maritus post moram uxoris , sponte fundum colat , & ex eo fructus percipiat , tenebitur eos uxori restituere, d.l.si *mora* . Sed in hoc dubium movere videtur Ulp. in *I.mulier quæ*, §.si *bores* , ff. ad *Trebell.* ubi heres rogatus pure restituere hereditatem , fructus perceptos ob negligentiam fideicommissarii non poterit , suos facit , neque tenetur illos restituere fideicommissario , neque in quartam Trebellianicam imputare . Quare idem videtur dicendum in marito , ut fructus perceptos ob moram uxoris , quæ recipere dotem noluit, suos faciat , neque teneatur uxori restituere .

Varie sunt nostrorum Interpretum responsiones . Franciscus Duarenus in d.l.si *mora* , ad finem , hanc disparitatis rationem profert , quod soluto matrimonio , statim & ipso Jure mulier rerum dotalium domina intelligitur, adeo ut eas vindicare possit, *I.in reb. C.de Jure dotium;* quare merito maritus fructus perceptos ex re aliena scienter , tenetur domino , idest , uxori , restituere . Aliud est in fideicommissario universali , in quo non transit dominium ipso Jure in fideicommissarium , antequam ei restituatur hereditas re, vel verbo , Ulp. in *I.restituta* , in princ. ff. ad *Trebell.* & ideo heres fructus perceptos ex re sua , merito suos facit . Atque ita ante Duarenum docuit Jacobus de Arena in d.l.si *mora* . Ceterum hæc responsio merito rejecta fuit a Barbosa ibidem num.4. eo quod transitus iste dominii dotis a viro in mulierem dependet a Justiniano , qui condidit d.l.in *rebus* ; ante vero ipsum tempore Ulp. securus erat , & rei dotalis dominium durabat penes virum usque ad restitutionem dotis , ut patet ex Paulo in *I.i. ff. de fundo dotali* , & ex Imperatore Alexandro in *I.etsi dotis* , *C.de Jure dotium*.

Itaque alio confugit Bartolus , & ait , rationem differentia esse ; quod uxori debetur res , quæ aliquando fuit sua , & fideicommissario res , quæ sua nunquam fuit ; hinc maritus fructus restituit , heres sibi retinet . Nititur hæc responsio in *I.cideamus* , §.si *actionem* , ff. de *usur.* ubi Paulus ita habet: Si actionem habeam ad id consequendum , quod meum non fuit , veluti ex stipulatu , fructus non consequar , etiamsi mora facta sit ; excipit tamen Jurisconsultus si acceptum est judicium , nimirum si lis contestata est . Verum id displicuit Barbosa in d. l. p.2. n.99. ex *I.vendor ex hereditate* , vers. quemadmodum , ff. de *hered. vend.* ubi vendor fructus perceptos ex re vendita , tenetur emtori restituere , quamvis ea res nunquam fuerit emtoris , per textum in *I.si ager* , ff. de *reivind.* Ergo differentia per Bartolum assignata non subsistit.

Quare Barbosa ita ait, textum in *l.mulier quæ, §. si heres*, loquì in herede, qui ante factam restituionem fideicommissi universalis, dominus est, & ratione dominii fructus suos faciet: maritus autem, licet dominus minus dotis dicatur, tamen non ratione dominii facit fructus suos, sed quatenus onera matrimonii fert. Cum igitur soluto matrimonio, maritus onera matrimonii non substineat, etiam post moram mulieris, fructus suos non faciet, sed tanquam perceptos ex re aliena, eos uxori restituet. Sed huic responsioni obstat Paulus in *d.vers. quemadmodum*, ubi venditor qui poterat negligere culturam fundi, si tamen non coluit, teneatur fructus restituere emtori, etiam si in nulla sit mora constitutus, ut colligitur ex generalibus Jurisconsulti verbis; & tamen ibi venditor, cum adhuc traditio emtori facta non esset, rei dominus erat; quare falsum est, quod dicebat Barbosa, heredem fideicommissio gravatum ideo fructus sibi querere, quod hereditatis dominus sit. Dicit tamen Paulus restituere ratione bonæ fidei.

De æstimatione rei debitæ.

Q U E S T I O U N I C A .

NON una hac in re est nostrorum opinio. Quidam censent rei debitis æstimationem desumendam ab ipso statim tempore moræ, quovis modo contractæ, etiam per interpellationem extra judicium factæ. Alii contra nituntur, putantes hic eam tantum moram attendi debere, quæ per litis contestationem oritur. At vero hoc casu Ant. Fab. ait distinguendum esse inter judicia bonæ fidei, & stricti juris, contra Bartolum. Vult enim in strictis judiciis omnino inspici tempus litis contestatae, sive tunc res pluris, vel minoris sit: at in bonæ fidei judiciis etiam rei judicandæ; ita nimirum, si eo tempore, quo sententia redditur, pluris res sit, id attendatur. Ita ipse 16. *conj. 3.* & de err. pragm. decad. 16. err. 2. & 3. quem late sequitur Schiferd. *tract. 21.* & 2. seqq. Hac in re Fab. ducem habet Ulp. in *l.sed mibi 3. §. in hac, ff. commodati*, ubi in actione commodati, & in omnibus bonæ fidei judiciis statuitur, ut rei judicandæ tempus, quasi res sit, observetur: contra in stricti Juris judiciis, in quibus litis contestatae tempus inspicitur. Quare in *l.bominem, ff.mandati* dicitur in stipulatione, quæ stricti Juris est, id tempus spectari, quo agitur. Hoc autem, quod Faber ait, in judiciis strictis inspici tempus litis contestatae ad ineundam rei debitæ æstimationem, tunc quidem vult locum habere, cum pura obligatio est, non in diem.

Probat itaque *l. ex l. ult. ff. de consil. trit.* ubi docemur a Cajo, si de die nihil coavenit, tanti rem æstimandam esse, quanti fuit eo tempore, quo judicium accliebatur, hoc est, tempore litis contestatae. Sed

si

Si dictum sit , quo die res dari debuit, tanti rem aestimari , quanti fuerit tunc , cum dari debuit . Nec distinguitur , utrum eo tempore res minoris , an pluris fuerit , ut omnino dicendum sit , diem spectandum esse litis contestatae , quanticumque res fuerit . Condictio autem triticaria stricti Juris est , & ipsa petimus generaliter res omnes , praeter pecuniam numeratam , quae certi conditione petitur , l.i. ff. cit. tit. Inditum est tale nomen casu quodam, ut Stephanus Græcus Interpres ait, quia in antiqua formula hujusc condictionis , tritici videlicet fiebat mentio : præterea quod qui hanc actionem sibi dari prius postulaverat , forte ei res erat de aestimando tritico , Cujacius in paratl. ff.lib.13. tit.3. & ad Africatum tract.2. sub initium.

Probat II. ex l.vinum , ff. de reb. creditis , ubi cum vinum , quod mutuum datum erat , coram Judice petitum esset , querit Ulpianus de tribus temporibus , quodnam ex his spectari deberet in estimatione , idne , cum mutuum datum esset , an cum lis contestata fuit , an tandem cum res judicaretur ? Questio itaque erat de contractu stricti Juris , uti mutuum est , & de quibus nos in præsens disputamus . Ad hanc Ulpiani dubitationem respondet ibidem Sabinus , questionem in duos casus dividens , ut si in restitutione mutui dies certus esset appositus , omnino quanti eo die fuisset , attendi debere : at si nihil de certo die conventum esset , estimationem esse ineundam quanti res fuit tempore , quo petita fuit , hoc est , tempore litis contestatae . Ehi enim nonnulli hic petendi verbum generatim accipiant , non solum in judicio , & per litis contestationem , sed etiam extra judicium , per interpellationem ; recte tamen redarguuntur a Schif. tract.2 i. q.6. dum contendit , hoc in loco petendi verbum de petitione judiciali tantum accipendum esse . Hoc enim sic fieri in Jure nostro accepimus , ut petere frequentius dicitur , pro judicio petere , ut constat ex l.si quis cum tetum , §.si ancillam , & §.fin. ff. de except. rei judic. l.palam , §.circa , l.apud Celsum , §.Labeo , & §.seq. §.apud Julianum , ff.de except. dolii mali , l.si quis sti. pulatus , l.si pater meus , ff. de solutionibus , atque ita passim ; ergo secundum horum locorum rationem responsum Ulpiani interpretabimur , præsertim , cum statim in principio dicat , per Judicem petitum esse : neque alias verisimile fit , Jurisconsultos ab ea significatione , quam in prioribus proposuerunt , statim in posterioribus recessisse .

Probat III. quia nunquam repertis in judiciis strictis spectandum esse tempus rei judicatae : neque rursus uspiam scriptum est , rationem ullam in hoc judiciorum genere haberi moræ , quæ contestationem præcessit ; quare reliquum est , ut dicamus solum ipsam litis contestationem inspici debere . Quod vim accipit ex Juris regula expressa a Papiniano in l.2. ff.de usur. nimicum , quale quid est , cum petitur , tale præstari debet , utique quod in judiciis stricti Juris locum habet , ut Gloss. alii que ibidem notant .

Sed contrariorum argumenta dissolvenda sunt: I. opponunt ex *I. pen. ff. de condic. iuris*: ubi Marcellus, & Ulpianus rei petitæ per conditionem triticariam, quæ stricti Juris est, estimationem ad tempus moræ reducendam esse, statuunt. At enim respondet Faber hanc sententiam ad eum dumtaxat casum pertinere, quo species debita facta sit deterior, non vilior post moram. Siquidem has res multum inter se differre ostendit Ulpian. in *I. si servus*, §. *ratiōne*, ff. ad *I. Aquil.* ubi scriptum est, si nullo servum pretio, viliorem, deterioremve fecerit, aquilam cessare, injuriarumque agendum esse; nam rerum pretia non ex ipsarum qualitate dumtaxat, sed etiam ex tempore estimari debent. Ceteris quidem paribus, & habita ejusdem temporis ratione, fieri nequit, ut pretiosior servus sit, qui est deterior. Sed alio, & alio tempore inspecto, facilime hoc contingit, ut servus, qui antequam claudus esset, aut eluscatus, nonnisi centum vendi potuit, in magna servorum vilitate: postea eo modo male acceptus, dignus sit ducentis, superveniente penuria servorum, & ex penuria caritate. Hoc itaque casu, quo res facta est deterior, non vilior, certum est debitoris morantis periculo eam deteriorationem cedere debere, sicut & mors ipsa cederet, si homo debitus periisset post moram, *I. si ex legati*, ff. *de verb. oblig.* quare fieri non potest, ut aliter ineatur estimatio, quam inspecto tempore moræ. Secus vero est, cum eadem manente specie, idest, non facta deteriore, tamen estimatio ejus decrevit, pretiis rerum omnium ejusdem speciei pro tempore iniminitis. Ergo, cum in judiciis strictis nulla bonæ fidei ratio habeatur, sed mero strictoque Jure fiat condemnatio, nulla quoque moræ extrajudicialis ratio haberri potest, nisi haec teat, ut si post eam moram res perierit, aut deterior facta sit, tamen obligatio qualitatis quanta fuit, perpetuetur, ac si res non periisset, aut deterior facta non fuisset, d. *I. si ex legati*, *I. si servum*, §. *sequitur*, & §. *alt.* ff. *de verb. oblig.* *I. promissor* 2.1. & 23. ff. *de constit. pecun.*

Utrum lite contestata cum donatore, qui rem donatam non restituit, usuræ, vel fructus debeantur.

Exstant Jura quedam singularia, quæ hac in re donatorem a ceteris reis debendi secessunt, sed ita tamen, ut inter se invicem pugnare videantur; quare inter Interpretes magnas turbas excitarunt, ut omnino operæ pretium sit de hac re hic agere.

Primo itaque exstant Prudentum responsa, quæ omnino ab usurrum onere donatorem liberant, ut Modestinus in *I. eum qui*, ff. *cod.* ubi qui donationis causa pecuniam, vel quid aliud promisit, de mo-

re solutionis pecuniae usuras non debet. Quæ verba ita generatim concepta, opus est ut accipientur de mora quacumque, sive re ipsa, si. ve non, ut de contracta per lapsus diei, per interpellationem, vel etiam per litis contestationem, siquidem moram videtur fecisse, qui litigare maluit, quam restituere, *I. nemo rem suam, §. si post, ff. de verb. oblig.* Quod verum est non solum in liberalitatibus privatis, sed etiam in publicis, *I. liberalitatis, ff. de usuris, I. i. ff. de pollicite.* Id autem singulare in donationibus est, siquidem in reliquis actionibus, lite contestata, usuræ currunt, ut in *I. lite, ff. de usuris*, cuius specialitatis duæ rationes afferuntur a Modestino in *d. I. eum qui*. I. quia id summæ æquitatis est; siquidem, ut ajebat Cujac. liberalis non est aware exigendus. II. quia donationis species non est inter contractus bonæ fidei, sive interponatur per stipulationem, sive pacto, sive pollicitatione; & regula est, ut in bonæ fidei contractibus ex mora usuræ debeantur, *I. mora, §. in bonæ fidei, ff. de usur.* Hoc autem, quod dicitur in usuris, quæ debentur ex rebus, quæ numero, pondere, & mensura constant, & quæ pecuniae nomine veniunt, videtur etiam intelligendum de fructibus, qui debentur ex agtis, fundisque, hoc est fundo donato & non restituto, donatorem non teneri ad restitutionem fructuum, quos ex fundo donato post litem contestatam percepit; propterea quod eadem est ratio usurarum & fructuum, & quod in illis statutum est, de ipsis etiam intelligi debet, ut disponitur in *I. usuræ, ff. de usuris.*

Et nihilominus contrarium habetur a Paulo in *I. videamus generaliter, §. si actionem, ff. de usuris*, ubi licet ex mora re ipsa, ipsoque Jure contracta, vel per lapsus diei, vel per interpellationem, fructus non debeantur; tamen si lis fuerit contestata cum donatore fundum non tradente, ex æquitate fructus quoque restituere opus est.. Quod intelligentias de fructibus perceptis post litem contestatam; ex eo enim tempore hi debent restitui, quia qualis est fundus cum petitur, talis restitui debet, *I. cum fundus, ff. de reb. creditis.* Sed petes, omnes ne hos fructus perceptos restituet donator, tam consumtos, quam extantes? & respondebit idem Paulus in *I. Ne sennius, §. ult. ff. de re judic.* restituere donatorem solum fructus extantes, non item ab eodem donatore consumtos. Quod plane singulare est in donatore, quasi id tantum facere posse intelligatur; alias enim etiam fructus consumti post litem contestatam restitui debent, *§. si quis a nos domino, Inst. de rer. divisi. I. certum, C. de recipi.*

Hæc rescripta difficultatem faciunt, quæ ut patet, concordant in hoc, ut ex mora extrajudicialiter contracta, non possunt a donatore neque fructus, neque usuræ exigi. Discrepant vero in mora per litis contestationem factam; cum Modestinus velit, neque tunc usuras deberi: Paulus vero scribat, ex eo tempore fructus deberi, modo extant, nec sint consumti. Quid ergo dicendum? Cujacius ad Julianum in *I. quis.*

I. qui sine dolo, ff. de reg. Juris; voluit has Pauli & Modestini leges, ne sint contrarie, non esse invicem confundendas, sed potius disjungendas, ut vere disjunctae sunt; siquidem alia ratio est usurarum, de quibus loquitur Modestinus, alia est fructuum, de quibus sermonem instituit Paulus. Verum hujus diversitatis rationem non redditum; quam postea reddere conatus est Emundus Merillus ad Cujacium lib. 1. varior. c. 33. & 46. sed satis concise & obscure. Nos ergo id clarum facere conabimur post Ant. Fabr. dec. 38. error. 10. num. 9.

Quamvis ergo usuræ vicem fructuum obtinere soleant, & quod in illis statutum est, de istis etiam intelligere oporteat, ut in d. l. usuræ, ff. de usuris; id tamen perpetuo verum non est, cum aliquando ex æquitate mitius procedatur in usuris, durius vero in fructibus. Patet id ex D. Severi rescripto, qui voluit bonorum, quæ tacite in fideiommisum relictæ sunt in fraudem legis, fructus dumtaxat deberi, non etiam usuras eorum, idque fecit benigne, ut notat Papin. in l. eum qui, in princ. ff. de iis, quibus ut indignis. Ratio autem, cur favorabilior sit fructuum restitutio, quam usurarum, est, quia fructus sunt accessiones, & perventiones naturales, l. fructus, ff. de usur. l. bona fidei, ff. de acq. rer. dom. quas qui præstat, non idcirco fit pauperior, sed tantum non locupletior, cum id ipsum restituat, quod percepit, l. indebiti, ff. de condit. indebiti. At usuræ non accessiones naturales sunt, sed ut loquuntur, industrielles, quia non tam ex re ipsa, hoc est ex pecunia, quæ sui natura sterilis est, quam Jure & ex negotiatione percipiuntur, l. si va- vis, ff. de reivindic. Itaque durius agitur cum rev, si ad usurarum, quam si ad fructuum restitutionem condamnetur. Hinc ergo benigne fecit Severus, qui fiduciarium fructus, non item usuras restituere voluit.

His positis, in promtu est propositam difficultatum diluere: quandoquidem cum donatore & que, benigne, mansuete omnino agi debet, ut propterea dicendum sit in illo aliud Juris habere usuras, aliud fructus. Quare omnino recte Modestinus scripsit, nunquam donatorem ex mora ad usuras restituendas cogi debere; aliter enim dure cum eo ageretur, ut proinde eas remittere summae æquitatis esse dixit, quod riotandum est. Non ita se se habet in fructibus, præsertim post litem contestatam perceptis, neccum consumtis, quos restituere debere, voluit Paulus. Unde illud concludendum est, quod licet regulariter idem Jus locum habeat in fructibus ac in usuris, id tamen verum non esse, & restringi, cum benigne procedendum est, ut patet ex d. l. eum qui, ff. de iis, quibus ut indignis, & ex l. eum qui, ff. de donat. juncta l. vi-deamus generatim, ff. de usuris, juxta explicationem a nobis jam traditam.

Verum id, quod Paulus dicebat in d. l. generatim, fructus post litem contestatam perceptos, si extent, debere restitui, videtur contrarium esse Pomponio in l. in ædibus, §. in reb. ff. voc. tit. ubi fructus ex fundo do-

donato percepti in donationem computari non debent, quam legem ita intelligebant Irnerius & Martinus glossator, ut si ex causa donationis fundum promisi, & fui in mora tradendi, non propterea fructus restituo. Verum facile respondetur id intelligi respectu ejus difficultatis, quæ ex lege Cincia oriri poterat, ex qua certus modus donationibus statuebatur, ne, ex.gr. excederent tercentos solidos. Modo finge fundum quincentos aureos non excedere (qui supponatur modus a lege Cincia statutus) & donatorem fructus ex fundo donato percepisse, ipsi fructus non convenient in computationem, quasi donatio excedat modum lege Cincia constitutum. Sed nihilominus venire debent in restitutionem, si quos donator post litem contestatam percepit, nec consumferit, ita tamen, ut non videatur donator majorem summam tradere, ac fundus sine fructibus his estimatus. Denique fructus non intelligatur esse ex re donata ratione donatarii, sed ratione donatoris, ut eos restituere teneatur.. Ita Merillus.



DO-



DOMINICI AULISII

J. C. CLARISSIMI,

De Donationibus.

C O M M E N T A R I U S.

Ad lib. XXXIX. Pandectarum, Tit. V.



UOD in aliis Pandectarum partibus factum a Triboniano est, idem in hoc de donationibus titulo accidisse, vident docti Viri, & dolent. Variæ enim, multæque sunt in Tribonianum expostulationes. Gulielmus Budæus in *I.2. ff. de orig. Juris*, queritur ipsum potius incisas, quam concisas Pandectas nobis reliquisse. Quam querelam latius prosecutus est Vir eloquentissimus Antonius Moretus, dum ad Paulum Sacratum scribens, ait: Tribonianum, sociosque non fecisse, ut ille Horatianus Agricola, qui inutiles ramos falce amputans, feliores inserit; sed ut milites accepto signo ad Oppidum aliquod diripiendum, ac de-prædandum. Ita per medium Jus civile gravantes, quidquid obvium erat, lacerarunt. Alii dicunt eum Virum, non tam leges ad nos transmisisse, quam Cruces. Alii alia, quorum reprehensiones hic referre, vel excutere nostrum non est; alio nos evocamus, nimirum ad expostulationem Francisci Balduini *de Jure novo lib.2. circa fin.* quæ ad rem nostram facit, & omnium gravissima est. Putat Vir doctissimus, Tribonianum dupli nomine peccasse; primo quia non condidit, tradiditve Juris artem, ut facere opus erat, sed tumultuariam quandam selectiōnem; secundo quod species, seu, ut dicunt, casus ab antiquis Juris consultis hinc inde selegit. Rationem utriusque erroris esse, ait; quia

T t

ita

ita quod possum erat in una cognitione, id in infinita disperitus est: Jurisprudentia siquidem brevia est, si per artem, & præcepta tradatur; longa vero, si per species, casusve, qui infiniti propemodum sunt. Verum nos non facile patimur Tribonianum accusari, & putamus in altero recte egisse, in altero non ipsum peccasse. Hæc in præsens demonstrare e re nostra futurum spero; ita enim quæ via, quæque ratio, seu methodus in explananda donationum tractatione nobis ineunda sit, commodius perspiciemus. Singula persequamur.

Quod ad unum caput accusationis attinet, scilicet quod Tribonianus species hinc inde ab antiquis Jurisconsultis feligere sollicitus fuit, videtur mihi recte egisse, ut prudentem Legislatorem decebat. Quod ut intelligi possit, animadvertisendum est cum Aristotele in lib. i. *Rethoricon. cap. 2.* oportere leges decidere omnia quæcumque possunt, & quam paucissima Judicibus permettere; idque tribus rationibus. Prima est, quia facilius est nancisci unum, vel paucos, qui recte sentiant, quam plures. At vero unus, vel certe pauci sunt, qui leges condunt, & Jus constituunt; plures vero sunt Judices: unde fit satius esse, ut decidat ipse Legislator, quam Judex. Secunda est, quia leges longa animi provisione fiunt, non item judicia, quæ sepe de repente promulgantur, nec permittunt Judicem diu cogitare, quid justum, & magis utilius sit. Ultima tandem ratio, quæ omnium præcipua est, ita se habet: Legislator non agitur odio, nec commovetur amore, ut propterea nec ejus judicium facile corrumpi, & occidari possit; quod secus est in Judice, qui cum Jus dicat inter præsentes, levi negotio a passionibus, & affectibus transversus agitur, & odio, vel amore corruptitur; præsertim si, quod fieri solet, proprium commodum conjunctum sit. Patet itaque, optimo Legislatori onus incumbere, ut quæplurima ipsa decidat. Nunc veniamus ad Tribonianum. Quid queritur Balduinus? dicit Tribonianum prope infinitas species collegisse; si hoc ita est, quid aliud fecit, nisi decidere omnia quæcumque potuit, & quam paucissima Judicis arbitrio relinquere? Quapropter si Aristotelem audimus, recte fecit, partesque optimi Legislatoris implevit.

Hoc de uno capite accusationis: jam dicamus de altero. Dicit Balduinus, Tribonianum non condidisse artem Juris. Hac in parte siuti non laudo Tribonianum, ita nec reprehendo. Puto enim excusandum esse, nec tam ipsum peccasse, quam antiquos Legislatores, & Jurisconsultos: si enim de Legislatoribus sermo sit, id omnino patet; habemus hodie doctissimorum Virorum operas, qui Jus atticum (ut de hoc etiam dicam) collegerunt, vel de eo egerunt. Hi sunt Desiderius Heraldus, Claudio Salmasius, Samuel Petitus; & nihilominus si attendamus apud hos Graeci Juris fragmenta, nullam in eis Juris artem inventemus. Sed accedamus ad Romanos. Erant apud hos leges Decemviales,

rales, seu XII. Tabularum, quas Cicero tantopere fecit, ut Bibliothecis Philosophorum omnium præponere non dubitaverit; an est in his ars aliqua Juris? nihilminus, ut constabit ei, qui leget Commentarios Fulvii Ursini, Antonii Augustini, Justi Lipsii, ipsius Francisci Baldunni, & denique Jacobi Gothofredi, qui omnium accuratissime, & doctissime eas leges collegit, & exposuit; stet itaque Legislatores neque Græcos, neque Latinos Juris artem ullam tradidisse.

Sed descendamus ad Jurisconsultos, seu ad antiquos legum Expositores; & cerrum est ad tempora usque Ciceronis ipsos artem Juris non condidisse; siquidem Cicero in *libris de Oratore*, in persona Lici-nii Crassi serio dolet, Jus civile non esse artificiose digestum, & *lib. de legib. 2.* ait: Ejus ipsius generis Jus civile nostrum, sed ita, locus ipse ut notus sit, ex quo ducatur, quæque res, & ars Juris, ut non difficile sit, ut quæcumque nova causa, consultative acciderit, ejus tenere Jus, cum scias a quo sit capite repetendum. Sed Jurisconsulti sive erroris objiciendi causa, quo plura & difficiliora scire videantur: sive, quod similius veri est, ignoratione docendi (nam non solum scire aliquid, artis est, sed quædam ars etiam docendi) sæpe quod positum est in una cognitione, id in infinita dispertientur. Neque enim verum est, quod putabat Budæus ad *I. 1. ff. de Justit. artem* hanc traditam esse a Q. Mutio Scævola, de quo ita habetur in *I. 2. §. post hos, ff. de orig. Juri*: *Jus civile primus constituit generatim in libros viginti & octo redigendō*; nam hoc non significat Jus civile in artem redigisse, generales regulas tradendo, ut ipse Budæus credit; sed ubi antiquiores Jurisconsulti partes tantum Juris attigerunt, alter alteram; Scævola primus omnium generatim, & de universo Jure egit; quod si fecus esset, non recte quereretur Cicero, ad sua usque tempora Jus civile non esse secundum artem traditum, si id egisset Scævola, qui ante Ciceronem floruit, ut intelligi potest ex eo quod Scævola Auditor fuit Gaius Aquilius, *d. §. post hos*, qui Ciceronis in Consulatu Collega fuit. Cicero itaque primus diu cogitavit hoc opus aggredi, & librum edidit, qui *in scriptus erat, De Jure civili in artem redigendo*, ut patet ex A. Gellio *lib. 1. noct. attic. cap. 22.* in quo, ut conjici potest, solum ostendit qua via id perfici poterat.

Verum Ciceronis conatum, & præcepta amplexi non sunt Jurisconsulti, qui deinde sunt secuti, uti constat ex fragmentis Gaji, Uliani, Pauli, in quibus frustra artem Juris quærere. Iniquum itaque est quærere a Collectore, sicuti est Tribonianus, eam artem, quæ ab antiquis Jurisconsultis, a quibus Tribonianus selegit, tradita non est. Ars autem hæc in quibus consistat, non uno verbo exponi potest; modo sat is referre ejusdem Ciceronis sententiam, qui Juris artem in hoc positam esse ait, primo ut totum Jus civile in genera digeramus, quæ pauca sunt; secundo eorum generum species, seu membra tradamus;

& tandem propria cuiusque vis definitione declaretur. Ita enim fiet, ut quæ divulsi sunt, & dissoluta, ratione quadam uniantur simul, & constringantur. Ita etiam Juris artem, seu scientiam habebimus, ex qua inde quælibet proposita species facile decidi poterit. Id non videtur a Triboniano neglectum, quia hunc ferme ordinem in Institutionibus nobis exhibit. Ex duobus igitur, quæ ad Jus optime constitendum requiruntur, alterum habemus, altero destituimur; habemus species a Triboniano collectas; destituimur legis arte, quæ tamen ex his ipsis speciebus, quas habemus, hinc inde colligi potest, ut etiam notatum a Cicerone est.

Totum hoc opus aggredi muneris nostri non est, qui solummodo hanc Juris partem, quæ ad Donationes pertinet, & quam tractandam suscepimus, ad ordinem certe aliquem, si non ad artem reducemos. Eapropter nostrum opus in duas partes dispertiemur. In prima hujus artis semina dabimus: in altera explicabimus species a Triboniano hic collectas, non quidem omnes, quod per tempus non licet, sed eas, quæ magis explicatione indigere videntur, præsertim vero *l. Lucius*, quæ quidem omnium difficillima est.

In hoc itaque titulo agitur de Donationibus, non tamen de omnibus, sed solum de iis, quæ non mortis causa fiunt; quare a Leone Philosopho in Basilicis lib.47. tit.1. hic titulus ita inscribitur, *De donationibus inter vivos*. Ita etiam ut non attingatur in eo donatio propter nuptias, seu antipherna, quæ veteribus Romanis incognita, per Imperatores fuit introducta; nec pariter in eo sermo fit de donationibus inter virum, & uxorem, de quibus ob rei amplitudinem separatum titulum habemus. Interim hæc tractatio de donationibus, ut ait Nicolaus Valla in *tit.de rebus dubiis*, difficilior est, & obscurior, quam sit argumentum de substitutionibus, de Jure accrescendi, vel si quid aliud iis sit obscurius; idque propter Jus varium, propter dissimiles mores, & consuetudines, propter sententias, & decreta inter se pugnantia.

DE DONATIONIBUS

PARS I.

Ubi Donationum Ars traditur
Definitio Donationis.

CAP. I.

MULTAS donationis definitiones passim apud Juris nostri Interpretates legimus, quas omnes si ad examen vocare velimus, plurimas turpescere in ipsis hallucinationes detegere opus esset: quod tamen facere iurisstituti nostri non est, qui contenti erimus veritatem simpliciter propone & demonstrare.

Donatio itaque est modus acquirendi civilis, per quem res singulae ex causa liberalitatis dantur. Explanatur definitio.

Dicitur modus acquirendi. Id plane sumtum a Justiniano est, qui donationem non recensuit lib. 3. *Instit.* inter contractus, sed de ea egit lib. 2. inter modos acquirendi. Illud interest inter contractum, & modum acquirendi, quod contractus sit actus, quo ex consensu plurium circa idem oritur obligatio: modus acquirendi sit, quo adipiscimur vel rem, vel Jus in rem, absque ulla obligatione. Unde licet per mutuum acquiremus ipsos nummos mutuo datos, non ideo mutuum est modus acquirendi, sed contractus, quia inde statim mutuatarius ad tantum restituendum obligatur. Ita quoque licet per pignus Jus in rem acquiramus, non ideo pignus dicetur acquisitionis, sed contractus, cum inde obligatio nascatur.

Ita per contractum non semper acquirimus rem vel jus in rem, sed semper obligamur. Per modum acquirendi semper acquirimus, nunquam obligamur. Insuper in contractu semper requiritur consensus, sive expressus, sive tacitus, sive presumptus: in modo acquirendi non est necessarius consensus, ut accidit in occupatione, in altuvenie, in perceptione fructuum facta per bonae fidei possessorem.

Non ita est in donatione, per quam modo dominium rei acquirimus, ut si res ipsa dono data sit: modo Jus in rem, ut si rei usus, vel fructus, vel quid simile nobis est donatum; nec ulla inde nascitur obligatio, aut donatoris in donatarium, aut e converso. Unde ipsa donatio erit solum modus acquirendi.

Dicitur civilis. Sunt qui donationem inter modos, quibus res Ju-
regentium acquiruntur, computandam esse credunt, ea ratione quia do-
natio

natio tradendo perficitur. At vero traditio est modus acquirendi Juregentium, §. per traditionem, Institut. de rer. divisi. Ita Corasius in l. post contractum hoc sit. nam 4. Giphanius ad hanc rubricam a num. 11.

Verum nos sicut ultra demus donationem Juregentium cognitam esse, hoc est apud omnes gentes recipi, & quidem ab antiquis usque temporibus: notum certe est apud Homerum Odisea lib. 17. Telemachum donare Pirro, & habetur in l. i. ff. de mort. causa donar. Constat etiam Regem Salomonem Homero pene aqualem, Oppida quinque Tyriorum Regi donasse; tamen dicimus, ea usos olim Romanos, & nos hodie uti, ut medus acquirendi Juris civilis est.

Probatur hoc I. ex Justiniano, qui in Institutionibus donationem inter modos acquirendi civiles enumerat. Enimvero cum de naturalibus acquisitionibus egisset in tit. de rer. divisi. de servitutib. prædicorum, de usu, & habitat. ibi ita ait in §. ult. Exposuitus summatim quibus modis Jurisgentium res acquirantur: modo videmus quibus modis legitimo, & civili Jure acquiruntur, & post hæc statim sermonem orditur de usu capione, & longa possessione, tum agit de donationibus, in cuius tituli §. final. meminit de quarto acquirendi modo secundum Jus civile, nimirum de Jure accrescendi attento Jure antiquo, eo quod temere in servum communem collata est libertas, & ita illum §. orditur. Erat olim & alius modus civili acquisitionis per Jus accrescendi. Hic omnino patet a Justiniano inter acquisitiones civiles tertio loco numerari donationem, & propterea omnino falluntur, qui eam Jurisgentium esse dicant.

Iaque nescio, quid in meutem venerit Theophilo, dum in Institutionibus in fine tituli, per quas personas nobis acquiritur, civiles acquisitiones enumerans dicit, olim quinque fuisse, hodie quatuor, nimirum usu capio, longa prescriptio, apud veteres Jus accrescendi, legatum, & fideicommissum, ubi nullam de donatione mentionem facit, quasi ea sit Jurisgentium acquisitionis utpote quæ per traditionem fiat, quod si verum est, stulte fecisset Justinianus, qui de ea agit, non inter modos Jurisgentium, sed inter eos, qui Juris civilis sunt.

Probatur II. ratione, quia cum aliquid addimus, aut detrahimus Juregentium communis, tunc Jus proprium seu civile conficimus, l. Jus civile, ff. de Just. atque ita plane in donatione est, cui varia Jus civile addit, puta ut aliquando insinuationem requireret, ut inter certas personas sit prohibita, ut inter virum, & uxorem, sicuti etiam ut aliis modis, quam per traditionem, fieret, puta per emancipationem, vel patro legitimo; ita tamen ut alios atque alios effectus gigneret, cum est mera donatio, atque cum non est mera, & alias id genus solemnitates, quas habet a Jure civili; & proinde Juris civilis esse dicitur. Neque hoc novum est in Jure nostro. Quandoquidem emphyteusis inter contractus Juris civilis computatur, arg. §. actionum, Institut. de actionibus, cum nihilominus a Juregentium originem habuerit, eamque Bizantiis usitatem

tam esse refert Aristoteles in *lib. Politicor.* id autem factum est, quia formam, & solemnitates, quibus peragi oportet, a Jure civili per Zenonem Imperatorem recepit, l.2.C.de *Jure emphyteutico*. Ita quoque actiones licet ante Urbem Romanam, & ubique gentium statim ac Urbes condi, & Magistratus creari cœperunt, datæ sunt, eoque a Juregentium descendant; tamen si considerentur, ut certas formulas, aliasque solemnitates, quibus proponi deberent, a Jure civili cœperint, de Jure Romano esse dicuntur, ut notavit Zasius. Idem est de testamentis, ut magis frequens nostrorum opinio est.

Probat id etiam Julius Pacius argumento ducto ex *l. an inutilis*, §.ult. ff. de *acceptilat.* ubi Ulpianus ait: hoc Jure nos uti, ut acceptatio, quæ Jure civili est introducta, sit Jurisgentium, quia servus accepto liberari potest: ergo e diverso, quia *Civis Romanus res suas ad Peregrinum titulo donationis transferre nequit*, ideo licet alias a Juregentium descendant, tamen *Juris civilis esse dicetur*. Sed hæc ratio facile concidit; nusquam enim in Jure nostro legimus Peregrino donari non posse; imo in contrarium habemus, si *uxor in casu deportationis viro donaverit, donationem valere*; l.sed si mors, ff. de *donat. inter virum*. Deportatus autem est Peregrinus: hoc est *Civium Romanorum Jure non utitur*, cum ex media capitatis diminutione Civitatem amississe datur.

Ex his patet argumentum Giph. & aliorum nihil obstat, nam ad id, quod de traditione ajunt, respondemus traditionem sua origine attesta esse Jurisgentium, utpote qua apud omnes gentes rerum dominia transferri soleant. Attamen quia traditioni, per quam donatio fit, varia sunt a Jure civili addita; ideo in hoc casu erit etiam *Juris civilis*, d.l. *Jas civile*, ff. de *Justit.* Additum autem est. E. g. ut fiat per insinuationem, item ut fieri possit per traditionem fictam.

Dicimus per quam res singulæ; ubi rei nomen in amplissima significazione usurpanus, pro eo quod est, vel esse fingitur, juxta l. rei *appellatione*, ff. de *verbis signif.* cum donari queant res, sive soli, sive mobiles, sive corporales, sive non. Ideo autem additum est verbum, singulæ, ut indicemus donationem esse particularem modum acquirendi, non universalem; siquidem universales modi quatuor omnino sunt, *Hereditas*, *Bonorum possessio*, *Adrogatio*, & *Bonorum addicatio*, §.ult. *tit. per quas personas*.

D'etum est, Dantur. Donatio enim nisi per traditionem, seu potius *Dationem* fiat, *Donatio* non est. Etenim quamvis donatio etiam per stipulationem celebretur, etiam pacto nudo, & pollicitatione; tamen cavendum est, ne hinc cum vulgo decipiatur; quandoquidem aliud est donare, aliud convenire donationis causa. Primo itaque donare, tunc proprie est, cum res ipsa actu traditur, ut patet ex l.1. & passim *boc sit.* & ex l. *Senatus*, §.1. ff. de *donat. caus. mort.* Ubi *Donatio* dicitur *Doni*

Da-

Datio, sicuti Græcis dicitur δῶσην a verbo δίδωμι, quod etiam dare est. II. Conventio donationis causa fit verbis scilicet Stipulatione; Pasto, Pollicitatione; cum vero res e. g. stipulata, deinde traditur, & datur, tunc vere Donatio est; propterea quod stipulatio illa non tam fuit Donatio, quam facta, & interposita causa Donationis. Quare Donatio per traditionem dicitur Donatio rerum. At vero ea, quæ per stipulationem fit, Donatio verbis facta, *I. Papinianus, ff. de donat. inter virum*; sed de hac re latius dicemus infra in capite de modis, quibus donatio perficitur. Ceterum per verbum, Datur, distinguitur donatio a legato; licet enim legatum etiam donatio sit, *I. legatum est donatio, ff. de leg. 2.* Differunt tamen in eo, quod donatio datur, idest inter vivos celebratur; legatum vero dicitur relinquiri, quod relinquendi vocabulum ad meras ultimas voluntates attinet, quod ex solo defuncti iudicio proficiuntur, *I. §. ult. ff. de tabule exhibend. §. bac quidem, Novell. de heredib. & falcid.*

Tandem dicitur ex causa liberalitatis. Verum aliquando donatio ex sola liberalitate confertur, & dicitur mera donatio; aliquando vero aliquam etiam causam habet admittam, & dicitur non mera donatio, ut si fiat ob causam præteritam, veluti quia negotia mea gessisti, dono tibi mille; sic etiam si fiat ob rem futuram, v. g. Dono, quia nuptias contrahet. In his enim casibus non confertur donatio ex sola, & mera liberalitate, sed etiam ob aliam causam, & rationem, nimirum, vel quia negotia gesta, vel quia contrahentur nuptiæ: sed de hac re infra latius. Interim notandum, id nostro Jure ex causa liberalitatis dari, quod nullo Jure cogente datur, *I. donari, ff. hoc tit.*

Hæc pro explicatione Definitionis dicta sunt; modo proponamus Controversias, quibus res hujus Definitionis difficiliores tuebimus. Sit ergo.

An Donatio aliquando non sit acquisitio, sed contractus.

CONTROVERSIA I.

Variæ sunt in hac re Jurisconsultorum opiniones, quas in cursu hujus disputationis afferemus. Nos interim dicimus donationem nunquam esse contractum, ut voluerit Connarus *lib. 3. comment. Jur. cap. 9.* Merenda *lib. 18. controv. cap. 6. n. 4.* Faber *decad. 46. err. 8.* Quod ut clarius pateat, distinguemus tria Capita, nimirum traditionem per quam donatio fit, & perficitur; item stipulationem; tertio pactum, sicuti etiam pollicitationem, qui sunt modi, quibus ad donandum obligamur.

I. Ita-

I. Itaque si donatio traditione fiat , contra~~sus~~ non est , quod patet primo ratione , quandoquidem ex omni contractu nascitur actio , & obligatio , vel utrinque , si contractus sit ultro , citroque obligatorius , *l.Labeo* , §.contractum , ff. de verb. signif. vel ex una tantum parte , ut dicitur in *l. omnem* , ff. de judiciis . At vero ex ea donatione , quæ tradendo perficitur , nulla nec actio , nec obligatio nascitur . In quantum ad obligationem patet in *l.Aristo* hoc tit. nam si servum meum tibi donem , ut eum manumittas post quinquennium , ait Jurisconsultus hic mistum esse negotium cum donatione ; itaut intra quinquennium , nulla sit tua obligatio , quia quinquennium illud tibi donavi : postea vero sit obligatio , ut scilicet eum manumittas , quia post quinquennium cessat donatio , & est jam negotium , sive contractus , do ut facias , idest , ut manumittas . Quare notanda sunt hæc verba legis , Obligationem non contrahi eo casu , quo donatio est . Idem patet ex *l.Obligationum substantia* , §.1. ff. de A. & O. ubi hæc statuitur differencia inter mutuum , & donationem , quod licet in utroque casu nummi sint dantis , & fiant accipientis , tamen ex donatione nulla existit obligatio , quod secus est in mutuo . In quantum ad actionem probatur , tum quia nulla actio nasci potest , ubi nulla obligatio præcessit , tum etiam ex *l.interdum* , ff.de precario , & in *l.eum qui* , §.is qui precastio , ff.de furtis , in quibus apertissime scriptum est , nullam esse proditam actionem ex donatione ; ergo donatio contractus non est : & huc sane spectat , quod vulgo dicitur traditionem non tam esse contractum , quam distractum . Si vero quæres cur ex traditione , ac proinde ex donatione ita facta , nulla oriatur actio , aut obligatio ; responsio facilis est , quia qui dat , jam perficit per traditionem actum , nec est , ad quid amplius faciendum , vel dandum obligetur : qui vero accipit , jam obtinuit rem , nec habet cur ulterius in donantem agat .

Hoc autem adeo verum est , ut si contractus quis ineatur animo donandi , jam nulla ex eo suboriatur neque actio , neque obligatio ; tamen est contractus . Itaque mandati actio & obligatio nascitur fidejussori , si animo obligandi sibi debitorem fidejusserit , non vero si animo donandi , *l.si remunerandi* , §.2. ff.mandati . Ita societas parit obligationem , si non animo donandi fuerit contracta : unde quod dicitur in *l.societas* , §.ult. ff. pro socio , nimirum donationis causa societas recte non contrahitur ; id ita intelligendum est , ut non jani societas sit , sed omnino ut donatio censeatur , ut ibi notat Glossa . Ita etiam si universa venditio donationis causa facta sit , ut si nullum inde pretium recipiatur , venditio non est , sed donatio , *l.si quis donationis* , ff.de contrab. emt. Idem & de locatione , *l.si quis conduxit* , ff.locati . Ita & in quasi contractibus observatur , & in negotiis gestis . Nam si sumptus sint facti non animo recipiendi , sed aut pietatis , aut sanguinis , aut amicitiae causa , nulla erit obligatio , & la actio ad sumptus recipiendos , *l.negotia* ,

Vu

C.de

C.de negot. gestis, l.ex duobus, §.1. & l.Nefennius, l.is qui amicitia, ff. cit. tit.

Probatur secundo lege. Siquidem Paulus in *l.interdictam*, ff. de *precario*, dicit, merito a Prætore introductum esse interdictum de preario adversus eum, qui precibus rem utendam obtinuit, ut restituat, quod nulla ex nomine Jure civili prodita actio est; cuius ultimi dicti rationem his verbis subdit Jurisconsultus. Magis enim ad donationem, & beneficium causam, quam ad negotii contracti spectat precarii conditio. Ubi apertissime Paulus tam prearium, quam donationem e numero contractuum eximit, cum his illa opponat. Siquidem cum dicimus contractum absolute, tunc utimur ellipsis, & plena oratio effet negotii contractus, quia omnis contractus aliud non est, nisi negotii contractus, ut notavit Cujacius in *paratitlis*, *C.de negot. gest.* Ita etiam loquitur Jurisconsultus in *l.stipulationum, §.conventiones, ff.de verb. oblig.* ibi: *Stipulationes* pendentes ex negotio contracto.

Hinc est, quod Justinianus sermonem de donationibus non habuit lib.3. *Instit.* ubi de contractibus egit, sed lib.2. inter modos acquirendi; siquidem olim cum donatio siebat per traditionem nesci, seu mancipacionem, civilis acquisitio erat, hodie cum celebratur per possessionis traditionem corporalem, naturalis est acquisitio, Cujacius 10. *observ.* 28.

Verum objicitur ex Jaboleno *l.in omnibus rebus, ff.de art. & obligat.* ubi contractibus donatio accensetur, cum dicit in ea concurrere debere affectum ex utraque parte contrahentium; ex quo textu colligit Gothofredus ibidem, donationem esse verum contractum. Verum respondet Corasius in *l.post contractum*, ff. *boc tit. num. 3.* per abusum id factum esse, ut cum Ulpianus testamentum inter contractus retulit in *l.eandem rem, in princ. ff.de duobus reis.* Aliter vero respondet Antonius Contius *disput. Jur.* lib.1. cap.12. qui ait: *Cum donatio dicatur contractus, præsupponendum esse eam initam, & perfectam per stipulationem, quæ contractus est, l.i. §.final. ff. de partis; vel factam sub lege aliqua, cui negotium aliquid fuerit immixtum, Dono tibi prædia, ut alimenta præbeas, l.i. C.de donat. quæ sub modo; vel dono tibi servum, ut post quinquennium manumittas, l.Arista, ff.boc tit.*

Sed vera responsio est, in ea lege de duobus agi a Jaboleno, licet confuse: primo de translatione & acquisitione dominii, ut patet ex illis verbis: In omnibus rebus, quæ dominium transferunt, &c. coquæ pertinet exemplum donationis a Jurisconsulto subjectum, quæ donatio est acquisitionis dominii, sed non contractus: secundo agit de contractibus ex quibus obligatio nascitur, unde infra fit mentio contrahentium & contractuum; & hac de causa appositum est exemplum conductionis, quæ est contractus quidem, sed dominium ea neque acquiritur, neque amittitur, l.non solerit, ff. locatis. Idem intelligas de exemplo venditionis, quod ibi appositum etiam est.

II. Di-

II. Dicimus. Si donatio fiat per stipulationem, & loquamur de stipulatione ipsa, nulli dubium est, eam esse contractum, qui dicitur verborum; sed si loquamur de donatione, sciendum est hic nullam factam esse donationem, sed solum contractam esse obligationem ad donandum, qua obligatione tunc solvemur, cum res actu, & vere deinceps tradetur; quia in hoc casu nulla adest donatio, sed solum stipulatio donationis causa facta. Patet id primo, quia si stipulor a te mutuam pecuniam, non dicitur initus contractus mutui, qui re celebratur, sed solum facta intelligitur stipulatio, in cuius implementum mox pecunia numeranda est, *I.si ita fuerit, §. final. cum l. seq. ff. de novat.* ergo etiam si stipulor donationem, sola stipulatio agitur, cui tamen causam donatio dedit, ut recte notat Corasius *loc. cit.* Atque ita in similibus. Quare licet in §. ult. *Institutionib. de servit.* dicatur pactionibus, atque stipulationibus servitutes constitui; hoc tamen non est per se, nam pactio & stipulatio tantum pariunt obligationem personalem ad servitutem constituendam. Ceterum ut servitus constituatur, requiritur quasi traditio, idest, usus ex parte dominantis, & cautio, vel patientia ex parte servientis, *I. alt. ff. si servitus vindicetur, l. i. §. ult. ff. de S.P.R. l. 3. §. si iter, ff. de actionib. cmti.* Atque ita recte notat Pacius in *Instit. loc. cit.* Patet secundo, quia quæ ex donatione per stipulationem facta nascitur actio, non est actio ex donatione, qua rem donatam vindicare possimus, sed actio personalis ex stipulatu, qua personam nobis obligatam adstringimus ad tradendum id, quod se nobis donare in ea stipulatione dixit, *I. si stipulata, ff. de donat. inter virum, Novell. 162. cap. 1.* & notat Wulfius *Institut. ad rubr. hoc sit.* Vigell. in method. Jur. civil. lib. 14. cap. 14. except. 33.

Verum tamen est, aliquando large stipulationem ita factam appellari donationem, eoque sensu donationem dici posse contractum, & quidem stricti Juris, quoniam etiam stricti Juris est stipulatio; & ita plane intelligendus est Jurisconsultus in *I. cum qui, ff. hoc tit.* in illis verbis: Cum in bonæ fidei contrahibus donationis species non deputatur. Unde colligitur, donationem esse quidem contractum, non bonæ fidei, sed stricti Juris, ut colligebat Gothotredus. At vero hoc non est intelligendum de omni, seu vera donatione, sed est accipiendum de donatione per stipulationem facta, ut patet ex verbo, promisit, quod in ea lege habetur, adeoque contractus dicitur non ex sua natura, sed ex via stipulationis, in qua promissa donatio est, ut notat Hotomanus *hoc sit. cap. 1. in fin.*

Hæc de Jure antiquo: videamus III. de novo, quo Justinianus statuit pacto nudo donationem contrahi, *I. si quis argentum, §. penult. C. de donat.* Et multi sunt, qui licet crediderint, docuerintque Jure antiquo, seu digestorum, donationem non esse, nisi acquisitionem; tamen hoc Jure novo fecerunt putant de donatione ita celebrata, Cujacius *lib. 10. obs. 28.*

ad fin. dicit donationem ex Jure Justiniane esse conventionem; maluit autem dicere conventionem, quam contractum, ex eo, ut puto, quod latius est conventionis genus, quam contractus: summa enim divisione conventionum est in duo genera, scilicet in contractum, & pactum, Cujacius idem 11. obs. 37. Cum ergo ex Justiniano possit donatio non solum per contractum, sed per pactum etiam celebrari; ideo visum est Cujacio eam non contractum, sed conventionem appellare. Ceterum Balduinus de Jure novo ch. 351. Hotomanus loc. cit. Corasius in d.l. post contractum, num. 4. docuerunt, ex Justiniano donationem esse contractum. Sed hoc nomine contractus usi sunt large, prout etiam pacto legitimo adaptari potest; nam pactum legitimum etiam contractus dicitur, cum pariat obligationem, ex d.l. omnem, ff. de judiciis. Quæ sententia corroboratur ex eo, quod donatio dilucide appelletur contractus a Justiniano in 1.8. C. de prescript. 30. annorum.

Verum falluntur, quia pactum non constituit donationem, sed ut modo dicebamus de stipulatione, tantum obligat personam ad rem donandam, quod tunc demum fit, cum res traditur; Justinianus autem in d.l. si quis argentum, non aliud effecit, nisi ut conventiones, seu contractus de donando per nudum pactum, qui olim obligationē non gignebant, hodie gignant. Ceterum cum donatio dicitur contractus a Justiniano, id non factum est ratione sui, sed ratione parti legitimi, cui donatio causam dedit. Hoc quod de pacto legitimo diximus, locum etiam habet in pollicitatione; siquidem verum est id quod multi putant, hodie posse etiam pollicitatione donationem perfici ex d.l. si quis argentum. Quam opinionem veram esse nos infra cum Antonio Fabro palam faciemus.

Donationem quandoque non esse alienationem, semper esse acquisitionem.

CONTROVERSA II.

MIrū fortasse alicui videbitur hac de re controversiam excitari, cum haec tenus ab omnibus, quod sciām, pro certo ratioque habitum sit donationem semper esse, & dici debere veram alienationem; adeo ut Cujacius vir accuratissimus non dubitaverit in definitione donationis eam appellare alienationem, ut in paratitlis ad hunc titulum, & Hotom. eam dixit, liberalē esse translationem. Verum nos duo statuimus; unum ex parte donatoris, ubi afferimus donationem non semper esse alienationem, sed aliquando fieri per simplicem acquirendi permissionem. Alterum ex parte donatarii, respectu cuius dicimus donationem semper esse acquisitionem: de singulis leorū agemus.

Primo ergo, quod donatio non semper fiat per alienationem, evidentissime

dentissime probatur ex Ulpiano in *l. si sponsus, §. si maritus, ff. de donat. inter virum*; in qua si maritus institutus heres donationis causa repudiat hereditatem, ut eam sibi acquirat uxor, quæ est vulgariter substituta viro, vel alioqui successura ab intestato repudiante viro, ait Jurisconsultus cam viri donationem collatam in uxorem valeat; & nihilominus maritus repudiando, & donando, nihil de patrimonio suo alienat. Ceterum notandum est, controversiam illam, an qui non acquirit, cum possit, censeatur alienasse, non habere locum in hereditate, sed solum in legatis propter leges invicem pugnantes. Etenim in *l. magis puto, §. fundum, ff. de rebus eorum*, asseritur, quod alienat, qui legatum repudiat, quod tamen negatur in *l. i. §. utrum, ff. si quid in fraudem patroni, in d. l. qui autem, §. sed & illud, & in d. l. si sponsus, §. si maritus, in fin.* De quarum legum conciliatione alibi agemus. Non est ut dicebam eadem difficultas in repudiatione hereditatis, quam leges omnes uno ore testantur, non esse alienationem, ut in nostra *l. si sponsus, §. si maritus, in d. l. si autem, §. unde, & in d. l. alienationis, §. i.* Ratio vero cur hæc difficultas in hereditate locum non habuerit, pendet ex eo, quod hereditas non fit nostra nisi per aditionem, ut propterea qui eam ante aditionem repudiat, nullo modo dici possit alienare. Non ita lœse res habet in legatis, quæ statim a morte testatoris nostra fiunt: quare qui post hujus obitum repudiat, recte dubitari potest, num alienet, an non.

Hinc manifestum est, quam graviter decipientur, qui in specie *d. §. si maritus*, putant intervenisse momentaneam acquisitionem, hoc est maritum acquisivisse sibi quidem hereditatem, sed eam momento post uxori repudiasset; nec propterea ex hac repudiatione vir dicitur factus pauperior, quia momentanea acquisitione apud nos nullius est momenti, ut post alios docet Olea de cessionibus q.3. art.45. Verum nescio an quid absurdius comminisci possit; nam uti dictum est Jurisconsultus in ea lege aperte demonstrat, Maritum non alienasse, eoque neque unquam acquisisse. Cum vero dicunt momentaneam acquisitionem esse parvificiendam, id verum est, quando per actum momentaneum nihil in aliud transferatur, vel ex eo nullus effectus resultat, sed actus ipse momento dissolvitur. Patet id ex *L. qui sic solvit, ff. de solutionibus*, quæ ab adversariis adducitur, in qua debitor, e.g. ex mutuo, qui æs alienum solvit sub ea conditio, ut illud iterum recipiat, non liberatur, nec prior mutui contractus dissolvitur; itaut cum deinceps eandem pecunia summam a creditore accipit, remanet obligatus ex illo priori contractu; neque novus dicitur celebratus. Hoc ideo, quia actus ipse solutionis dissolvitur, & pecunia redit ad solventem, eoque nullum effectum producit. Quare securus esset, si ea pecunia ad extraneum perveniret Jussu solventis; tunc enim extincto mutui contractu, oriretur mandatum, & de mandato actio, ut recte notat Baldus in *l. i. C. de sponsalibus*. Adde nullam in ea lege mentionem momentaneæ acquisitionis haberi, sed generatim loqui

qui de eo , qui sic solvit, ut recipiat nec additur , an velit statim recipere , an multo post tempore . Hinc ex ea lege hæc solum regula elici potest ; actus , qui nullum effectum producit , pro nullo habetur . Idem emnino patet ex l. si pro patre , §. versum , ff. de in rem verso , ubi versum ita demum intelligitur , si duret versum ; neque distinguitur , utrum versum duret momento , vel die sed ut versum non dicatur , satis est , si tandem aliquando priusquam de in rem verso actio proponatur , versum evanescat , nec ex eo aliquem pater effectum senserit . Id autem in specie d. §. si maritus non esset , quia jam viri acquisitio effectum habuisset .

Verum adhuc gravis difficultas superest . Posset enim quis ultro nobis dare , in hac Ulpiani specie virum hereditatem donando uxori , nihil de re sua distractisse ; contenderet tamen hic neque ullam fuisse donationem ; itaut cum Ulp. actum illum donationem vocat , vel large loquendo , id fecisse ; vel omnino esse deceptum . Non enim ultra concepti potest donatio sine diminutione patrimonii ejus , qui donat : quod constat ex Pomponio in l. sed si vir , §. quod legatus , §. de donationibus inter virum . Verba Jurisconsulti ita habent : Quod legatus mihi , aut hereditatis nomine relicturus es , potes rogatus a me uxori meæ relinquere , & non videbitur ea esse donatio , quia nihil ex bonis meis diminuitur , in quo maxime majores donanti succurrisse Proculus ait . Hæc ille , ubi aperte Pomponius demonstrat non esse donationem viri in uxorem , si vir rogat testatorem ut hereditatem , quam sibi relinquere vult , relinquat uxori sue : & hoc non alia ratione , nisi quia vir patrimonium non diminuit . Quare ita prorsus in specie Ulpiani ; cum neque ibi viri res atteratur , non dicetur donasse , cum hereditatem , quam sibi quædere potest , permittit ut uxor acquirat .

Sed hoc nihil obstat : & adeo falsum est Pomponium Ulpiano repugnare , ut etiam palchre consentiant . Duæ enim ex Ulpiano distinguendæ sunt donationum species , ambæ veræ , sed harum una est inter conjuges prohibita , altera vulgo permitta . Prohibita est , cum vir donando patrimonium minuit : permitta , cum donando , non minuit . Hoc idem habet Pomponius ; non enim negat , cum uxor rogatu viri hereditatem viro relinquendam , sibi acquirit , esse donationem , sed negat solum esse donationem , quæ inter conjuges prohibetur . Et hoc spectat ratio , quam mox subdit , nimirum , majores tunc succurrisse viro donatori , cum res suas diminuit . Quare cum hic non diminuit , non est cur dicamus isto casu nullam esse eam conjugalem donationem . Et plane si Pomponius credidisset , in ea specie nullam omnino adeste donationem viri in uxorem , non tot verbis usus esset , sed tantum dixisset , uxorem recte sibi acquirere hereditatem , quia ibi nulla donatio est : nec fuisset opus addere , majores prohibuisse donationes , in quibus conjux patrimonium diminuit . Quare ex hac lege potius confirmatur opinio Ul-

Ulpiani, & nostra, tantum abest, ut labefactetur; ita ut jam alium habeamus ex Pomponio casum, in quo quis donat absque eo, quod alienet.

Quod probatur I. quia in hac specie hereditas adhuc viro quæsita non erat, cum repudiatur, ex eo quod hereditas quæsita repudiari non potest, siquidem repudiatio est earum solum rerum, quas in arbitrio nostro est acquirere, vel non. Jus vel est quæsitum, vel quærendum, vel solum delatum. Si Titius, qui me heredem pure instituit, est adhuc superstes, ejus hereditas est mihi quærenda: si jam e vivis abiit, erit delata: sed cum post Titii mortem hereditatem ejus adeo, tunc acquisita hereditas dicitur. His positis dicimus, primum hereditatem non esse Juris quærendi, cum repudiare sit idem ac dicere, nolle se eam acquirere; ejus autem est nolle cujus est velle, I. nolle, ff. de acquir. hered. I. qui potest, I. i. ff. de reg. juriss: quare cum in Jure quærendo dicere non possimus velle, constat neque posse nos dicere nolle, hoc est repudiare. Ita ergo vivi hereditas repudiari non potest, I. qui superstis, ff. cit. tit. ita etiam si testator fuerit mortuus, sed adhuc conditio institutioni apposita non extiterit: Secundo dicimus nec etiam Jus quæsitum recte repudiari; cum enim hereditas quæratur per aditionem, dicendo velle nos eam nostram fieri, non datur pœnitentiae locus, ut mox dicamus, nolle acquirere, jam voluntariè acquisivimus. Quare frustra repudiamus, quod nobis quod jam quæsitum est, I. suus heres, & I. sicut, C. de repud. hereditate. Tertio itaque supereft, ut dicamus, repudiationem solam locum habere in hereditate sibi nondum quæsita, sed jam delatam ut certe constat ex citatis Juribus. Itaque in specie nostra, cum maritus repudiatur hereditatem, nihil aliud agit, nisi ut dicat, ostendatve nolle se hereditatem acquirere, licet possit, si velit. Hinc est, quod hereditatis omissione, seu repudiatio non venit sub nomine alienationis, ut expressum dicitur in I. alienationis, §. i. ff. de verb. signif. & in I. qui autem, §. unde, ff. que in frædem creditorum. Ubi notandum, hoc Jus, quod ait hereditatem non delatam non recte repudiari, esse correctum ex constitutione Bonifacii in cap. quamvis pactum, de pactis in 6. quamvis enim Pragmatici vulgo distinguant inter renunciationem, & repudiationem, ut hæc Juris delati sit, illa Juris quæsiti; hæc tamen distinctio omnino commentitia est, ut constat ex d. l. sicut major, ubi hereditas quæsita disiit non posse renunciari, hoc est repudiari: quare omnino dicendum puto hæc in re Jus civile esse a Jure Pontificio correctum, vel saltem restrictum; ubi enim illud statuit hereditatem, quam delatam iri speramus, non posse repudiari, d. l. qui superstis, hoc voluit, id locum non habere, si repudiatio, sive renunciatio Jurejurando firmetur, d. cap. quamvis pactum.

II. Probatur manifeste ex ipso Ulpiano, qui cum probare velit, hanc mariti donationem validam esse, ait donationes conjugales tunc improbari, cum vir donans sit pauperior, uxor donataria ditior sit, secus enim

enim valet. Hoc autem non est in specie proposita, cum vir donando non evadat pauperior: neque enim (tubdit Jurisconsultus) pauperior sit qui non acquirat, sed qui de patrimonio suo deposituerit; hoc est vir, cum hereditatem sibi relictam repudiat, non suum patrimonium diminuit, coque nihil alienat, sed tantum id, quod acquirere poterat, omittit.

III. Patet, quia si ulla hic alienatio respectu viri comminisci posset, jam uxor ad hereditatem repudiatam veniet, tanquam ad bona viri Jure singulari. Quod est contra Ulpianum, dum asseverat uxorem hereditatem eam sibi acquirere Jure civili, vel quia testatori successura ab intestato, vel quia viro suo vulgariter ab eodem testatore substituta. Adeout hoc calu nulla actio in virum, sed omnis in uxorem competet.

IV. Quia si vir hic alienaret, utique dicendum est, eam hereditatem jam viro acquisitam; nam alienatio est rei nostrae, nostrique Juris in aliud translatio, seu cum res nostras alienas facimus: quare si heres ditas jam viri est, consequens omnino fit eam hereditatem jam esse aditam a viro, non enim alterius hereditatem, nisi adeundo, nobis acquirimus. Quod est contra Ulpianum, qui primo ait virum non acquisivisse, secundo eandem repudiassisse; & repudiatio est actus contrarius aditioni: siquidem adire est hereditatem velle, repudiare est eandem nolle. Manifestum itaque omnino est, donationem hanc a viro uxori factam, licet valida & vera donatio sit, non tamen esse alienationem, cum solum maritus uxori locum cedat, & permittat, ut ipsa sibi acquirat, quod vir exclusa uxore, acquirere potuisset, si ita ei fuisse libitum. Ceterum aliud est, si vir non repudiasset hereditatem, sed solum eam uxori sive donasset; quo casu hereditas prius adita censeretur a viro, & deinde uxori donata: nam aditio, quæ præcedere debet, occultatur; & facta donatio præcedentem aditionem supponit, ut patet ex *I. gerit, I. pro herede, §. servos, ff. de acq. hereditate, I. si avia, C. de Jure delib.* Hic vir patrimonium suum diminueret, alienaret, & fieret pauperior, adeoque donatio sibi constare non posset. Sed aliud est in specie Ulpiani, ubi, ut visum est, vir hereditatem non adit, nec adisse censemur, cum expressim eam repudiasset.

Hinc ergo probatum remanet, quod jam asseruimus, nimirum posse quem res suas alienare, etiam si alter non acquirat. Si enim hodie jam certi Juris est dominium, qui rem suam pro derelicto habet, statim dominium amittere, et si statim res alterius non fiat; consequens omnino fit, ut dicamus alienationem dupliciter fieri posse, vel per simplicem dominii & Juris desicionem, ut accidit in derelinquentे: vel per ejusdem translationem. Ratio autem, cur ita statutum sit, eam esse puto, quod sicut quis potest acquirere, absque eo quod alter alienet, ut accidit in occupatione: ita e diverso poterit quis alienare absque eo, quod alter acquirat. Omnia enim, quæ Jure acquiruntur, contrario Jure pereunt, *I. omnia, ff. de reg. Juris.*

His

His itaque positis, patet non recte ab aliquibus dictum esse, cum res pro derelicto habetur, transire dominium non in unum aliquem, sed in ipsam hominum communitatem, & proinde in eo casu esse simul alienationem, atque translationem. Id enim contrarium est Jurisconsultis, & Justiniano in locis allegatis, qui diserte ajunt eam rem nullius esse, nec fieri alterius, nisi per occupationem; & plane si dominum haberet, occupanti concedi non posset, siquidem occupatio vera solum est in rebus nullius. Aliter res publicæ, communes, Universitatis, etiam occupantibus concedi possent, quod absurdum esse, nemo est, qui non sentiat. Alia ratio est in Missilibus, in quibus voluntas domini in incertam personam collata transfert proprietatem, ut ait Imperator i. §. hoc amplius, *Instit. de rerum divis.* Hoc est in rebus, quæ pro derelictis habentur, qui derelinquit intendit solam amissionem dominii: at in Missilibus, qui mittit, intendit etiam dominii translationem, licet in personam incertam, ut clarius dicitur in *Lqua ratione*, §. item si quis, ff. de acq. rer. dom.

Verum hic duæ suboriuntur difficultates. Primo, si rei alienæ donatio non valet, ut docet Pomponius, consequens jam est, ut qui accipiat, justum titulum, seu justam possidendi causam non habeat: coque nec posse usucapere, cum usucapio absque titulo non permittatur: id autem est contra titulos ff. & C. pro donato, ubi de usucapienda re aliena donata agitur. Secundo si verum est rem alienam donari non posse, falsum est, quod supra retulimus ex Ulpiano in d. §. si sponsus, & ipso Pomponio in d. §. quod legaturus, ex quibus maritus uxori rem non suam donat.

Sed ut priori difficultati obviam eamus, distinguendum est inter rem prorsus alienam, & inter rem alienam quidem, sed in qua donator aliquid Juris habet, ut possessionem; nimirum si quis rem alienam bona fide possideat, eamque donet alteri: nam hoc casu valet donatio rei alienæ, quia aliquid in ea re habet donator, nempe Jus bonæ fidei possessoris, quod transit in donatarium, ex quo hic potest percipere fructus, & usucapere. Et de hac donatione rei agunt tit. pro donato in ff. & C. Quare recte notatum est a Theophilo, quod si per traditionem transferamus possessionem seu detentionem, id ad usucaptionem satis est. Itaque licet cum donamus rem alienam, minime dominium transcribatur, tamen transfertur possessio, in qua donationis titulus substituetur, & hæret. Si enim quis mihi petierit, cur possideam, respondum accipiet, quia dono eam rem habui.

Inquantum ad alterum dubium, distinguendum est inter rem prorsus alienam, & inter eam quæ potestate mea est, hæc est quam alio Jure possunus acquirere, si velimus; ut si mihi legata sit, vel jam sit mihi a domino leganda. Unde si ipsam acquirere recuso, ut rogatu meo, vel ope mea tua fiat, jam habes eam meo beneficio, & donatione. Quare hoc casu ideo mea non est, quia meam esse nolo, & tua

fit, quia tuam fieri volo: eoque non consideratur ac si esset prorsus aliena. Est tamen differentia inter donationem rei meæ, & rei potestate meæ; quod illam accipiens possidebit titulo donationis: hanc titulo legati, vel institutionis ab alio quopiam factæ. De hac donatione ergo loquuntur Jurisconsulti in d. ss. si sponsus, & quod legatus.

Secundo itaque Donatio respectu ejus, qui accepit, semper est acquisitio sive rei, sive Juris alicujus. Patet id tum per se, tum ex Pomponio in l. i. ad ibus, §. donari, ff. hoc tit. ubi res aliena, ideo donari non potest, quia ejus non fit, cui donatur.

Objicitur I. Si rei alienæ donatio non valet, consequens est ut qui accipit, justam possidendi causam non habeat, nec propterea possit capere usum, quod est contra tit. ff. & C. pro donato. Quare dicendum est valere, eoque posse donationem dari, in qua Donatarius nihil statim acquirat.

Huic difficultati obviam ire conatus est Accursius in d. §. donari, ubi distinguit inter donationem stricte, & large sumtam. Stricta donatione est, per quam rei dominium transfertur, & sic res aliena donari prohibetur; large ut etiam in rebus alienis donatio fieri possit, & locum habebit actio pro donato. Hæc responsio, ut ut tueri possit, tamen magis secundum Jurisconsultorum morem, & doctrinam erit, si distinxerimus inter actum. Verum, Invalidum, & Nullum. Verus actus est, qui in quantum ad rem tenet, & Juris effectus omnes habet. Nullus est, cum nullum Juris effectum producit, nec tenet, & propterea non facere, ac ita facere, perinde sit, l. ita autem, ff. de administrat. tutor. Et tandem actus invalidus dicitur, cum licet in quantum ad rem non teneat, fortitur tamen nonnullos Juris effectus. Patet id exemplo venditionis, in qua si nesciens rem sacram emerit, quamvis emtio frustra facta sit, proditur tamen mihi actio ex emto ad id quod interest, l. q. s. officii, §. si nesciens, ff. de contrabend. emt. Sed jam hæc ad rem nostram aptemus, si pater donat filio, quem in potestate habet, nulla donatione est, adeut filius nec usucapere possit, tanquam si nulla facta esset donatione, l. i. §. si pater, ff. pro donato. Cum vero extraneus quis a domino, quid dono accipit, vera donatione est, nimisrum valet, & omnes Juris effectus habet. At si qui donavit, dominus non est, tunc dicemus Invalidam donationem esse, cum res non fiat accipientis; at producere nonnullos effectus Juris, ut quod usucapere possit, titulo pro donato. Porro cum donatione a nobis definita est, intelligimus de vera donatione, quæ semper acquisitio est, d. §. donari.

Potest adhuc aliter huic difficultati obviamiri cum Theophilo in tit. de usucaptionibus, in princ. qui notat, si per traditionem transferimus possessionem, seu retentionem, id ad usucaptionem satis esse. Ita ergo licet cum donamus rem alienam, minime dominium transcribatur, tamen transfertur possessio, sive detentio, in qua donationis titulus sub-

substinetur, & haeret; si enim quis petierit, cur possideam, responsum accipiet, quia dono eam rem habui; quo etiam confirmatur id quod modo dicebamus donationem rei alienae, licet invalidam, non tamen esse omnino inutilem; transfert squidem detentionem, sive possessionem, ob quam usucapio poterit a nobis perfici, quod non est in donatione Partia ut dictum est.

Objicies II. Si donationis causa cum debitore meo paciscar, ne ante certum tempus ab eo petam; donatio vera est, & valet, d.l.in cedibus, in princ. ff. boc tit. l.contra Juris, §.finali, ff.de partis, l.si quis in obligat. ubi Glossa ff. de regut. Jur. adeout expresse docuerit Bartolus in l.sicutus, §.partus ne peteres, ff.de pet. Mulierem non posse pacisci cum viro, ne ab eo petat, quod sibi debet; quoniam haec donatio esset improba a S.C. quam sententiam sequuntur ibi Jason num.31. Zasius num.33. aliquique, & nihilominus nulla hic acquisitione facile intelligi potest, non juris petendi, quod semper apud creditorem est, non exercitii Juris hujus, quod licet desinat esse penes creditorem, non tamen migrat in reum.

Verum facite respondetur hic quasi traditionem intelligi oportere; ita ut flagatur debitor esse alienum mihi soluisse, cumque brevi manu iterum a me causa donationis accepisse, non quidem ut eo perpetuo fruamur, sed ad certum tempus, & proinde debitor ex hac donatione acquirit rei possessionem, omniaque commoda, quae possessorum sequuntur, ut patet.

An donatio quandoque sit modus acquirendi universalis.

CONTROVERSIA III.

Hec questio oritur ex donatione omnium bonorum. Quare in antecessum notandum est, quod etsi varie dubitatum sit, si bonorum omnium praesentium, futurorumque donatio iure subsistat, an secus; tamen apud omnes illud constat, donationem valere, cum quis omnia bona sua, hoc est praesentia tantum donet, Lpensuk. C.de donationib. Hinc ergo queritur, utrum donatarius iste loco successoris universalis haberi possit, & eo casu donatio modus acquirendi universalis sit? Id autem sive intelligatur de eo, qui tantum praesentia bona donavit, sive de eo, qui etiam futura, perinde est; utrobique enim eadem difficultas, eademque rationes locum habent.

Itaque ut omnia clara fiant, videndum est, quid inter sit inter utrumque acquirendi modum, Universalem, & Particularem. Tradit id Theophilus ad titulum per quas personas nobis acquiritur, in fine, ubi particularem acquisitionem esse docet, cum una res geritur,

& una res nobis acquiritur. Quod verissimum est: sive enim usucapio nem consideremus, sive legatum, sive aliam quamcumque acquisitionem particularem, una res geritur, & una species, vel una summa acquiritur. Quod si dicas, divenditis pluribus rebus, intelligi unam esse contractam venditionem, l. & si uno, l. si duorum, ff. de actionibus emti, l. cum ejusdem, ff. de adil. edito, l. cum plures, ff. de evictionib. respondendum est, c̄ntionem venditionem esse contractum, non modum acquirendi: ut propterea per ipsam non acquiratur res, sed Jus in personam: & sicuti per modum particularem una res acquiritur, ita per contractum una actio. Et decipiuntur quotquot Theophilum ita interpretantur, ut cum dixit unam rem acquiriri, intelligent unum Jus: decipiuntur ideo, quia per contractum solum acquiritur Jus, sive in personam, ut in c̄ntione venditione; sive in rem, ut in pignore, vel hypotheca; at per modos acquirendi queritur nobis res ipsa, seu Jus dominii in re. Quod si testator leget Jus, quod ipse habet, ut in nomen debitoris, tunc Juris illius dominium reliquisse intelligatur.

Et hinc pendet ratio, cur in legato annuo tot intelliguntur facta legata, quot sunt pr̄stationes & anni, l.4. ff. de annuis legatis, l. cum in annos, ff. quando dies legatorum cedat; cum enim legatum sit modus acquirendi particularis, scilicet unius rei, fit ut multiplicatis rebus, multiplicentur etiam legata; quare etiam si legaverim Stichum & Pamphilum, duo legata erunt, licet aliud sit si legaverim duos homines, aureos centum quae unum faciunt, & unam summam, l. si ex toto fundo, §. si ita legatum, ubi Gloss. verbo lecticarios, ff. de leg. 2. Gloss. eadem in l. scire debemus, §. si stipulatione, v. plura legata, ff. de verb. oblig. Hoc restringitur, si aliunde evidens fiat, testatorem pro oculis unicam summam habuisse, quam in annuas pensiones ideo divisit, quoniam legatario consultum, vel heredi prospectum voluit, ne urgeretur ad solutionem, l. Firmio, §. pater, l. nec semel, ff. quando dies legat.

Est tamen aliqua inter hos particulares modos differentia; nam in legato dominium ipso Jure transit in legatarium, l. a Titio, ff. de furtis, l. legatum ita, ff. de leg. 2. licet possessio non transcat, nisi res comprehendatur, l. i. ff. quor. legatorum. Non ita in donatione; ex qua nisi res donata apprehendatur, dominium in donatarium non transit, l. Seja, ff. de mortis causa donat. Atque de his modis, qui sunt extra causam ultimae voluntatis, intelligendum est, quod dicitur in l. traditionib. C. de paſtis.

Modus universalis ex eodem Theophilo est, cum una res quidem est, quae geritur, sed multa sub uno dominii nostri fiunt. Et recte non dixit omnia, sed multa; nam licet olim arrogato patrefamilias omnia quae ejus erant, exceptis iis, quae capitis diminutione pereunt, in eum transibant, qui adoptabat, l. si paternam. ff. de adoptionib. hodie tamen ex Justiniani constitutione adrogator in bonis adventitiis arrogati tantum usum fructus

ha-

habet ; ad similitudinem naturalium parentum , *I. cum oportet, C. de b*is, quæ liberis**. Ita etiam in hereditate , per quam omnia quidem defuncti Jura transeunt in heredem , sed non rerum possessio , quæ nisi naturaliter comprehensa sit , ad heredem non pertinet , *I. cum heredes, ff. de acq. post. I. i. §. Scævola, ff. si quis testamento liber*. Sed an heres acquirat omnia defuncti Jura dubitari potest : nam aliqua Jura excipiuntur a lege , ut quæ morte testatoris pereunt , veluti Jus agnationis , ususfructus , & cetera personalia , in quæ non succedit heres , *I. i. in fine, ff. de constitutionib. principum, I. ex plurib. ff. de admin. & periculo tui- torum, I. maritum, cura seq. ff. sol. matr. I. i. §. pen. ff. de aqua quotid.* Sed si dicas , intelligi de omnibus Juribus , quæ possunt acquiri , & quæ de uno in alterum migrant ; adhuc tamen falsum videri potest ; nam ex his aliqua excipiuntur a testatore : ut Jus dominii , quod in rebus pure legatis testator habebat , recta via a defuncto transit in legatarium , nec heredi acquiritur , *I. legatum ita 82. ff. de leg. 2. I. a Titio, ff. de furtis* . Quare licet ab intestato nonnunquam quando potest in codicillis legari , heres in omnia Jura defuncti , quæ acquiri possunt , succedat : ex testamento tamen aliquando non in omnia succedit , cum excipienda sint legatorum Jura : eoque recte Theophilus dixit , Multa . Neque enim recipiendum est , quod voluit Connarus *4. comment. Juris 9. nam. i. i.* nimirum heredem adeundo hereditatem aliquo modo eorum legatorum fieri dominum ; nam hoc falsum est , quoniam ideo dictum legata transire recta via in legatarium , ut cognoscamus numquam heredis personam attingere , ut perspicue in dictis Juribus habetur . Itaque in heredem non semper omnia defuncti Jura transeunt , sed tunc cum ita libitum fuerit testatori , hoc est , si nulla legata , saltem pura fecerit . Ideo illa definitio , est successio in universum Jus , non dicit semper , sed s^æpe ; ut in definitione legati , ille voces , Ab herede , & Praestanda ; nam in legato rei alienæ res datur , non tamen præstatur ab herede . Hoc , quod diximus de arrogatione & hereditate , etiam in bonorum possessione , & addictione locum habere facile patet . Dixit etiam Theophilus in modis universalibus multa acquiri sub uno , hoc est simul , & unico titulo : ita heres simul ac adit multa testatoris Jura adipiscitur solo hereditatis titulo.

His positis , videamus jam , utrum donationi bonorum omnium convenient conditiones modi universalis acquirendi , non vero particulares ? Et prima fronte posset quis colligere , esse universalem ; nam una res est , quæ geritur , & multa sunt quæ simul acquiruntur sub uno titulo , scilicet donationis : quare donatarius eo casu erit loco heredis.

Verum adversus hanc opinionem disputavit Antonius Faber *de- cad. 4. 8. err. 7.* cuius rationes au^ovincantur , quod ipse intendit , mox videbimus . Interim nos huic ejus opinioni adhærescimus , sed alia omnino via procedemus . Donationem itaque semper esse particularem acquirendi

di modum facile probatur , quia nusquam in Jure Justinianeo leguntur aliae acquisitiones universales , quam hereditas ex Jure civili , Bonorum possessio ex Jure Prætorio , Arrogatio ex moribus Populi Romani , & Ad-dictio Bonorum ex Rescripto D^rvi Marci . Donatio vero nonnisi inter acquirendi particulares modos recensetur , ut patet ex d. s. a. l. i. s. t. per quas personas nobis .

Probatur etiam evidentissime ex Juliano in *l. omnes debitores* , §. Lxx. cius , ff. que in fraudem creditorum , ubi omnium rerum donatarius non convenitur actione personali a creditoribus donatoris ; quod utique fieri posset , si universalis successor , & loco heredis esset : sed in eum agitur ex actione Pauliana , seu editio fraudatorio . Constat etiam ex *l. mulier bona* , ff. de Jure dotum , ubi maritus qui universalia bona uxoris in dotem accepit , conveniri a creditoribus uxoris , tanquam loco heredis , non potest . Ergo idem est , si res omnes donationis causa acciperit . Sed de harum legum interpretatione porro agemus .

Verum negamus in donatione omnium bonorum plures res simul acquiri . Hoc monstru instar apud aliquem habebit , tamen certissimis Juris rationibus nititur . Quoniam vero donatio fieri potest re , seu traditione , & verbis , seu stipulatione , & pacto , ideo hos omnes casus consideremus .

Primo ergo de traditione . Traditio Unitatis fieri non potest , sed solum rerum singularum ; tum quia universitas est nomen Juris quid incorporale significans , quod neque tangi , neque tradi potest , ut propterea traditio solum rerum singularum sit ; tum etiam quia traditio computatur inter particulares acquirendi modos , §. per traditionem , Institut. de rerum dir. ff. Quare licet quis omnes res suas tradat , non tamen unica traditio est , sed tot factæ traditiones intelliguntur , quot res ipsæ sunt . Patet itaque unam rem geri , & unam rem acquiri , non item plures ; quare tamen non erit universalis acquirendi modus . Ceterum aliquando in Jure nostro plures res pro una considerantur , cum non ita Stricte hac in re procedendum sit . Sunt enim apud Jurisconsultum tria corporum genera . Primum dicitur continuum , eorum nempe , quæ uno spiritu constare dicuntur , ut homo , equus , tignum . Alterum concretum , quod constat ex partibus cohaerentibus , ut ædificium , navis , armarium . Ultimum est de junctum constans ex distantibus partibus , ut grex , armentum , legio , populus , mille aurei , l. rerum mixta , ff. de usurpationibus , Seneca lib. 7. epist. 103. Hinc ergo licet tot sint stipulationes , quot res , tamen familiæ , vel omnium servorum stipulatio una est . Item quadrigæ aut lexicariorum , l. scire debemus , §. 1. & 2. ff. de verbis oblig . Item prorsus , quod in stipulatione , intelligendum est de traditione seu donatione , quæ per eam fit .

Sed si secundo Donatio omnium bonorum fiat per stipulationem , Donatarius non solum non acquirit res multas Donatoris , sed nullam om-

omnino rem ; siquidem stipulatio est contractus , per quem rerum dominium non acquirimus , sed solum actionem condicitiam adversus eum , qui promisit dare , vel facere , ut jam supra in prima controversia explanatum est . Itaque neque hoc casu donatio erit modus universalis , ad quem constituendum Theophilus requirit , ut res multæ acquirantur , non unica personalis actio . Idem est si haec donatio interponatur pacto nudo , vel etiam pollicitatione , quod fieri posse statuit Justinianus in *b. si quis argentum, f. penalt. C. de donat.*

Verum licet in hoc casu traditio etiam rerum singularum sit ; quoniam tamen præcessit conventio de universitate , non de rebus singularis , cuius gratia traditio deinde fit , ideo una , non plures donationes factæ intelliguntur ; tamen quia res sigillatim mox traduntur , ideo pro quavis vice singularum etiam rerum dominium acquirimus .

Sed age videamus , quomodo ab Antonio Fabro arguatur , quod licet in donationem veniat universitas bonorum , non tamen inde fieri , ut donationis titulus videri debeat universalis . Dicit patere id exemplo hereditatis venditæ , quæ quamvis tota vendatur , non tamen ideo emtor habetur loco heredis , sed eam omnino possidet titulus singulari , ob idque nec creditoribus hereditariis tenetur , quamvis ea lege contraxerit , ut iis satisfaciat *l.2. C. de hered. vendit.* Ergo ita quoque in omnium bonorum donatione .

Verum hoc tanti viri argumentum vitio laborat ; quandoquidem emtor hereditatis non possidet ea bona , uti hereditatem , & universam substantiam defuncti , sed uti partem patrimonii ejus , qui illam divendit . nempe quoniam ea hereditas , quæ venditur , jam adita , & acquisita fuit a venditore , ideo amplius hereditas non est , sed conversa intelligitur in patrimonium venditoris . Unde ante additionem , qui res hereditarias subterabit , tenetur non actione furti , sed criminis expilata hereditatis : se-*cus si jam adita sit, l. hereditariae, ff. de furtis.* Hinc duo colliguntur : primo , emtorem hunc non posse conveniri a creditoribus defuncti ; quia ipsius heres non est . Secundo nec etiam haberi loco heredis debere respectu venditoris , cuius non omnia bona emit , sed solum hereditatem illi obventam . Nullo modo itaque recte ab emtore partis bonorum argumentum ducit ad donatarium bonorum omnium ; non enim quod ille loco heredis non sit , statim sequitur ; neque hunc loco heredis habendum esse .

Verum id notandum , aliud Jus locum habere si vendatur hereditas , ac si donetur . Qui emit hereditatem non tenetur neque excipere actiones hereditarias , neque creditoribus victoribus facere satis , nisi fiscus sit , qui vendiderit , *l.1. C. de hereditate vendita.* Excipere actiones , est se liti offerre , eamque suis impensis persequi ; litem , inquam , a creditoribus hereditariis motam . Facere satis est solvere creditoribus , qui in lite obtineant . Hoc adeo verum est , quod si emtor tantum ad faciendum

ciendum satis se obligavit, non possit mox cogi actiones hereditarias excipere; cum plurimum inter utrumque intersit. Quare actiones excipere debet heres venditor, qui si lite dijudicata damnatus fuerit, tunc emtor, qui facere satis promisit, solvere cogetur. Atque ita intelligenda est d.l.z. C. de hered. vendit. quam pessime interpretatus est Ant. Fab. cum ait, emtorem hereditatis non teneri creditoribus hereditariis facere satis, quoniam hac lege contraxerit; quippe non vidit, quantum intersit, inter excipere actionem, & facere satis. Secus est in donatione, nam hereditate donata, qui eam accipit, per actionem præscriptis verbis cogitur donatorem adversus creditores defendere, hoc est actiones excipere: & si lis adversus heredem dijudicetur, ipse etiam donatarius faciet satis, l. hereditate, ff. hoc tit. Ideo autem datur actio præscriptis verbis, quoniam quotiescumque de nomine alicujus contractus ambigitur, convenit tamen ex eo aliquam actionem dari, ad actionem præscriptis verbis recurritur, l. i. ff. de estimatoria, l. i. cum duab. seqq. ff. de præscript. verbis. Distant ergo donatio hereditatis, & venditio. Ratio disparitatis quæ sit, queritur. Et nos dicimus rationem pendere ex eo quod donator suæ liberalitatis pœnam pati non debet, l. ad res donatas, ff. de ædil. editio; ubi si res ab eo, cui donata est, melior facta sit, & mox quia viciosa vel morbida reperta est, velit donatorem redhibere; non potest donator quanti ejus interest, qui meliorem fecit, conveniri; ne liberalitatis suæ donator pœnam patiatur. Hinc cum inquietatur a creditoribus hereditatis donata, debet defendi, Hæc æquitas locum in venditione non habet.

Verum queritur, cur adversus donatarium in nostra l. hereditatem datur actio præscriptis verbis, quæ actio non nascitur, nisi ex contractu, d.l.i. ff. de estimatoria, & tamen donatio simplex contractus non est? Respondet Giph. ibi num 4. in ea lege conventum esse, ut donatarius faceret creditoribus satis; & hujus conventionis ratione donatio contractus est, l. Aristo, ff. hoc tit. Verum Giph. divinat, cum nusquam conventionis ullius mentio in ea lege compareat. Dicendum itaque est, legem ipsam ex bono & aequo, ne donatarius gravaretur ex sua munificencia, fingere de hac re esse inter ipsos conventum; licet re vera non convenerit, sed simpliciter donatum sit. Est itaque non tam contractus, quam quasi contractus: & ex hoc descendit actio præscriptis verbis.

Sed hæc Fabri conciliatio omnino nulla est. Quamvis enim verum sit æs alienum universum patrimonium minuere; tamen misere Faber decipitur, cum putat donato per stipulationem patrimonio, universitatem in donatarium transcribi; etenim vel hæc translatio fit statim interposita stipulatione, & falsum est, quia verborum contractu nulla pars patrimonii in stipulatorem transfertur, cum huic tantum unica personalis actio acquiratur. Vel fit translatio, cum mox rerum promissarum traditio fit, & falsum etiam est, ipso Fabro teste, dum notat traditionem.

nem esse rerum singularum. Deinde si facta per stipulationem donatione universitas cum ipso ære alieno transferretur, utique jam ea donatio modus acquirendi universalis esset, quod est absurdum; cum plane constet, æs alienum non nisi ad universalem successorem pertinere, ut patet in hereditate, bonorum addictione, & id genus reliquis universalibus modis: at vero Paulus in d. l. mulier negat maritum loco heredis habendum esse. Tandem ratio Juliani in d. §. *Lucius*, non pendet nisi ex hoc, quod patronus animum fraudandi habuit: quare in specie exigit, ut sciverit, se creditores habere, & eo non obstante universas res tradiderit.

Pro solutione itaque dicimus, non de eadem specie queri ab utroque Jurisconsulto in dd. II. Etenim in d. §. *Lucius* ea questio tractatur a Juliano, num qui creditores habere se scit, & ad unam omnes res tradendo alienat, intelligatur fraudandorum creditorum consilium habuisse? Ratio dubitandi erat, quia fraus in dubio non presumitur, *I. quoties*, §. *qui dolo*, ff. *de probationib.* Respondet tamen Julianus hic ex conjecturis satis ipsam fraudem colligi, nimirum tum ex alienatione omnium rerum, tum ex scientia, quod creditores habeat. Constat autem fraudem recte ex conjecturis desumi, ut late Bartolus, & reliqui in *I. post contraetum*, ff. *boc tit.* Fraus consilii, & fraus re ipsa in mente est dolus, in re est damnum, *I. 7. §. sed si frans*, ff. *de pactis.* Utraque ad edictum Fraudatorum exigitur, *I. ait Praetor*, §. *ita demum*, ff. *qua in fraudem creditorum.* Hinc fit, ut ipse patronus alienans jam duplici actione teneatur suis creditoribus, primo actione personali orta ex contraetu, altera actione in factum, orta ex edicto fraudatorio. Cum sit donatio, non requiritur, nisi fraus donantis, *I. quod autem*, §. *simili modo dicimus*, ff. *qua in fraud. cred.* Ut scilicet sibi a libertis æs alienum restituere faciat: ipse inquam patronus, vel heres ipsius, eo mortuo, ut in d. §. *Lucius*, juncta *I. bac in factum*, ff. *qua in fraudem creditorum*: immo etiam ipsi liberti conveniri potuerunt, ut restituerent, ut in *cod. tit. I. i.* At vero quereretur a Paulo, utrum mulier, qua in quantum ad rem gestam, omne suum patrimonium viro in dotem tradiderat: sed in quantum ad verba dixerat: se omnia sua bona dare. Quod non est in specie Juliani, penes quem solum rerum omnium traditio libertis facta intervenerat. Quare hic quæsitus est de fraude; cum etiam æs alienum traditum sit: quæ questio apud Paulum cessat ex eo, quod uxor dixerat bona in dotem concedere; & certum est appellatione bonorum non comprehendi æs alienum, *I. 2. §. illud*, ff. *de coll. bonor.* *I. non possunt*, ff. *de Jure fisci*: quare si æs alienum non concessit, queri creditores de fraude non possunt. Verum quia mulier res universas, non deducto ære alieno, tradiderat viro suo, quæsitus est, qua via succurri creditoribus debeat; num scilicet agi adversus virum, tanquam loco heredis, posset; & id negat Paulus, qui ait posse solum agere contra mulierem, ut æs alienum, quod in

dotem non dedit esse intelligitur, a viro repetat, sibi que faciat satis. Quod si objicies: Julianus etiamsi prius dicat patronum omnes res suas libertis dedit; tamen mox subdit universa bona. Respondetur ibi bonorum nomen accipi non naturaliter sed civiliter, prout etiam *ex* alienum containeret, ut in *I. bonorum*, *ff. de verb. signif.* & *toto tit. de bonor. possessionib.*

Hinc potest resolvi & alia quæstio, Donatarius omnium bonorum utrum teneatur facere satis creditoribus donatoris: in qua illud certum est, quod si res donatae pro ære alieno hypothecatae sint, posse creditores agere, & experiri in res ipsas utili pignoratitia actione Serviana, *I. æris alieni*, *C. hoc tit.* quæ cum sit actio in rem, præstatur contra quemcumque possessorem, quæ non solum datur contra colonum, & iniquilinum, sed pro re quacunque pignori subjecta; proinde legatarius experitur utili Serviana, *I. I. §. rectius*, *C. comm. de legat.* *DD. in I. cum filius*, *§. variis*, *ff. de leg. 2.* a quo nudam possessionem rerum pignoratarum avocat, cum hujus pignoris dominium adhuc esse dicatur penes debitorem, *I. si cum venditor*, *in princip. ff. de eviction.* *I. I. §. cum prædium*, *ff. de pignorib.* Si autem fuerint creditores personales, tunc si ea lege donatum est, ut donatarius creditoribus donantis solvat, & eo casu creditores adhuc adversus donantem debitorem agent, ita tamen, ut donatarius ipsis satisfacere cogatur, ut in *I. cum res*, *C. hoc tit.* Tandem si nihil inter donantem & donatarium conventum sit, tunc est controversia contra quem creditores personales seu chirographarii actionem dirigere queant.

Et Gloss. duas respunctiones proponit in *d. I. æris alieni*. Una est contra donatarium agi non posse, quod cum eo creditores non contraxerint, sed adversus donantem vel heredem ipsius dari actionem, quasi aliud in donationem non venerit, nisi quod superest deductio ære alieno; itaut qui mille debet, & tria millia donat, duo millia tantum donasse intelligatur. Itaque creditores agent condicitionia contra donatorem, ut ea mille a donatario repeatat, ipsisque præstet. Probatur id ex *I. mulier bona*, *ff. de Jur. dot.* ubi mulier bona sua omnia in dotem viro dederat; quæsitum est, an maritus quasi heres creditoribus hereditariis suæ uxoris respondere tenetur? & respondet Paulus non teneri; cum non sit quasi heres, sed quidquid possidet titulo singulari dotis habeat. Verum quia non plus est in promissione bonorum, quam quod superest deductio ære alieno; ideo creditores dirigere gressus suos poterunt contra ipsam mulierem, vel heredem ipsius, ut repeatat a viro, quod in dotem non dedit censetur, idque ipsis restuat. Hoc etiam in donatione bonorum omnium locum habere nulli dubium esse potest, si rationes decidendi attendamus. Prima est maritum non posse conveniri, quia quasi heres non est. Secundo ideo in uxorem agi, quod bona, quæ dotis nomine tradidit, intelliguntur deductio ære alieno. Utique harum rationum cum donatione hac recte conveant, cum donatarius bonorum omnium loco heredis non

non sit, & bona dicantur donata, non etiam æs alienum, in quo plane donatio non cadit; cum ideo dicatur æs alienum, quod non sit in bonis ejus, qui debet, sed illius cui debetur, *I.cedere diem*, §.i. ff. de verb. signif. Altera responsio est, posse creditores contra donatantem ad revo- cationem agere ex edicto, quæ in fraudem creditorum, quasi donatio facta sit in fraudem, utpote quæ ex bonorum omnium alienatione induci solet. Patet id ex *Lomnes debitores*, §.Lucius, ff. quæ in fraudem creditorum, ubi qui scit se creditores habere, & universas res suas li- bertis tradidit, intelligitur in dubio habuisse consilium fraudandorum creditorum; ideoque patronum, ipsiusque heredes actione ista teneri. Sequuntur id Baldus, Angelus, Cynus, & Salycetus in *d.læris alieni*.

Quæ harum responsionum vera sit, non cuivis discernere obvium est, cum videantur omnino pugnare inter se dictæ leges. Antonius Fa- ber *decad.48. err.7. num.8.* concordat distinguendo inter donationem, quæ traditione fit, & eam, quæ stipulatione, vel aliter verbis, & con- ventione interponitur; si enim celebretur traditione, tunc quia tradi- tio non est universalitatis, sed rerum singularum, ideo licet universæ tradantur, nihil tamen est, unde æs alienum deduci possit, quod scili- cet non singulas res afficit, sed universalitatem ipsam patrimonii, & con- sequenter ex universalitate ipsa, non ex rebus singulis deducendum esset, *I.si fideicommissum*, §.tractatam, ff. de judic. Quare eo casu res om- nino omnes videntur date, nullo inde ære alieno deducto, quare in frau- dem creditorum est, quibus consulitur, ut edicto Prætoris agant, cum aliter ipsis prospectum esse non possit; atque ita procedit textus in *d.lomnes*, §.Lucius: ubi signanter dictum est, *universas res suas tradi- dit*, ut intelligamus id non procedere in quacunque donatione, sed in ea solum, quæ traditione fit. Quod si donatio rerum omnium per sti- pulationem, aliamque conventionem fuerit interposita, universalitas ipsa donata intelligitur, & æs alienum universalitatem afficit, ideo id tantum censetur donatum, quod superest ære alieno deducto. Hinc in fraudem creditorum facta non est. Quid enim dici potest, factum in fraudem creditorum per donationem bonorum omnium, si æs alienum ante omnia deducendum est, & a donatione excipieandum? Quare hoc casu nulla manet actio, nisi contra donatorem ipsum, ut intelligendus est textus in *d.l.mulier bona*.

Probatur hinc quomodo capiendum sit rescriptum D.Pii, quo do- natores ne egere cogantur, non in plus tenentur, quam in quantum facere possunt, deducto etiam ære alieno. Id enim non procedit in ea donatione, quæ per traditionem fit; sed in ea, quæ per stipulationem, ut constat ex *I.qui ex donatione*, ff. boc tit. ibi: Qui ex donatione se obli- gavit; siquidem in donatione, quæ verbis fit, solum nascitur obligatio. In hac excipit donator æs alienum.

Quod autem decisum refert Guidon Papa quæst. 105. nimirum, quod
Y y 2 si

Si donator sit non solvendo , vel eo defuncto nullum heredem inveneriat ; tunc in subsidium recte a creditoribus experiri posse condicitionia adversus donatarium bonorum omnium ; id omnino stultum est . Nam tunc aliquid in subsidium dari dicitur , cum alia via consuli non potest , quod utique in casu nostro non est , cum semper creditoribus liceat alterutrum , hoc est vel ex edicto fraudatorio revocatoriam proponere ex §. *Lacrius* , vel agere adversus donatorem , ipsiusque heredem , actione scriptis verbis ex *d.l. mulier bona* . Quod si heredem non habeat , curator dandus hereditati est , qui conveniatur . Alii dicunt hoc non fieri in subsidium , sed ex benignitate ad evitandum circuitum , ut dixit Gulielmus de Benedictis in *cap. Raynulius* , *verb. cetera* , *num. 46. de testam.* & Boerius *dec. 201.* Sed non minus falluntur , cum actiones personales non transcent , nisi adversus universalem successorem , & qui loco heredis sit : quod non est de omnium bonorum donatario . Hæc pro recte percipienda donationis substantia dicta sint satis .

De Divisione Donationum .

C A P . II.

Consensu nostrorum opinio est , donationem in duas tantum species partiri , Propriam , & Impropiam . Illam putant etiam in Jure nostro nuncupari veram , & absolutam donationem , imo etiam directam , & meram ; sicuti e contrario hanc aliam non directam , non veram , neque absolutam , & non meram . Sed Interpretes omnes hac in re maximopere hallucinari credimus , ut in progressu palam fiet . Interim dicimus I. Donationem dividi , ut una sit mera , altera non mera . II. Meram distingui in Propriam , & Impropiam . III. Non Meret duas etiam partes esse , cum alia sit ob rem , alia ob causam . Et quamvis hoc nimis involutum videatur , conabimur tamen distincte & dilucide , ut fieri poterit , explanare atque probare .

I. Itaque dicimus . Omnino ad donationem opus est , ut fiat ex causa liberalitatis . Verum si quis donando non alia causa movetur , quam ut liberalitatem & munificentiam exerceat , hoc casu donatio dicitur facta ex sola , & mera liberalitate , ut si simpliciter dictum fuerit , Dono tibi mille ; cum enim causa donationis expresse dicta non est , alia non esse censetur , quam liberalitas , ut recte animadversum est ab Henrico Bocero in hoc tract . *cap. 13. num. 11.* Sed si quis donet causa expressa , ut si donem Preceptor meo , quod me scientia , & diligentia meliorem reddidit ; hæc diserte non mera donatio dicitur a Papiniano in *l. Aquilius* , *ff. hoc tit.* Hoc ideo , quia donatio hæc dupli causa facta dicitur , una expressa , altera tacita . Tacita causa est liberalitas , quæ inde colligitur , quod dixerim me donare . Donatio autem a liberalitate sejungi non

non potest. Altera causa est expressa, nimurum, quia me reddidit me- liorem; quoniam ergo hoc casu non donatur ex sola, & mera liberali- tatis causa; ideo hæc donatio dicitur a Papamato non mera, ut ibidem patet.

II. Mera donatio dividitur in Propriam, & Impropiam, nam ad harum utramque requirit Julianus in *l. i. f. hoc tit.* ut propter nullam aliam causam fiant, quam ut liberalitas & munificentia exerceatur: ergo utraque harum mera donatio est, sed ut hæc omnia clare pateant, age pro- ponamus utriusque definitiones,

Donatio propria ex *d.l.i. in princ.* est rei datio ea mente, ut statim accipientis fiat, & nullo casu ad donantem revertatur, & propter nullam aliam causam fiat, quam ut liberalitas, & munificentia exerceatur. Explanatur definitio.

Dicitur, Ut statim fiat accipientis; hæc enim est prima nota, qua propria donatio secernitur a non propria. Quare si Titio donatum est, ut tunc demum ipsius fiat, cum quid secutum fuerit, hoc est sub condi- tione actum suspendente, Impropria donatio est, ut in *d.l.i. §.dat ali- quis.*

Dicitur, Et nullo casu restituatur; eaque fuit solemnis Athenien- fibus Pueris Cantilena: Recte datorum repetitio nulla est, ut notat Plato in *Phil.* Quare ab ejus discipulo Aristotele *4. topicor.* Donatio definitur; datio ea mente facta, ut nunquam recipiatur. Hæc tamen definitionis verba, licet Juliani sint, videntur tamen esse expungenda, propterea quod ea ideo Jurisconsultus apposuit, quod suo tempore (vixit enim sub Adriano Imperatore, qui moritur anno Christi 139.) Donatio semel perfecta nunquam ulla de causa revocari poterat: quod tamen postea sublatum est; siquidem Imperator Philippus anno Christi 146. donationem in officiolum rumpi voluit, *l.i. C.de inoff.donat.* & bien- nio post, donationem in libertum collatam revocare patrono permisit actione ingrati, *l.i. C.de revoc.donat.* quod postea ad alios omnes per sequentes Imperatores extensum est; & tandem anno Christi 335. Con- stantinus donationem liberto factam ob filios, qui mox patrono nascan- tur, revocari posse scriptis in *l.si unquam, C. cit. tit.* Quare Jam hodie Juliani dispositio amplius non vigere videtur; & propterea ea verba de- lenda sunt, vel saltem restringenda, ut fecit Justinianus, qui in *§.ali& autem, hoc titulo* ait: Donationem semel perfectam temere revocari non posse, hoc est revocari quidem, sed non nisi ex causa legibus cognita.

Nihilominus quia Tribonianus Juliani verba intacta nobis reliquit, ideo nos ea retinebimus, sed commoda interpretatione juvabimus. Di- co itaque Jurisconsultum, & Imperatorem recte locutos esse; ita tamen ut Justinianus respexerit ad rem, Jurisconsultus ad animum. Quando- quidem donatio eo animo facienda est, ut nullo casu revoceatur. Res ta- men fert, ut quandoque revocari queat, quod non temere fit. Hinc est quod

quod si quis ea mente dat , ut statim quidem fiat accipientis , si tamen aliquid factum fuerit, aut non fuerit, velit id ad se reverti, hæc donatio eo facta animo, ut sub conditione resolvatur, propria donatio non est, d.l.i. §.dat aliquis, ubi animus consideratur, qui est aliquid casu revocandi, sique animus eam reddit impropriam; adeoque si mox ob defectum, vel implementum conditionis , revocari non contingat , non propterea fiet propria , ut est in donatione causa mortis.

Dicitur tandem , Propter nullam aliam causam , nisi ut liberalitas exerceatur; ad hoc ut demonstretur donationem propriam computandam esse inter donationes meras , quæ plane ob solam liberalitatem fiunt , nea aliam causam habent admixtam.

Quæ vero sit definitio donationis impropriæ, non traditur expressim a Juliano in d.l.i. tamen qua ratione definiri possit , satis superque indicat ; nam in duobus tantum casibus dicit donationem esse impropriam; primo cum sit sub conditione suspensiva , secundo cum celebratur sub conditione resolutiva , qualem , ait , esse donationem causa mortis factam; nunquam vero dixit impropriam etiam donationem esse , si sit ob aliam causam præter liberalitatem, ut ibi clarissime patet. Quapropter dicendum est , ad hanc etiam impropriam donationem requiri meram liberalitatem , & per consequens ipsam etiam meram esse . Definitio ergo ita se habebit . Donatio impropria est , rei datio ea mente , vel ut non statim fiat accipientis , vel ut aliquo casu revocetur , facta tamen ob solam causam exercendæ liberalitatis .

Patet itaque falli DD. cum putant donationem meram eandem esse cum propria , quod fallsum est ; quia ad donationem meram hoc solum requiritur , ut ex mera causa liberalitatis fiat , ut patet ex d.l. Aquilius . Cum ad donationem propriam præter liberalitatem , due adhuc aliæ conditiones exigantur , ut statim transferat dominium , & nullo casu revocetur, d.l.i. in princ.

Patet II. falli , cum credunt donationem propriam solum esse meram donationem, cum jam probatum sit , etiam impropriam fieri ex sola liberalitatis causa , eoque ipsam etiam meram esse , & dici oportere.

Ex modo dicitis facile constare potest , quænam sit absoluta donatione ; nam a Papiniano in l. Seja , §. ult. ff. de mortis causa donat. ejus donatio , qui dedit sine conditione resolutiva , dicitur absoluta , & contradistinguitur a donatione mortis causa ; & a Paulo in l. Senatus , §. i. ff. cit. tit. Donatio , quæ ita perficitur , ut nullo casu revocetur , appellatur vera & absoluta , eodemque modo se jungitur a donatione causa mortis ; quare constat absolutam , sive veram & absolutam donationem, eandem esse , ac propriam.

Constat etiam potest , quæ sit donatio directa , de qua habetur in l. 2. C. boc tit. ubi male Accurs. intelligit esse eam donationem , quæ sit inter vivos , quæque propria , & impropria esse potest , imo etiam non

non mera ; & nihilominus in ea *l.* donatio directa non solum disjungitur a mortis causa donatione, sed etiam a donatione conditionali suspensiva, & in diem ; quæ duæ etiam inter vivos sunt. Male vero Jacob. Gothofr. ad *l.* i *C. Th.* hoc tit. ait esse, ubi in præsens res donata traditur, cum etiam in donatione causa mortis res in præsens tradatur. Nos itaque dicimus, donationem directam non esse diversam a propria, idque factum esse ad imitationem Græcorum ; siquidem apud Platonem *Resta donatio ea est*, quæ ita fit, ut nunquam revocetur, quo signo certe Plato propriam donationem indicavit ; sicut etiam fecit Aristoteles, qui donationem (de propria intelligens) *donationem irrevocabilem esse* dixit. Probatur id ulterius apertissime ex eadem *l. 25.* ubi donatio directa disjungitur a donatione mortis causa, conditionali suspensiva, & in diem, quæ tres omnes sunt impropriæ donationes : ergo illa prior eadom erit ac propria. Mentio etiam in ea *l.* habetur de donatione velata alterius contractus nomine : sed hæc quænam sit, capite sequenti planum faciemus ..

Ceterum ad nostrum institutum revertamus. Itaque Donatio in duobus casibus impropria dicitur, cum sit sub conditione resolutiva, vel sub suspensiva. De singulis nonnihil dicemus ..

Donationis sub conditione resolutiva duo exempla præstat Jurisconsultus in *d. l. 1. §. dat aliquis*. Primum est donatio mortis causa. In hac enim semper tacite conditio resolutiva intelligitur, utpote quæ tribus casibus revocatur. Primus est si donatorem pœnitentem donationis ; alter si donator supervixerit periculo, ob quod donavit ; & tandem si donarius antevertat mortem donantis, *Donellus lib. 14. comment. Jur. cap. 35.* Verum objici Jurisconsulto posset, mancum ipsum esse, cum hæc donatio etiam ex altero capite impropria debet censeri, quia nimis non semper statim dominium transfert, puta si dictum fuerit, si quod humanitus in bac navigatione contingere, dono tibi ; tunc quia donatio conditionalis est, dominium non statim transfert, sed tunc demum cum qui donat, navigando obierit, *l. Julianus, ff. de mort. causa donat.* Itaque dicendum erit donationem hanc duplici ex capite impropriam esse posse, vel quia conditionalis, vel quia pura sub conditione resolvente, & non tantum ex hoc ultimo, ut factum a Juliano est. Ceterum responderi posset, id ideo fecisse, quod ejus donationis natura, non item accidentia in consideratione habuit. Etenim si donatio ita fiat, ut statim transferat dominium, vel non statim ; id cum possit fieri, & non fieri, accidens dicitur : at vero cum sit omni casu revocabilis, hæc ejus natura est. Itaque licet verum sit, si consideremus hujus donationis accidentia, posse impropriam dici ob aliud caput præter illud, quod notandum est a Jurisconsulto, tamen secus est, si attendamus naturam ..

II. Exemplum est in donationibus inter sponsos, & contemplatione matrimonii factis, quæ interdum revocantur, & impropriæ sunt, inter-

interdum non, & sunt propriæ. Revocantur quidem, si ea mente sunt factæ, ut nuptiis non secutis iterum recipientur, quod nominatim exprimentum est, ut revocatio detur, d. l. i. in fine, & l. 2. C. de donationibus ante nuptias. Non revocantur vero, si simpliciter fuerint factæ, sive non ea mente, ut restituantur nuptiis non sequutis, l. si filia cum duab. seqq. C. cit. nisi is, vel ea, cui facta est donatio, impedimento fuerit nuptiis: hoc enim casu revocari potest etiam simpliciter facta donatione sponsalitia; cum per donantem non stet, quin nuptiæ adimpleantur, & impedimentum omne ex donatario procedat, l. cum Veterum, C. cit. Giph. in nostra l. nu.6.

Illud posset aliquem in admirationem trahere, cur Julianus mentionem nullam fecerit de donatione in diem, sive ad tempus; puta dono tibi ad quinquennium, quod est tempus certum, vel usque ad mortem tuam, sive quandiu vives, quod est incertum: hæc enim etiam impropria est; quia tempore quinquennii transacto, vel morte sequuta, resolvitur.

Sed sciendum est, olim tempore Juliani donationem ad tempus fieri non potuisse, sicuti neque legata, & fideicomissa temporalia, ut nec contractus, l. ult. C. de legat. Ideo scilicet quia tempus non est modus neque obligationis inducendæ, aut tollendæ, l. obligationum, §. placet, ff. de obligat. & action. neque etiam dominii acquirendi, vel tollendi, nisi accedente lege, ut in usucapione; quia dominium, & obligatio sunt Juris, & tempus est facti. Itaque cum donabam tibi mille ad biennium, tempus pro non adscripto habebatur, & mille tibi perpetuo Jure quaesita erant, ut etiam contigebat in stipulatione, §. si ita, de verbis. obligat. Et hinc est, quod toto jure antiquo nulla unquam mentio fiat temporalis donationis. Id tamen postea correctum est d. l. finali, nimirum a Diocletiano, & Maximiano in l. 2. C. de donat. que sub modo.

Verum Giphanius ibi num.4. & seqq. putat l. illam Diocletiani interpolatam esse a Triboniano; quod probat ex eo, quia donatio in ea l. proposita, hoc est dorno tibi donec vixeris, non proprie, sive expressim, & nominatim refertur ad tempus, sed modus tantum ei adjactus continet tempus, ipsa donatio est pura, sive sine tempore, ut propterea valida fuerit etiam Jure antiquo. Probat id exemplo legati, quod ad tempus expressum olim non valuit, d. l. ult. C. de legatis, sed cum modo fideicomissi tempus continentem valuit. Ut lego tibi prædium tale usque ad annum, non valebat; sed ita, lego ut post annum id restituas! Sempronio, vel etiam post mortem tuam, semper valuit, l. filius. §. 3. ff. de legat. 1. Ita ergo donatio illa in lege Diocletiani non valet ex eo, quod Jure novo fieri potest ad tempus, sed Jure veteri, quod tempus indirecte additum sit; nam multa directo, & expresse fieri non possunt, quæ tamen tacite, & per consequentiam conceduntur, l. nonnunquam, ff. de condit. & demonstrat.

Sed

Sed mirum est Giphanium non intelligere , quid sit donationem fieri ad tempus ; quod aliud non est , nisi donationem olim ita concipi non potuisse , ut transacto certo tempore resloveretur , hoc est iterum ad donantem rediret . Id enim est resolvi , & haec plane resolutio valide non apponebatur , quia tempus non est inter modos dominii tollendi , itaut in hac donatione Diocletiana , dono , donec vixeris , si Jus antiquum attendamus , tempus pro non adscripto haberetur , quia donationem resolvit , reique donatae dominium ad donantem iterum revocat . Cum vero donationi modus apponebatur , veluti dono tibi Stichum , ut post quinquevnum manumittas , tunc alia ratio omnino erat , & donatione haec semper valuit , & modus servandus erat , ut patet ex *I. Ariso* , ff. *boc tit.* quandoquidem pura , & irrevocabilis donatio est ; quoniam transacto quinquennio donatio non redit ad eum , qui tradidit , sed modulus adjectus , sive onus appositum servandum ; hoc est manumitti debetur Stichus ; quare donatio propria est , non item improppria . Quae ut ajebat Julianus , tunc est , cum ea mente fit , ut post tempus aliquod recipiatur , hoc est redeat ad eum , a quo profecta est ; Et cum ad hunc non redit , non dicitur revocari , nec propterea improppria . Haec eadem erant in legatis ; nam legatum temporale fieri non poterat , hoc est , ut transacto aliquo tempore resloveretur , & ad heredem rediret , ut do , lego Stichum ad annum unum ; sed si sub fideicommisso relictum fuisset , quia tunc legati resolutio non est , sed onus , ideo recte id fieri poterat , ut in *d.l.filiusf. §.3. ff. de legat. I.* Hinc ergo donatio in lege Diocletiani proposita , quia sub tempore reslovebatur , Jure antiquo in quantum ad tempus adscriptum invalida non erat , quidquid Giphanius dicat , ut propterea opus fuerit novo Jure Diocletiano , quo substitueretur . Atque haec tenus de conditione resolvente donationem .

Nunc de conditione suspensiva . Hic nos ægre torquet Julianus in *I. si cum filiusfamilias , §. si pecuniam , ff. boc tit.* ubi ita habet : Si pecuniam mihi Titius dederit , absque ulla stipulatione , ea tamen conditio ne , ut tunc demum mea fieret , cum Sejus factus Consul esset , si furen te eo , sive mortuo , Sejus contulatum adeptus fuerit , mea fieret . Quod omnino contrarium videtur Juri , & rationi .

Contrarium est Juri in *I. si ego Sejæ , §. si res , ff. de Jure dotis* , ubi si res alicui tradidero , ut tunc demum dotis fiant , cum nuptiæ secutæ fuerint , & ego ante nuptias decessero , ait Ulpianus ex Juris rigore , etiam si mox nuptiæ sequantur , & conditio eveniat , res non ideo fieri ejus , cui dedi ; tamen in specie proposita favore dotium contrarium servandum esse , quo casu heres invitus cogitur donationi consentire , vel si hoc omnino facere noluerit , dominium intelligi ipso Jure translatum , ne mulier indotata remaneat : ergo in reliquis omnibus donationibus per traditionem factis , illud observandum est , ut conditio eveniens post donatoris mortem nil profit donatario , qui non propterea sibi ac-

quiret res sub ea conditione ipsi traditas.

Contrarium est rationi; nam cum donatio d. si pecuniam fuerit conditionalis, hoc est non transferat dominium, nisi Sejo jam Consule, l. qui absenti, §. i. ff. de acquir. posse. & Sejus post mortem donatoris Consul factus est; inde fit, ut dominium rei, tunc solum possit a donatario adipisci, quod interim mansit penes donatoris heredem. Sed tunc hoc fieri non potest: vel enim dominium transferendum esset a donatore in donatarium, & hoc fieri nequit, quia jam ille qui dedit, dum conditio purificatur, rei dominus non est, quæ heredi quæsta dicitur: vel esset transferendum ab herede in donatorem, & hoc fieri nequit, nisi in id heres ipse consenserit; nam quod nostrum est sine pacto nostro a nobis auferri non potest, l. id quod nostrum, ff. de regul. Jur. Et hac quidem ratione Ulpianus in d. §. si res motus est, cum dixit, secutis nuptiis post obitum donatoris, attento Juris rigore res donatarii non fieri, sed Ulpiani verba dabimus: *Et vereor ne non possint in dominio ejus effici, cui data sunt, quia post mortem incipiet dominium discedere ab eo, qui dedit, & quia pendet donatio in diem nuptiarum, & cum sequitur conditio nuptiarum jam heredis dominium est, a quo discedere non posse rerum dominium invito eo fatendum est.* Quare videri posset Ulpianum de industria contra Julianum hæc scripsisse.

Varie tentatum est a nostris, quo possent hos Jurisconsultos ad concordiam reducere, sed invita Minerva. Accursius putat in §. si pecuniam esse dominium jam translatum in donatarium, tunc cum pecunia tradita fuit, idque ex specialitate solum habere locum in pecunia, argum. l. singularia, ff. de reb. credit. in aliis vero rebus procedere dispositionem §. si res, ubi ipse hæc tradit *v. favore dotium*.

Sed nihil hac responsione stultius fieri posse puto, & ut ab ultimis incipiam, cum §. si res generatim loquatur de rebus sub conditione donatis, nullo modo fieri potest, ut inde excipiamus casum, quo pecunia traditur, præsertim cum nullam hujus exceptionis rationem assignave. rit Accursius; cum vero dicit specialia quædam de pecunia in Jure nostro reperi constituta; neque hoc verum est, nam in d. l. singularia, quam ad hanc rem laudat Accurs. solum traditur in pecunia credita, hoc est in mutuo fingi brevem manum; quod vocatur singulare, non quia hoc solum in mutuo, seu pecunia credita locum habet, cum locum etiam inveniat in donatione, venditione, ac omnibus contractibus, ut notum est, sed dicitur singulare hoc est res animadversione digna; Latinis enim authoribus sæpe idem est singulare, ac notabile. Tandem falsum est in §. si pecuniam dominium jam ab initio donationis, & traditionis esse translatum; tum quia hoc contrarium est pacto convento, nimis ut pecunia non statim fieret accidentis, sed tunc demum cum Sejus Consul factus esset; tum etiam quia Jurisconsultus aperte dixit, tunc fieri meam, cum Sejus Consulatum adeptus fuerit.

Hinc

Hinc etiam rejicitur interpretatio Giphanii in d. §. *si pecuniam;* num. 20. & seq. qui etiam putat ibi dominium statim esse translatum; sed ideo hoc, quod donatio facta fuit sub modo, ut credit indicari per particulam illam, cum Sejus. Notum autem est modum non differre dominii translationem, *I.eas causas, ff.de condit. & demonstrat.* Notum etiam est modum aliquando appellari conditionem, *I.liberto, §.Lucius, ff.de ann. legat. cum concordantibus.* Rejicitur inquam; licet enim haec postrema vera sint, falsum tamen est in eo §. de modo agi, cum expresse dicatur dominium non esse statim translatum, sed tunc demum transferri cum Sejus Consul factus erit, juxta id quod conventum fuerat. Particula enim illa, *cum Sejus,* non facit modum, ut nimis sane propteranter dixit Giphanius, sed indicat tempus incertum, quod conditionem facit, *I.dies incertus, ff.de condit. & demonstrat.*

Non minus inepta est solutio Bartoli, qui duos casus distinguit; vel enim donatio fuit simplex, & satis est si conditio post donatoris mortem purificetur, ut ei, qui accepit, dominium acquiratur, ac ita putat locum habere textum in §. *si pecuniam;* vel donatio ob causam est, & quia revocari pœnitentia potest, ita etiam revocabitur morte, ex d. §. *si res.*

Quot verba tot errores; quandoquidem nunquam efficiet Bartolus, ut §. *si res* agat de donatione ob causam, non vero de conditionali; tum quia ita colligitur ex illis verbis: Pendet donatio in diem nuptiarum. Pendentia vero actus a conditione inducitur, non item a causa; nam si donem tibi mille, ut alimenta mihi præbeas, haec donatio ob causam facta dicitur, & pura est, hoc est statim mihi acquiro ea mille, *d.I.eas causas;* tum etiam quia expressim conditionalis ab Ulpiano ea donatio dicitur ibi: Cum sequitur conditio nuptiarum. Itaque t.m h c, quam in §. *si pecuniam,* agitur non de alia donatione, quam de conditionali. Ulterius Ulpiani ratio non nititur in eo, quod per mortem donatoris ea donatio revocari censeatur, quæ est ratio Bartoli; sed in eo, quod tempore purificatæ conditionis dominium amplius non est penes donantem, sed penes heredem, a quo invito auferri non potest. Item quia falsum omnino est donationem aliquam, sive ex causa, sive non, sola pœnitentia revocari posse, ut patet ex I.2. & 3. C. *de revocand. donat.* Tandem licet Bartolo id quod falsissimum est concedere velimus, nimirum posse donationem ob causam pœnitentia revocari exemplo tractus do, ut facias, vel do, ut des; non ideo concedendum etiam esset, morte etiam revocari, cum constet ante conditionis implementum posse ob causam datum revocari solum ex pœnitentia, quæ potestas non transit ad heredem, quippe qui pœniteri nequit, sed omnino expectare debet, an causa impleatur, nec ne: illo casu res fiet accipientis, isto condicetur causa dati, ut eleganter traditum est a Donello lib. 13. *comment. Juris cap. 22.*

Sed tentemus jam , si quid boni a nobis in hanc rem adduci possit , quandoquidem aliorum auxilia deficiunt . Sed præmittendum est quæstionem his agitari de donatione vera , quæ per solam traditionem sit ; si enim proponeretur facta donatio per stipulationem , tunc clari Juris esset , nihil interesse utrum conditionis dies cesserit , venerisque vivo eo , qui donare promisit , an vero eo jam mortuo ; propterea quod ex donatione per stipulationem interposita solum hoc fit , ut promissor obligetur conditione veniente , vel rem tradere stipulanti , vel si tradidit jam , pati eam fieri ejus , qui sub conditione accepit : quod si donator eo tempore mortuus sit , nihil refert ; nam constat obligationem defuncti morte non extingui , sed transire in heredem ; quare purificata post donatoris mortem conditione , heres implebit id , quod ipse defunctus eo casu perficere tencretur , si in vivis esset . Hinc intelligi poterit cur Julianus in d. 6. si pecuniam dixerit : Si pecuniam mihi Titiusederit absque ulla stipulatione , ideo nimirum quia , si placuisset stipulatione donationem fieri , nulla suberat difficultas ; propterea quæstio solum fit , cum donatio rerum est , seu sola traditione celebratur sub conditione suspensiva , quæ tandem mortuo donatore purificatur ; tunc quia ex eo actu nulla obligatio donatoris , vel heredis oritur , ut supra disputatum est , ideo queritur , utram res tradita donatarii fiat . Julianus affirms , Ulpianus negat . Nos in præsens Julianum tuebimus , mox de Ulpiano dicemus .

Probatur itaque valere exemplo legati , cui donatio quamproxime accedit , cum ambo sint modi acquirendi civiles particulares introducti ad liberalitatem exercendam , vel cum morimur , vel inter vivos . Legatum itaque si sub conditione relictum fuerit , & conditio post legantis mortem eveniat , certum est legati dominium inde legatario queri ; ergo hoc idem servandum videtur in donatione conditionali . Sed ut hoc recte intelligatur , altius repetam , legatum dupli via acquisi legatario posse ; si enim pure factum proponatur , eo casu legati dominium recta via transfertur a testatore in legatarium , quasi nunquam factum heredis , 1. legatum ita , ff. de legat. 2. sed si in diem , vel sub conditione legatum sit ; non transit recta a testatore in legatarium , cum pendente die , aut conditione , non possit huic acquiri : sed nec interim in suspenso manet , cum lex non patiatur dominia in suspenso esse ; quare heredis interim fiet . Verum statim difficultas hic insurgit ; nimirum si heredis factum est , non poterit mox veniente die , vel conditione ab eo discedere , & transire in legatarium , nisi heres in id consenserit , obstante Juris regula in 1. id quod nostrum , ff. de regul. Juris . Cur ergo hoc non observatur , sed velit nolit heres , cum dies , vel conditio venerit , rei legatae dominium migrat in legatarium ? Huic dubio obviam ivit Antonius Faber . 15. conj. 7. n. qm. 14. qui dixit sub conditione , vel in diem relictum fieri quidem interim heredis , non tamen plene tanquam si nullo

mo-

modo legatum esset, sed Jure non pleno, id que ob spem, quam habet legatarius rei adipiscendæ, cum dies vel conditio venerit. Hæc spes, inquam, prohibet ita legatum plene hereditatem, & proinde nil mirum, si pro tuenda voluntate testatoris legatum hoc tandem aliquando auferetur ab herede, & legatario dabitur. Sed hæc Fabri responsio non procedit. Nam si Jus antiquum inspiciamus, certum est legatum sub conditione, ea pendente, pleno Jure heredis esse. Quod mirum est ignoratum a Fabro, cum id diserte habeatur in *I. generaliter*, ff. qui & a quib. & in *I. non ideo*, ff. de *rei vind.* Hoc Jus videtur correctum a Justiniano in *I. fin. §. nemo itaque*, *C. communia de legatis*, ubi habet, legata omnia sive pura sive conditionalia non esse heredis, sed aliena s. quare eorum alienationem omnem inhibuit. Quod quia universam Jurisprudenciam everteret, placet explicatio Accursii ibi, *v. alienum est*, ubi ait, legatum purum esse alienum re, sub conditione esse alienum spe. Et ita cum Jure antiquo facile concordat. Verum illa spes, quam legatarius in ea re habebat, aliquos effectus producebat, ut ne possit interim servus ab herede manumitti, *d. I. generaliter*. Cum vero conditio purificabatur, tunc ex Juris censura dominium sine facto abibat ab herede, *d. I. non ideo*, ibi, Quod ab re a nobis dominium sperat. Hæc eadem ratio omnino recte aptatur donationi conditionali, de qua quæstio est, hoc est, quia donatario spes subest acquirendi rei donatæ dominium tunc, cum conditio venerit; ideo mortuo interim donatore dicendum est, ejus rei dominium acquiri quidem heredi, sed nihil obstare, ut conditione purificata, dominium auferatur heredi, licet ignorantis, vel invito, ut transcribatur in *donatum*, quod voluit Julianus..

Pater hinc objectionem Ulpiani Levi negotio concidere s. cum enim dicit dominium ab herede donantis discedere non posse, nisi heres ipse consenserit. Respondetur ex dictis tunc hoc verum esse, cum alter nihil mirum donatarius in rem illam nullam spem habet, alias legati in diem, vel sub conditione dominium nunquam posset ab herede in legatarium migrare, nisi illo consentiente, quod falso est.

Hinc mirari subest, cur ipse idem Faber *conject. lib. 8. cap. 9. num. 1.* dixerit Ulpiani rationem tam apertam esse & veram, ut convelli nullo modo possit. Cur ita? Si Ulpianus ipse dubius animi est, cum dicat, Vereor ne non. Mirum etiam non animadvertisse contra Ulpianum sensisse Julianum, virum præstantissimum, cuius auctoritas & eruditio magni semper fuit.

Hæc tenus Juliani sententiam ita tutati sumus, ut simul constet fieri non posse, ut ipse cum Ulpiano consentiat. Illud tamen dicimus, hac in re sententiam Juliani sequendam esse, idque ex observatione moris antiqui circa contraria Juri sconsulorum responsa: quare sciamus oportet, responsa prudentum in duas partes dividi, in sententias, & opiniones, *§. responsa prudentum, de Jure naturali; sententiae ex Theor-*

philo

philo dicebantur, cum Jurisconsulti certam, & indubiam responsionem dabant, velut, non licet in Codicilli's heredem scribere. Opiniones vero erant, dubiæ responsiones, quæ siebant per verbum puto, & similiter. Et certum quidem est, opiniones Jurisconsultorum magnam auctoritatem olim habuisse, & nunc vim legis habete, ut cum Justiniano quem Thophilus putat. Id tamen tunc verum esse puto, cum Jurisconsultorum opinioni, nihil erat, vel est, quod adversaretur, sed cum unus Jurisconsultus opinionem proposuisset; quod si alter sententiam circa rem eandem proposuisset, & sibi invicem oppugnarent, credendum omnino est in his casibus olim servatam fuisse, & nunc servandam esse sententiam reliqua opinione; ita plane faciendum est hic. Ulpian. enim opinionem proposuit, non sententiam, cum dicat: *Et vero cor ne non possint, &c.* ubi verbum vero dubiam responsionem facit; Julianus vero sententiam, non opinionem, cum ad questionem respondet, & sine hesitatione ulla dicit, *Mca fiat*. Quare sententia Juliani servanda est, rejecta opinione Ulpiani. Haec est nostra circa hanc rem sententiam, ubi licet ad concordiam Jurisconsultos non reduximus, id enim hic fieri nequit, invenimus tamen viam, qua antinomia tolli possit, & discerni possit quid servari oporteat; itaut jam dicendum sit Ulpiani opinionem referri dumtaxat in ff. non etiam probari; ut vero sententiam Juliani referri, & probari, ut necessaria ratione ostensum est. Neque hoc in Jure nostro est novum; quod quidem jam notatum est a Cujacio lib. i. observat. cap. 16. referri quidem ab Ulpiano in *I. unica*, §. item *Juliano*, ff. de remissionibus sententiam Juliani; nimirum fructuario vindicandarum servitutum Jus esse, non etiam probari, sicuti eandem referri in peculiari lege, quæ est in I. 2. ff. de operis novi nunciationes nec reprobari a Justiniano, & ab aliis Jurisconsultis, I. 1. ff. si ususfr. petatur. Scio hanc conciliandi rationem displicuisse Hermanno Ualtejo discept. i. 8. in princip. quod Justinianus omnibus, quæ in ff. relata sunt, vim legis tribuerit; sed meminisse oportet, hoc intelligendum esse de rebus, quæ in illis libris referuntur, & probantur, non item de iis, quæ licet referantur, non tamen probantur, sed rejiciuntur, vel expressim, vel tacite ex aliqua necessaria ratione: quare recte Ualtejus reprehensus est a Gaspare Scherdegero lib. 1. tract. 11. qu. 8. qui putat in ff. multa rescribi historice, & non probari, quod etiam tradunt, & exemplis demonstrant Antonius Faber lib. 2. conjectur. cap. 8. num. 10. Donellus ad sis. C. de prescriptis verbis cap. 19. num. 107. eumque secutus Scipio Gentilis de donat. inter vir. lib. 3. cap. 38. chart. 108. Cujacius idem lib. 15. obseru. cap. 20. Atque haec de donationibus meris, sive propriis, & impropriis dicta sint satis.

Nunc tertio notandum est de donationibus non meris. Harum duas species fecimus: vel enim donamus ob rem, vel ob causam, quandoquidem haec duo longe inter se distant. Datio ob causam est, quæ rem præteritam respicit, ideo dicta quod per adverbia causalia concipiatur,

tur, puta, quoniam negotia mea gessisti, quod pauper factus est, quia uxorem duxisti. Datio ob rem est, cum quod futurum respicimus, & ut plurimum per particulam. Ut, concipitur, velati ut alimenta praestes. Hæc distinctio traditur in *I. damus*, & in *I. summa*, §. id quoque, cum duobus sequentibus, ff. de condit. inde hīti, & in *I. i. ff. de conditione ob tur- pem causam*.

Sed hic primo notandum est, dationem ob rem aliquando etiam dici dationem ob causam, itaut causæ nomen, utrumque tempus præteritum, futurumque respiciat, tit. ff. de conditione causa data, tit. Cod. de conditione ob causam. Autrum; & hoc ideo, quia potest, soletque hæc datio ob rem concipi etiam per adverbia causalia, puta dono illud, quia Romam pro me iveris. Et ita generatim accipendum est causæ nomen in *I. inter donum*, ff. de *V. signis*. ubi habetur: Munus esse donum cum causa, ut puta natalium, nuptiarum; sive enim donemus ut nuptiæ sequantur, sive quia jam fecutæ sunt, semper hæc donatio munus dicitur. Id tamen reprehendit Laurentius Valla lib. 6. elegantiar. cap. 39. dum ait: Nullum sibi videri donum sine causa esse, eoque falso distinguui inter munus, & donum: sed non animadvertisit Valla diversam rationem esse, cum quod exprimitur, ac cum subticitur; licet enim verum sit nullum donum sine causa fieri, maxime si liberalitatem attendamus, tamen si causa non exprimatur dicetur simpliciter donum, si autem exprimatur, nunc muneris nomen habebit, seu donationis remuneratoriæ, ut porro disputabimus.

Notandum secundo, quod in testamentis obtinuit, ut hæc ob rem datio diceretur modus, & quæ relicta sunt, ut quid fiat, diceretur relinquiri sub modo, *I. demonstratio*, §. ult. ff. de condit. & demonstrat. Verum postea etiam ad causas, quæ extra testamentum sunt, traductum est, ut quæ ob rem dantur, dicantur concedit sub modo, ut declarat titulus. *C. de donat. quæ sub modo* &c. notat Donell. lib. 14. comm. cap. 20.

Notandum tertio, quod hæc ob rem datio, sive modus, dicitur aliquando simpliciter conditio, *I. liberto*, §. *Lucius*, ff. de legat. *I. Ma- viam*, ff. de manumissis testamento, *I. Titio centam*, §. 1. ff. de condit. & demonstrat. ut cum dicitur conditio servata pro impleta re, ob quam datum est, *I. 3. C. de condit. ob causam*, & hoc dicitur concise, cum plenioratio est conditio repetendi, ut in *I. si repetendi*, *C. eodem*; vel conditio sub qua repetimus, ut vidimus locutum esse Julianum in *I. i. §. dat ali quis*, ff. de donat.

Hinc intelligitur Julianus idem in *I. 2. §. fin.* cum Ulpiano in *I. 3. ff. cit. tit.* ubi traditur, si dictum fuerit, dono centum, ut Stichum tibi emeres, dubitari posse, sit ne conditio, an causa, & subditur conditionem esse, si in hoc dedi, ut Stichum emeres, aliter non daturus; causam vero esse, si alias donatus tibi centum, quia interim tu Stichum emere proposueras: ego dixerim in hoc me dare, ut Stichum emeres,

res, adeo ut discernere, utrum sit conditio an causa, id pendeat totum ex animo donatoris; non que id in Jure, sed in facto consistere, hoc est non ex Jure definitur, sed ex conjecturis erui. Intelligitur inquam, si notabimus cum Soipione Gentile de donat. inter Virum lib. 4. cap. 9. conditionem hic esse causam, quam vulgo finalem vocant. Causam vero simpliciter dici eam, quam causam impulsivam Interpretes dicunt.

Intelligitur etiam Pomponius in l. sub conditione in fine, ff. de solutionibus, in qua scriptum est, rem sub conditione alicui datam factam esse accipientis, etiam antequam conditio exitisset: quod falsum videatur, cum constantissime traditum sit non fieri rem accipientis priusquam conditio existat, l. qui absenti, §. 1. ff. de acquir. possessione. Nihilominus difficultas concidit, si verba illa, Ea conditione, ut &c. accipiamus pro modo, sed verba Pomponii demus: Si quis sub conditione pecuniam promisit, dedit eam ea conditione, ut si conditio exitisset, in solutum cederet, existente conditione liberari eum, nec obstat ei, quod ante ejus pecunia facta sit. In cujus legis explanatione mire se torquet Ac. curs. qui tamen veram interpretationem videtur odoratus, licet in ea mox non consistat; species ergo illius legis ita se habet. Ego tibi stipulanti certam pecuniae summam sub conditione promisi, puta si navi veneris postea eandem sumam pure do, ut statim pro tua eam habeas, sed dando adjicio hunc sum (quem conditionem Pomponius vocat) ut ea pecunia, quam tibi absolute, & pure dedi, & donavi, cedat aliquando tibi loco solutionis, si forte acciderit, ut illa conditio, sub qua tibi ex stipulatu debebam, existat, itaut si navis non venerit, habebis tibi eam pecuniam, uti donatam; si autem venerit, habebis loco solutionis, in imperium stipulationis, ut cit. Gentilis explicat.

Sed queritur I. cum haec donationes ob rem, & ob causam verae donationes sint, an non? Et res quidem satis dubia est, itaut eam expedire difficile visum fuerit non solum nostris, a quibus nihil hic bene praestitutum est, sed adhuc antiquis Jurisconsultis. Conabimur nos, quam fieri poterit, facili me nodum solvere, & leges, quae contrariae videbantur, reducere ad concordiam; sed duos casus principales ob distinctionem considerare oportet. Prior si fiat traditio; alter si celebretur stipulatio.

In traditione ob causam videndum est, si datio facta fuerit ob beneficium jam collatum. Hac in re Paulus animi incertus fuit, utrum eam appellaret donationem, an potius mercedem. nam in lib. 5. sentent. tit. 14. §. 2. ita habet: Si quis aliquem a latronculis, vel hostibus captum eripuit, & aliquid pro eo ab ipso accipiat, haec donatio irrevocabilis est, si tamen donatio non merces eximi laboris appellanda est. Ubi primo notandum, se monem a Paulo haberi de donatione ob causam: secundo factam fuisse per traditionem, ut patet ex illis verbis, ab ipso accipiat: tertio Jurisconsultum in dubio esse, utrum vere donationem appetat,

pellet, an mercedem. Hæc Pauli sententia refertur in nostris Pandectis, & habetur in *l.s. pater*, §. i. ff. hoc tit. ubi manca est, & mutila; quandoquidem Pandectæ Florentinæ ita postrema verba habent: *Hæc donatio irrevocabilis, non merces eximiæ laboris appellanda est; ubi articulus, non, quia non recte cohaerere videbatur*, ideo in Pandectis vulgatis pessime mutatus est in articulum, *num.* Hinc factum est, ut Paulus, qui in suis libris animi dubius fuit, aliorum culpa in Pandectis Florentinis neget esse mercedem, in vulgatis contrarium omnino affirmet; sed certum est legendum esse, non. Ceterum licet creditum sit hanc verborum Pauli deturpationem factam fuisse errore amanuensium; nos tamen Triboniano attribuimus, qui ita fecit, ne Pauli opinio adversaretur Papiniano afferenti indubie esse donationem, sed non meram, *l. Aquilius*, ff. hoc tit. nimirum esse donationem; quia non Jure cogente, sed prolixe ex causa liberalitatis datur; non meram, quia ob aliam etiam rationem fit, sed ob quandam veluti mercedem rei pro nobis gestæ, ut patet ibi: *Non meram donationem esse; verum officium magistri quodam mercede remuneratum;* quæ Papiniani sententia obtinuit contra opinionem Pauli. Sed illud primo non omittemus, donationem in *d.l. Aquilius traditione* intelligi celebratam; licet enim per epistolam facta videatur, tamen certum est olim per epistolam, sicuti neque per pætum, aut pollicitationem donari non potuit. Factæ itaque literæ fuerunt solum in rei testificationem, nec donatae celebrata ibi intelligitur, nisi cum res tradita donatario fuit. Non omittemus secundo, a Papiniano non dici, mercedem solutam, sed uti eum particulis, quæ impro prietatem denotant, cum dicat: quadam mercede remuneratum. Nam donatio, & merces sibi invicem contrariae sunt, nec simul in eodem actu reperiri possunt, ut patet tum ex Paulo in *d.l.s. pater*, §. i. tum ex aliis Jurisconsultis, quos mox laudabimus.

Sed si datio fiat, non ob beneficium acceptum, sed ob aliquam aliam causam, veluti quia servum tuum manumisisti, quia nuptias contraxisti, eo casu dubium esse non potest, dici debere donationem, licet non meram; adeo quippe liberalitas, & præter hanc alia etiam causa, & probatur ex *l. inter donum*, ff. de verb. signif. ubi munus dicitur esse donum cum causa, utputa natalium, nupciarum.

In datione ob rem itidem distinguendum est; si enim fiat ob beneficium recipiendum, donatio non est, sed merces, *l. hoc Jure*, §. i. ff. hoc tit. Ubi Ulpianus notat, Labeonem dixisse extra causam donationis esse, cum datur, si tibi adfuerit, si satis pro te dedero, si qualibet in re opera, vel gratia mea usus fuerit; propterea quod sunt officiorum mercedes: & notandum hic agi de traditionibus; nam de stipulationibus habetur in *§. ult. ejusd.l.* Id ipsum habetur ex *l. metum*, §. sed licet, ff. de eo, quod metus causa, ubi si aliquid a te accepero, quo magis te de vi hostium, vel latronum, vel populi liberarem, ait Jurisconsultus,

A a a

quod

quod opere meæ mercedem accepisse videor , & propterea donationem non esse . Sed dubitari potest , cur datio ob beneficium acceptum sit donatio non mercede ; datio vero ob beneficium accipientum omnino negatur donationem esse ? Verum respondeo liberalerem esse qui dat , quia accepit , non item qui dat , ut accipiat ; imo si dolo dederit , dicetur Captator , ut constat ex Martial. lib.4. epigram. 56. quod adscribam :

*Munera quod senibus, viduisque ingentia mittis,
Vis te munificum Gargiliane vocem ?
Sordidius nibil est , nibil est te spurcius uno ,
Qui potes insidias dona vocare tuas .
Sic avis fallax indulget piscibus hamus :
Callida sic stultus decipit esca feras .
Quid sit largiri , quid sit donare docebo ,
Si nescis , dona , Gargiliane , mibi .*

Verum tamen est , Impp. sepius inter donationes computasse eas donationes , quæ ob beneficium recipiendum fiunt , ut si tibi donem ut alimenta mihi præbeas , l. ult. C. de rer. permutat. l. i. C. de donationib. q'æ sub modo , l. si donationis , C. de contrab. ems. Sed hoc intelligendum est tunc demum verum esse , vel cum fructus rerum donatarum excedunt summam alimentorum , vel cum alimenta pro tempore præstantur , res vero donatae perpetuo penes donatarium mansuræ sunt . Sed si fiat ob aliam rem , quam beneficium , tunc quæstio facti est . Utrum scilicet sit donatio , an vero contractus innominatus ; habetur hoc in l. Aristo , in princip. ff. hoc tit. in qua si servum tibi tradidero ad hoc ut eum post quinquennium manumittas ; dicitur inspiciendum esse , quo animo id fiat ; si enim quinquennium appositorum est , ut servi operibus per id tempus utaris , donatio est ; sin minus , donatio non erit , puta si qui tradidit , operas quinquennales sibi retinuit , vel voluit quinquennium illud cedere in pœnam servi , ut Acc. explicat , verbo , ut aliquid ; vel ut interea temporis ab eo , cui traditur , instruatur aliqua arte , ut ab eo custodiatur , ut notat Giphavius num. 5. tunc enim erit articulus do nt facias , ut expresse habetur in l. si pecuniam , §. si servum , ff. de condit. causa data .

Nunc de stipulationibus , in quibus eadem via , & ratione procedendum est , ac modo factum est in traditionibus .

Itaque si stipulatio ob rem respiciat officium nobis præstandum , donationis causam non habebit , sed mercedis . Probat id Paulus in l. quæ liberti 8. ff. hoc tit. ubi ait: Ea quæ liberti libertatis causa præstant , non donari , res enim pro his interessit , hoc est libertas , ut Accursius explicat . Hæc Pauli verba capere oportet de stipulatione , & Jurejurando , quandoquidem servi cum in libertatem asserebantur , vel Jurejurando vel stipulatione promittebant patronis operas , donum , munus se præstituros , ut in tit. ff. de operib. libert. Itaque cum libertus hæc , quæ

que promisit , patrono præstat , non donat , sed eximi beneficij mercedem solvit; ubi etiam notandum nihil interesse, utrum in his stipulacionibus dicamus , do , an potius dono ; quoniam non a verbo donandi , pendet donatio , sed a mente dantis,& accipientis , *I.ex condicione*, §. *Paganianus, ff. locati, l. donatio, C. de donat.* Quare licet libertus promiserit donum, munus, non ideo minus negat Paulus eam promissionem donationibus accensead am esse. Hoc idem probat Pegasus , quem laudat Ulpianus in *l. hoc Jure, §. final. ff. hoc tit.* ubi ait: Denique Pegasus putabat , si tibi centum spopondero, hac conditione si jurasses te nomen meum laturum, non esse donationem , quia ob rem facta est , & res secuta est . Et plane si quis nomen nostrum ferat , loco beneficii habemus , quare hoc vivis earum est , ut hic , & morientibus , ut in *l. sed sciendum, §. si vero, ff. ad rebellian.*

Si tandem res beneficium non sit , quaestio facta est , utrum sit donatione non mera , an potius contractus intomnatus , ut ex jam dictis constare potest .

Ceterum si stipulatio ob causam facta sit , videtur dicendum esse donationem, licet non meram, & hoc tam si causa contineat beneficium, quam si aliquid aliud . Plane si cum trado , quia me ab hostibus servasti , vel quia nuptias contraxisti , donatio est, ut vidiimus . Cur si stipuler tibi dare ob unam , vel alteram ex his causis , non dicemus stipulationi donationem inesse ? Sed his non obstantibus , dicere oportet neutrō casu donationem esse , quia ita aperte docuit Ulpianus in *d. l. hoc Jure, §. final.* ubi generatim ait: Sed & hæ stipulationes , quæ ob causam sunt , non habent donationem.

Hæ donationes ob rem , vel ob causam ita aliquando sunt , ut negotium etiam admixtum habeant , quare negotiales dicuntur ab Hothoman. *hoc tit. cap. 2.* & catenus nascitur obligatio , quatenus est negotium ; & quatenus est donatio non contrahitur obligatio , ut in *l. Aristote, in princ. Ratio* pendet ex iis , quæ supra disputata sunt ; hoc est , quoniam negotium , seu contractus parit obligationem , donatio non item . Exemplum esto ex *d. l. Aristote* in donatione ob rem; servum prolixe tradō , ut eum póst quinquennium manumittas . Hic mixtum est negotium cum donatione . Itaque intra quinquennium nulla mihi est actio , quia quinquennium illud tibi donavi . Eo transfacto , mihi nascitur actio , ut scilicet eum de manu mittas , quia jam cessavit donatio , & venit negotium , sive contractus , do ut facias , id est ut manus mittas , quæ actio est præscriptis verbis , *L. naturalis, ff. de præscript. verb.* Quare patet non semper donationes ob rem , vel ob causam admixtum habere negotium , ut aliqui putant , sed tunc demum cum ex iis aliqua actio , & obligatio nascitur ; nam negotium sine obligatione , & actione contrahi non potest . Ignoratum hoc est ab Antonio Fabro , qui *decad. 45. err. 3. num. 12.* putat donationem inter vi-

vos factam certa lege dandi aliquid, vel faciendi, non tam donationem esse, quam contractus do ut des, do ut facias; cum inde nascatur obligatio, & ex obligatione actio. Sed fallitur nam primo videntur erat, utrum res esset beneficium, an non. Illo casu est contractus innominatus, isto est donatio; deinde animadvertere opus erat, hanc dationem ob rem mixtam esse ex donatione, & negotio, quatenus donatio, nulla oritur obligatio, vel actio; secus quatenus negotium est, & contractus. Sed ut clarius intelligatur, quando ex donatione actio nascatur, quando non item.

Quæritur II. quibus casibus causa falsa, vel re non fecuta, donanti actio reddatur, ad repetendum id, quod donatum est?

Pro eo, quod ad causam spectat, duo casus distinguendi sunt. Prior est si causa vera sit, & res donata repeti nequit, etiam si causa sit turpis, quia nulla inde ad delinquendum invitatio fit, cum delictum jam sit commissum, *I.mercedem, C.de condictione ob tarphem causam*. Alter est si causa falsa sit, puta donavi Titio, quod uxorem duxit; id tamen falsum est: hoc casu si scivi Titium nuptias non contraxisse, & tamen dedi, nulla repetitio mihi competit; nam cur repeatam? Non quidem quia causa falsa est, cum enim sciverim falsam esse, quoties dedi, non videor ob eam causam deditse, sed ob aliam, nimirum ob exercendam solam liberalitatem; nam consulto dati donatio est, *I.cujus per errorem, ff.de regul.Jur.* Sed si errans falso mihi persuasi, nuptias Titium celebrasse, tunc nec etiam donati repetio est, *I.in summa, §.i. ff. de conditione indebiti*. Ratio est, quia qui ita donat duplitem habet causam dandi, præsentem unam, præteritam alteram. Præsens non alia est, quam liberalitas donatoris, quæ cum pendeat ex animo donantis, quem ille donando satis declaravit, nunquam falsa dici potest. Præterita vero pendet non ex animo, sed ex facto, quæ ideo potest falsa esse, & vera. Itaque quia ex duplice causa dedi, cum ultima nimirum præterita falsa est, nihil int rest, nec ideo possum rem tanquam per errorem solutam repeterem; propterea quod altera causa & præsens, hoc est liberalitas, vera est, non erronea; cur ergo dicam solutum per errorem? Et hoc plane innuit Paulus in *d.I.summa, §.i.* Cujus verba sunt: Id quoque ob causam datur, puta quod negotia mea adjuta ab eo putavi, licet non sit factum, quia donari volui, quamvis falso mihi persuaserem, repeti non potest. Hoc est ideo non repetitur tanquam per errorem, quia donandi causam habet, nimirum liberalitatem. De donatione etiam intelligendus est Pomponius in *I.damus*; *ff.codem*; nam ut jam dictum semper atque ob causam datur, donatio est, licet non mera: quod ideo notatum volui, quia video communiter in hoc decipi nostros, cum putant, alias etiam dari ob causam dationes voluntarias præter donationem, inter quos est Donellus *lib.14. num.10.*

Ceterum hoc ita verum esse puto, si ea causa fuerit impulsiva non fi-

finalis, l.3. ff. hoc sit. quā facti quæstio est. Itaque si ex conjecturis apparet donatorem, nisi id quod putat vere factum sit, se nolle donatum, tunc causa finalis est, & re non facta donatum repetitur. Multo magis si palam se ideo dare protestatus fuerit, quia rem illam factam putat, aliter non daturus; nam eo casu donator ex sola liberalitate non fuerat donaturus, ut ex hoc ipso apparet, quod demonstraverit se aliam finalem causam habuisse, quam liberalitatem: sed si id non apparet, & in dubio simus, tunc causa præsumitur impulsiva, non finalis, ad hoc ut actus substineatur potius quam ut ruat, Gloss. in l.2. §.ult. ff. hoc sit.

Nunc dicamus de re, quæ etiam causa scilicet futura dici solet, si hæc sit possibilis, & deficiat culpa accipientis, qui cum posset, non fecit, nulla dubitatio est, quin possit donatum repeti, ubi de se queri debet donatarius, qui legi dictæ non paruit, l. dictæ, C. de condit. ob causam, sed si fuerit possibilis, & defecserit casu fortuito, distinguendum est ex l.2. §. Titio, cum l. seq. Utrum sit causa impulsiva, & cessat repetitio, quia tunc remanet altera causa nimirum liberalitas; an vero sit causa finalis, & tunc repetitioni locus est; hoc idem habetur in cap. verum, de condit. apposit. Ubi donatum Ecclesiæ sub conditione, ut quid fiat, causa cessante non revocatur donatio, nisi causa finalis sit, ut propterea omnino castiganda sit audacia Jacobi Mæstertii, qui lib.2. de Justitia legum Romanarum cap. 12. Pontificem reprehendit, tum quia Juri civili, tum quia Justiniano contrarium, siquidem ut jam constat, & Juri, & Justitiæ conformis est suusinus Sacerdos.

Hæc locum habeant in donatione: sed utrum idem sit in contractibus innominatis dubitari potest, & videtur quadamtenus locum habere. Nam in l. pecuniam, l. advocationis, C. de condit. ob causam, distinguitur in dationibus innominatis, ut si causa in datione apposita cesseret culpa accipientis, etiam repetitio cesseret; sed si cesseret casu fortuito, tunc generatim dicitur rem minime repeti posse.

Sed vereor ne postremum hoc de casu fortuito omnino falsum sit, & contrarium tum Juri, tum rationi: Juri, quia si dedi nautes pecuniam, ut me, aut merces veheret, & navis casu amissa sit, vecturam repetere possum, l. ex conducto, §. item non, ff. locati. Item si dedi pecuniam, ut Stichum mihi dares, Sticho mortuo repetere non prohibeor, l. ult. ff. de conditione causa data; atque iesa licet causa in contractibus innominatis fortuito deficiat, tamen repetitio dati est.

Rationi, quia cum tibi do, ut Stichum manumittas, & Stichus moritur, hoc est per vim majorēm, causa non impeditur, iam dato fine causa est, eoque repetitioni locus fiet, cum iniqualissimum sit, te rem meam sine causa habere, tot. tit. ff. de condit. sine causa. Cum vero Faber decad. 45. error. 9. num. 4. distinguit, ut dicta Lult. locum habeat in causa impulsiva, non in finali, omnino fallitur. Cum enim omnis actus suam finalē

finalē causam habeat; peto quānam erit causa finalis illius contrāctus innominati, si ea quā ex primitur est impulsiva? nullam certe assignare poterit; & sane in contractibus innominatis, quia unica semper est causa dandi, nimirum ea, quā expressa est (nisi forte duæ exprimantur, veluti si quis dixerit, do, ut Stichum emas, ut iter facias) non potest distingui inter finalē causam, & impulsivam, sed semper ea causa, quā apponitur, finalis erit; secus est in donatione ob rem, quā duplīca causa fit liberalitatis, quā est tacita, & negotialis, quā est expressa. Et proinde sine dubio fieri potest, ut negotialis aliquando sit causa impulsiva, aliquando vero finalis; idem est in legatis.

Itaque ne in absurdā hāc ineidamus, dicendum puto dictam *legem penult.* cum sequenti intelligendas esse de donationibus factis ob rem, non de contractibus innominatis. Itaut cum dicit, pecuniam datam ob rem repeti posse, si causa apposita culpa accipientis non impleatur, concordet cum *l. 2. ff. eodem.* Cum vero ait, quod si causa fortuito deficiat, non detur locus repetitioni, hāc universalis assertio distingueda sit juxta *l. 2. §. T. itio cum l. scq. ff. hoc tit.* ut verum sit de causa finali, non item de impulsiva. Hāc interpretatio optime firmatur ex verbis ipsius *l. ultim.* cum dicitur, causa fortuito deficiente certum esse rem minime condici posse; si enim hoc accipiamus de contractibus innominatis, unde quāso hāc certitudo haberi potest? non ex legibus, quā in contrarium sunt; non ex ratione, quā omnino repugnat. At si intelligatur de donatione, in hac vere omnia certa sunt, nimirum tam ratio, quam Jus, ut jam demonstratum est. Et ita plane omnis difficultas evanescet, nec opus esit, tantopere circa dictam *l. penult.* se torquere, ut se torquet, & quidem infeliciter, Hugo Donellus *lib. 14. comm. cap. 21.*

Hāc de donatione ob rem, quā honestam causam habent. Sed quid si inhonestā fuerit? puto distinguendum eo modo, quo in contractibus innominatis distingui solet, cum nulla disparitatis ratio subsit; sint itaque tres regulæ. Prima est, si dantis turpitudō versetur, non item accipientis, nunquam est repetitio, cum nulli suum delictum patrocinari debeat. Ita si meretrici ob stuprum donem, donatio valet, nec repetitio conceditur, *l. affectivis, ff. hoc tit.* Etenim qui dat, turpiter facit, at qui accipit, non ita; quoniam meretrix turpiter facit, quod sit meretrice, non turpiter accipit cum sit meretrice, ut dicitur in *l. 4. §. sed quod meretrici, ff. de condit. ob turpem causam.* Secunda est si dantis simul, & accipientis turpitudō versetur, nec etiam repetitio datur, ut puta donavi, ut homicidium fieret, *l. 3. ff. cit. tit.* Tertia est si accipientis solius turpis causa fuerit, repeti potest, ut donavi tibi, ne quid eriperes, ne alterum neci traderes, *l. 1. in fine, ff. cit. tit.*

Ex his quā hactenus disputata sunt, inveniri ratio potest, unde factum sit, ut in donatione ob rem, non sit locus paenitentiae, *l. Ariflo, ff. hoc tit. l. si te, C. de donat. inter verum, & passim C. de res voc. donat.* Quod tamen

tamen secus est in contractibus innominatis, in quibus causa nondum secuta, licet credatur, vel speretur, posse sequi, tamen placuit licere pœnitere ei, qui dedit, & ex pœnitentia datum revocare, *l.3.in princip.* *l.5. in principio ff.de condit.causa data.* Ratio nimurum est, quia in contractibus innominatis una solum est causa dandi, quæ cum non impleta est, licet nec dum defœcta sit, tamen quia non minus verum est causam secutam non esse, ideo repeti potest conditione causa data, causa non secuta. Non ita se res habet in donationibus ob rem, in quibus dandi causa duplex est, præsens, nimurum liberalitas, & futura idest rcs: quare licet futura pendeat, non adhuc tamen donatum condici ex pœnitentia potest, quia subest alia causa præsens, & jam impleta, idest liberalitas donatoris, quæ nullum pœnitentiam locum relinquit. Ita ferme Antonius Faber *decad.45. err.9. nu.2.*

Quæritur tertio, quænam actiones ex donationibus non meritis præstuantur?

Si donatio est ob causam, tunc prænotandum est, quod si causa vera sit, statim donatio tenet, quamvis tenere is, qui dedit, & qui accipit, ignorat: si e diverso falsa sit, donatio statim non tenet. Idque dicimus ita esse exemplo conditionis, quæ in præteritum confertur, de qua in *l. cum ad præsens. ff.de reb. credit.* nam in hoc nihil videntur differre causa, & conditio in præteritum relata: cum ergo causa falsa est, quia donatio nunquam valuit, nec unquam translatum est dominium in accipientem, sed semper hæsit penes dantem; ideo res donata per reivindicationem repetemus.

Sed si donatio ob rem facta sit, tunc ad eam rem implendam cogi potest donatarius a donatore, sive per actionem ex stipulatu, si modo stipulatio fuerit interposita; sive per actionem præscriptis verbis, si nulla stipulatio intercesserit, *l. legem quam, l. cum res, C. hoc tit.* Cur autem detur actio præscriptis verbis, ratio est perspicua; quoniam huic donationi admixtum negotium est, nimurum etiam contractu innominatus, do ut des, vel do ut facias, pro quorum impleimento actio præscriptis verbis præstatur, *l. naturalis, ff.de præscript. verbis* Verum si donatarius nolit, vel nequeat rem implere, tunc quia res non secuta est, præstatur donatori eo nomine conditio ob causam ad rem donatam repetendam, *l. senatus, §.1. ff.de donat.cauf.mort. l. quoties C. de revocand. donat.* Quod argumento est in donatione ob causam statim dominium transcribi in doratarium, quoniam non est conditio nisi ei, qui dominus esse desit, & rem suam nemo condicere potest, præterquam a fure, & malæ fidei possessore, *§.sic itaque, de donationibus.*

Verum habemus præcepta specialia circa donationem, quæ alteri fit, ut nos ipse alat, vel ut menstruum, seu annum præstet. Sunt in hac re tres *C. leges*, non nihil inter se variae, quæ tamen facile possunt conciliari, Itaque in *l. ult. C. de rerum permutatione*, statutum est posse dona-

donatorem actione præscriptis verbis cogere eum, qui accepit, ad implendum modum alimentorum. Hoc tamen ita intelligendum est, ut eidem non denegetur actio ad revocandum, ne hoc contrarium sit l.6. C. de donat. quæ sub modo, ubi habetur, posse donatorem revocare rem donatam ob præstationem alimentorum, idque tam actione in personam, seu condicione ob causam, quam actione in rem, seu rei vindicatione, quod plane in sola donatione ob causam alimentorum facta speciale est, ut constat ex dicta l.1. Ceterum impossibile videtur has actiones simul unire, nam condicione datur non domino, revindicatio vero e diverso solidi domino conceditur; quare si donator utramque habet, erit dominus simul, & non dominus, quod omnino absurdum est. Sed quamvis ita secundum strictam Juris rationem sit, ut cui vindicatio conceditur, ei statim denegetur condicione, & e contrario; tamen in hac donatione ob causam alimentorum aliter benignitate Principum statutum est, ut ibidem dicitur. Ratio est, quod alimenta sine magno vitæ nostræ incommodo nequeunt differri, atque providendum est, ut quam cœtissime consequamur eas res, quæ nobis alimenta sufficiunt; citius autem ad hoc pervenitur reivindicatione, quam condicione. Ita Giphanus lib.5. comment. cap.10. n.1.

Huic tamen legi primo obstat l. si *donationis* 3. C. de contrab. emt. ubi in eadem causa alimentorum donatori non datur actio ad donationem rescindendam, sed tantum ad compellendum donatarium, ut pareat legi, sive conditioni dictæ. Respondet tamen Giphanus dictam l.3. ita esse accipiendam, ut hoc ibi plane actum fuerit, ne unquam donatione rescindatur; cuius conjecturæ ratio ex eo desumitur, quod in dicta l.3. venditio intercessit, quæ et si ibi non valet, utpote simulata, tamen enixam voluntatem contrahentium indicat, ut scilicet quod gestum est nunquam rescindatur tanquam venditio. Etsi enim & donatione facile non rescinditur, tamen facilius rescinditur, quam venditio; ut igitur in d.l.3. donatione effet firmior, etiam venditio interposita fuit. Ita plane Giphanus ad d.l. C.de donat. quæ sub modo num.13. & seq. Stet itaque in donatione ob causam alimentorum præstari donatori actionem ad revocandam rem donatam tam condicione, quam vindicatione, quæ tamen vindicatio non est directa, sed utilis; quia utilis in rem faciliter datur, etiam non domino, s. at si is, qui pinxit, de rer. divis. l.5.s. de arbore, ff. de reivindicatione; quod etiam patet argum. l.3. s. sed tum postea, C. de donat. quæ sub modo, & l. qui moreis, ff. de mort. caus. donat. ubi ad rem mortis causa donatam revocandam datur & condicione, & utilis in rem actio.

Sunt qui putant ab his, quæ diximus, excipiendas donationes in Ecclesiam collatas, quæ licet ob rem factæ, volunt re non secura, non posse agi ad repetitionem, sed solum ad implendum modum, sive rem. Idque etiam donatio fiat ob præstationem alimentorum, nisi in

ip-

ipso donatione hoc nominatim adjecero hunc in modum : ea lege, ut me
alat, quod nisi fecerit, donatio nem irritata esse volo, ita post alios Di-
cucus Covarr. lib. i. variar. resolut. cap. 14.

Verum contrarium verius puto, minitum donationem ob rem Ec-
clesiae factam, re non secuta, posse tunc revocari, cum apparuerit rem
continere causam finalem; cum autem donatur ob alimentorum praesta-
tionem, dubitandum non est alimenta esse causam donationis finalem,
quod quidem suadet alimentorum necessitas, sine quibus vita deficit;
& plane falluntur, cum putant in tali donatione causam finalem esse re-
spectu Ecclesiae, non respectu rei, seu modi, quod nunquam proba-
re poterunt. Non enim id probatur in *cap. verum, de condit. apposit.*
nam ibi solum habetur res Ecclesiae donatas non revocari ob defectum
modi appositi, nisi modus talis sit, qui causam finalem contineat,
quandoquidem concordat cum Jure civili, ut recte in eo *cap. Gloss. no-*
tat. Non itaque dicit nominatim exprimere opus esse causam alimento-
rum esse finalem, alias semper presumi impulsivam. Cum vero dicunt
negligentiam Praelati in praestandis alimentis Ecclesiae non nocere; re-
sponsio facilis est, quia ipse Praelatus cum sociis constituit Ecclesiam,
quaes proponendo unum omnibus, eligit virum idoneum, qui res ipsius
Ecclesiae administret, ut recte notat Rolandus a Valle *cozf. 15. num. 23.*
& seq.

Et haec videri possent satis de donationum speciebus, earumque
proprietatibus, nisi duo adhuc nos morarentur. Primum est de ea do-
natione ob rem, in qua alteri quid dari, vel fieri placuit. Secun-
dum est de ea donatione ob causam, quae beneficium respicit, seu de
antidoro. De quibus placet seorsum agere; sit ergo.

De Donatione, in qua alteri dari quid, vel fieri conventum est.

E X E R C I T A T I O N E S.

Species ita se habet. Titius praedium Sempronio donavit ea lege, ut
id post tempus deceanii restituat Caja. Elapso decennio Sempro-
nius donatarius praedium non restituit. Quae situr quid agendum? Ex-
stat hac in re insigne rescriptum Imperatoris Diocletiani in *C. de donac.*
qua sub modo, ubi distinguitur inter Jus vetus, & novum, seu Juris-
consultorum, & Principum. Et primum quidem Jure veteri, si Caja,
cui res Jussa est restitui, statim stipulata fuerit id sibi restitui, & post-
ea donatarius non restituat tempore elapso, aget Caja contra eum actio-
ne ex stipulatu; si vero Caja stipulata non esset, agere non poterat,
I. debitor sub pignore, & ea qua, ff. ad Trebell. sed donatori licitum erat

B b b

rem

rem donatam condicere causa data , causa non secuta : post hanc subdit Diocletianus Jus novum benignitate Principum constitutum , quo expositum Jus antiquum corrigitur in ea parte , qua Cajæ non stipulanti denegat actionem . Statuit ergo Jus novum Cajæ utilem actionem juxta donatoris voluntatem competere , ut sibi secundum placiti fidem res donata restituatur . Hinc ergo corrigitur Papin. in *I. Seja* , in *princ. ff. de mortis causa capionib.* ubi Seja cum Titio convenit , quod si superstitionibus liberis Titii mortua fuisse , tunc ad eos bona sua ex causa donationis pestinerent . Nec id Titii filii stipulati sunt : verum in judicio bonæ fidei , puta præscriptis verbis , seu in factum , egerunt cum Seja adhuc viva , ut ipsa permitteret , se bona , cum moreretur , ipsis restituturam . Quærebatur , an Jure id peterent: respondet Papinianus mulierem invitam non cogi cautionem , seu promissionem præstare , ne donatio extorqueri videatur .

Sed Diocletianus , partim manus videtur , partim falsus : psalm utrumque sit ex Scævola , qui ante Diocletianum plus , minusve centum annis floruit ; vixit enim non multo post excessum Divi Marci , & Commodi , ut notat Cujacius *lib. 10. observationum* , *cap. 21* . Scævola itaque in *I. qui Romæ* , §. *Flavius* , *ff. de verb. oblig.* agit de servo donato ea lege , ut manumittatur vindicta , quæ lex postea a donatario non impletur . Ecce hic species similis ejus , quæ a Diocletiano proponitur . Nam ita donator ut quid alter detur , nimirum libertas servo , qui hoc a donatario stipulatus non est . At quid Scævola dicit ? Inter reliqua duo habet , quæ ad rem nostram faciunt . Primum est donatorem posse de libertate servi convenire donatarium , hoc est , ut modum impleat ; quod ideo notatum volui , ut intelligatur non plene a Diocletiano Jus , quod vocat antiquum , esse expositum ; solum enim dicit licere donatori rem donatam condicere ; omisit vero posse etiam agere ad modum implendum . Secundum est , quod si donatoris heres nolit ad modum implendum agere , nihilominus ex conventione servo libertatem præstari debere , hoc est servum ipsum contra donatarium , heredemve ipsius agere posse , ut sibi libertas præstetur , quippe cum servis causa libertatis est judicium , *I. qui certis in fine* , *ff. de judic.* Ita ergo Jure antiquo is cui in donatione aliquid dari Jussum erat , agere poterat ; quod negabat Diocletianus , dum hoc Jure Principum esse dixit non Jurisconsultorum . Neque hoc solum in donationibus fuit , sed locum etiam habuit in deposito , ut constat ex *I. Publica* , *ff. depositi* , ubi cum quidam res suas deponeret hac lege , ut eæ restituerentur tibi ; Paulus ait ex hoc pacto tibi dari actionem depositi ; licet enim secundum strictam Juris rationem verum sit ex nostro negotio non posse alteri actionem quæri , ut idem Paulus dixit in *I. quæcumque* , *ff. de off. & obligat.* tamen ex naturali æquitate id restrictum ab antiquis Jurisconsultis est in pactis , deposito , & donationi appositis .

Est

Est tamen quædam differentia inter Scævolam, & Diocletianum, quod Scævola dixerit, tunc tlemum servo actionem præstari, cum donator noluerit agere ad modum implendum; ea ratione, quod cum hæc actio servi ex benignitate descendat, non debet impetrari, nisi in subsidium, cum libertas alia via consequi nequit. Diocletianus vero asserere videtur indistincte posse Cajam contra Donatarium agere; nec attendendum esse, utrum donator velit, an non petere modum impleti; & hoc fortasse est Jus novum, quod Principes induxerunt.

Ex dictis facile intelligi potest hanc actionem, quæ præstatur ei, cui quid dari, vel fieri Jussum est, esse utilem personalem; nam in specie Scævolæ nulli dubium esse potest, servum actione personali agere adversus donatarium, ut sibi libertatem præstet. Quare in specie Diocletiane etiam Cajæ utilis actio præstabitur, nimis præscriptis verbis, ut ex fententia Eudoxii Graci scholiastis refert Theodorus lib. 47. Basilicon tit. 1. l. 72. & ratio est quia huic, cui Jussum est dari, vel fieri, quæritur actio ex negotio gesto inter donatorem, & donatarium: constat autem ex negotio non nisi personalem actionem oiri. Quare fallitur Philippus Decius, ceterique, qui eam actionem utilem in rem esse putarunt, quodrum rationes non tanti sunt, ut redargui mereant. Vide tamen sis Covarr. lib. 1. resolut. cap. 14. a num. 3. ad 7. & Giphanius ad d. l. quoties a num. 5. ad 11.

Sed illud videamus, an donator penitentia possit hanc legem ut quid alteri detur, vel fiat, revocare invito, vel ignorantie eo, cui dari, vel fieri Jussum fuerat? Quam quæstionem Glossographi tractant in d. l. qui Roma, §. Flavius. Ubi omnium primus Bartolus, & demum Alciatus, & Duarenus affirmant posse. Idem docent Covartuvias loc. cit. a num. 7. & Giphanius a num. 11. Quæ sententia vera est.

Ita patet ex Paulo in l. si quis, ff. de servis expors. ubi lex dicta venditioni servi remitti potest, ut vendo tibi Stichum ea lege ut postquam tibi decennio servierit, cum manumittas: nam non completo decennio mihi venditori licitum est penitere, eamque manumissionis conditionem emtori remittere: quod deinde placuit non solum in servos venditos, sed etiam in donato locum habere, ut dicitur in l. i. C. si manuscipium ita fuerit alienatum. Itaque si pactum pro libertate interpolatum licet te integræ revocare, eo magis id licitum erit in pactis aliis, ut in quo dicitur rem donatam alteri restituì debere. Nihil enim in Jure nostro æque favorable est, ac libertas.

Nec minus id probat ratio; nam per hanc legem donationi dictam re integra, nullum Jus quæsitum est ei, cui quid dari, vel fieri Jussum est; licet enim ipsi detur actio præscriptis verbis, ut impellat donatarium ad implendum modum; tamen hæc actio non statim nascitur, sed tunc demum cum tempus implendi modi jam advenerit, hoc est in specie proposita transactio decennio: quod constat ex eo, quia cum tibi

dono Stichum, ut post decennium mittas de manu, hæc est donatio cum negotio mixta; itaut ante decennium sit donatio, post vero sit negotium; & ex negotio oritur actio, non item ex donatione, *I. Aris. 30, ff. hoc sit.* Itaque cum negotium incipiat transactio decennio, post illud etiam orietur actio ei, cui dare, vel facere oportet. Hinc est, quod nec ipsi donatori, si velit modum impleri, datur actio, nisi eo tempore finito in *d. I. Arista.* Cum itaque nullum adhuc Jus quæslitum est ei, cui dandum est, vel faciendum, patet esse locum pœnitentie; si enim neminem lazo, cur pactum donationi appositum remittere non potero?

Sunt qui nituntur hoc idem probare ex natura contractus innominati, sed non uno modo proponunt. Covarruvias ait, quia donatio hæc ob rem ea parte, qua negotium est, sapit omnino naturam contractus innominati. Hinc sit, ut elapso decennio in donatione apposito, possit donatorem pœnitere, & servum petere, ut ei iterum serviat. Ergo multo magis integrum ipsi erit pactum remittere, ut servus perpetuo sub donatarii dominio sit. Sed hoc argumentum vitio laborat, cum jam supra & ratione, & legibus palam factum sit, in donatione ob rem locum pœnitentie non esse; licet enim in multis similis sit contractibus innominatis, non tamen ipsi exequatur in omnibus. Hoc recte videns Giphanius in eo industriam suam posuit, ut huic argumento medicinam ficeret, & alio modo proponeret, sed frustra. Dicit enim, quod quamvis donatorem nequeat ita pœnitere, ut eam donationem revocet, tamen ei permittendum est, ut legem donationi dictam remittere possit. Sed hæc ratio seipsum destruit; si enim donatori nil prodest in quantum ad revocandam donationem, quod eam habeat naturam contractus innominati: cur deinde hoc idem ipsi prodesse debet ad revocandum pactum conventum? Hoc itaque argumentum dimittamus, & satis nobis erit probasse, quod proposuimus Jure & ratione jam antea expositis.

Sed duo objiciuntur, quæ diluere opus est. Primo Paulus in *I. ff. qui sine manu iſi.* ubi ita habet: Servus venditus est, ut intra certum tempus manumitteretur, etiamsi sine herede decessissent & venditor, & emtor, servo libertas competit, & hoc D. Marcus rescriptit; sed si mutaverit voluntatem venditor, nihilominus libertas competit. Quare Paulus sibi ipsi contrarius videtur in *d. I. si quis;* sed danda nobis opera est, ut secum concordet.

Multa quidem comminiscuntur nostri, sed quia more suo divinant, non est cur in ipsorum opinamentis referendis, & computandis immoremur. Quod magis receptum est, ita habet, ut in *d. I. I. ff. qui sine manu iſi.* ideo servo competit libertas, etiamsi venditor mutaverit voluntatem, quia emtor sine herede decessit. Quod nobis placet. Verum hoc rejicit Franciscus Caldas de euphytus extinzione, cap. 19. num. 33.

num.33. tum quia hæc responso hariolatur, tum etiam quia inutilis est, cum vix sine herede decedamus. Sed utrumque falso est. Non enim dividat, cum de hoc expressim Paulus meminesit, qui loquitur de eo casu, quo & emtor., & venditor sine herede deceperint; eo enim casu dicit, etiamsi ante obitum venditor voluntatem mutaverit, quia tamen non solum ipse, sed etiam emtor sine herede deceperit, nihilominus servo libertas competit. Non est inutilis; quia verum non est vix nos sine herede decedere, cum e contrario sape contingat, ut ob erati heredem non inveniant, & hic casus non semel in Jure nostro consideratur, adeoque si, qui ob grave æs alienum timet, ne a quoque sua hereditas repudietur, cautum sit, ut unum ex servis suis heredem scribat, quod ex lege *Aelia Sentia* facere permisum est. Sed quamvis demus Francisco Caldas vix esse, ut sine herede quis moriatur, tamen hic casus licet vix eveniat, consideratur a Paulo, & mirum est de hoc dubitatum esse, cum id expressim notetur in ea l.i. ibi, sine herede deceperint.

Sed cur emtore sine herede decedente Paulus scripsit, servo competere libertatem non obstante venditoris pœnitentia? Cujacius in recitatione ad d. l.i. *C. si mancipium ita fuerit alienatum*, ait, ideo hoc factum, quia nullius interest, non emtoris, qui jam mortuus est, non heredis, quia nullum habet. Sed hoc non ita facile admiserim, cum interesse possit creditorum defuncti, qui ideo sine herede obiit, quod hereditas inter creditores reperentes æs debitum dispertienda erat. Horum ergo interest servo libertatem non dari; nam eo libero minus capient. Ob solutionem itaque dubii notandum est, quod sicuti pactum conventum, ut intra certum tempus servus venditus liber sit, appositum est favore servi, ita per pœnitentiam revocatur a vendente, favore ipsius ementis. Quod patet ex eo, quia si post venditoris pœnitentiam emtor nihilominus servum in libertatem afferat, valide id sit; nam eo casu emtor suo favori renunciat, *h. quæsumus, ff. de servis exportandis*. Itaque causa finalis remittendi pactum in servi venditione appositum est favor emtoris, & per consequens ipsius etiam heredis: quo favore cessante venditorem utique non pœnituisse, sed in priori voluntate perdurasset, ut servus libertatem intra tempus præfinitum acquireret. Hinc ergo cum ipse emtor mortuus est, nec ullum post se heredem relinquit, cessat jam favor emtoris, & proinde etiam cessat pœnitentia, quæ ob id facta est, & subingreditur favor servi, cuius gratia in venditione paquum de libertate danda appositum fuit. Merito itaque Paulus ait, quod licet venditor voluntatem mutaverit, cum tamen emtor mortuus est sine herede, servo adhuc libertas competit: qui casus omnino diversus est ab eo, qui ab eodem Paulo propositus est in d.l. *si quis, ff. de servis exportandis*, & ab Imperatore Alexandro in d.l.i. *C. si mancipium ita fuerit alienatum*, ubi emtor, & donatarius servi vivus erat, vel si mortuus, heredem habebat.

Ob.

Objicitur II. ex Proculo in *l. si cum fundum, ff. de pactis.* Sed hic illud contingit, quod s^ep^e animadvertere est in libris nostrorum Interpretum, qui secum facere putant leges, quae manifeste contra ipsos sunt. Plane Proculus omnino palam probat, re integra posse ex penitentia revocari pactum in extranei favorem appositum. Species ita se habet: tu fundum meum possidebas, cum quo pactum inii, ut eum fundum Titio traderes; verum mox me parti penitet, & a te fundum vindico, eumque mihi, & non Titio tradi volo; quæsitum est, utrum id Jure facerem? Respondit Proculus, non aliter me conventionis exceptione excludi debere, quam si aut jam tradidisses, aut si tua causa id inter nos convenisset, & per te non staret, quominus traderes, hoc est regulam esse, me posse pacti converti penitere, & fundum vindicare duobus casibus exceptis. Prior est si res integra non esset, ut si fundus jam Titio juxta placiti fidem traditus a te fuerit. Secundus si tua causa ita conventum sit, hoc est si pactum de tradendo Titio fundum, non tam appositum sit ob utilitatem Titii, quam ob tuam, ut si eundem fundum eidem Titio pena apposita dare promiseras, tunc si per te non stat, hoc est si paratus es tradere, licet non tradideris: frustra ergo voluntatem muto, nec fundum viadicare possum. Patet ergo ex hac lege Proculi nostram definitionem non improbari.

Stet itaque, quod a principio posuimus, legem donationi datam, ut alteri quid detur, vel fiat, re integra posse revocari ex penitentia illius scilicet, qui apposuit, non etiam heredis ipsius, dicta *l. si quis, ff. de servis export.* Imo ex dictis constare potest regulam ita generatim concipiendam esse, nimirum pactum in causa extranei in contractu quo cunque appositum ex penitentia apponentis revocari re integra, hoc est antequam nihil Juris quæsitum fuerit extraneo. Sed videamus quibus modis Jus extraneo acquiritur, ita enim totam rem hanc plane intelligamus. Primo queritur Jus extraeo stipulatione ipsius, dicta *l. quoties, C. de donat, quæ sub modo.* Secundo dici lapsu, argumento *l. Aristo.* Tertio, & maxime traditione, cum scilicet nullum pactum in tempus prænitum est, dicta *l. si cum fundum.*

Sed ut dicam, quod res est, valde dubito, utrum attento Jure Justiniano, ea quæ diximus locum habeant. Nam hæc donatio, quæ fit ea lege, ut quid alteri detur, vel fiat, duplex donatio est. Una in eum, cui statim res datur. Altera in eum, cui ex pacto est dandum quid, vel faciendum. Constat hoc ex *l. Seja, ff. de dote prælegata*, ubi adhibitus ad stipulandum, dotem tibi soluto matrimonio restituendam, si stipulatur mandato mulieris nubentis, & dantis dotem, non intelligitur adhibitus animo donandi, sed tenetur actione mandati heredibus mulieris (ut etiam est in *l. cum quis decedens, §. nuptiarum, ff. de leg. 3.*) Sed si absque mandato adhibetur, tunc donationis causa ad stipulandum adhibitus intelligitur: ita lex illa explicanda est. Itaque quoties tibi do-

dono fundum, ut Cajæ intra certum tempus restituas, tunc duplex donationis est, prior tibi facta intelligitur, altera Cajæ, quæ vel omnino non stipulatur, vel utique non stipulatur. Jussu meo, ideoque semper etiam ipsa donataria censetur. Idem est si tibi dono Stichum, ut post quinquennium manumittas; nam libertas etiam donatur, ut indicat phrasis illa libertate donare; itaut cum in *I. Aristo* dicitur hanc donationem mixtam esse cum negotio, ut scilicet ante quinquennium donationis, post quinquennium vero negotium, hoc intelligendum sit respectu ejus, cui fundus, vel Stichus statim traditur, non item respectu Cajæ, vel Stichi, qui & ipsi donatarii sunt. Hoc posito videamus quomodo hæc secunda donatione facta intelligatur. Non est facta pacto; quia pactum solum inter donantem, & primum donatarium conventum est, sed respectu illius, cui dandum est, vel faciendum, habebitur ut facta per pollicitationem, quæ est solius offerentis promissio; & hinc Juris rigore ex hoc pacto ei, cui dandum est, non præstatur actio, quæ ex pollicitatione non nascitur, nisi facta in Rem publicam sit, ut in tit. ff. de pollicitat. At vero ex benignitate impertitur, tunc cum tempus præsumit lapsum est, ut diximus. Hinc difficultatis ratio desumitur; propterea quod hodie ex Justiniano in *I. si quis argentum, §. penult.* C. hoc sit. Donatio per pollicitationem facta valida est, & obligat pollicentem ad præstandum id, quod donavit; ut si testato dicam serio me. Titio absenti centum donata velle, jam Titius Jure me cogere potest ad præstanda ea centum sibi pollicitatione promissa. Ita ergo cum dono tibi fundum, ut Cajæ restituas, quia statim video Cajæ per pollicitationem donasse, statim etiam ipsi obligor, & perfecta donationis est. Hinc fit me non posse deinde pactum hoc ex pœnitentia revocare; quia revocarem donationem pollicitatione factam, & perfectam contra Juris regulam in *I. 3. C. de donat. quæ sub modo*, ubi habetur; donationem se- mper perfectam sola pœnitentia non revocari.

De Antidoro, seu Remuneratione.

E X E R C I T A T I O N E S .

Cum donatio ob causam ideo fit, quod collata in nos beneficia & merita veluti compensare velimus, remuneratoria dicitur, vel antidorum, ut si donem, quod opera tua adjutus sum. Ita tamen ut donationis merita non excedat; nam in excessu dicetur mera donationis, nisi exiguum sive modicum excessum sit, quod non attenditur, ut monuit Tiracellus in *I. si unquam*, num. 86. **C. de revocand. donat.** Antidoram itaque est donationis non mera ob causam, quæ sit beneficium. Etenim remuneratio solum præcedentia merita respicit, non etiam futura, Imo-

Imola, & Romanus in dicta l. Aquilius.

Communis tamen opinio est antidorum esse donationem impro priam. Verum omni pede renititur Arias Pinellus, qui eam propriam esse putat, tunc cum merita Jus agendi non præstant, ad l. i. C. de bon. mater. 3.par. num.60. cuius argumenta clarissima esse dixit Scipio Gen. tilis lib.2. de donat.inter virum cap.20. Sed neutrum verum est. Omnes hactenus decepti sunt hac in re, quod donationum divisiones, & definitiones omnino ignoraverint. Dicimus itaque antidorum neque propriam, neque impropiam donationem esse, sed esse non meram, quod ex hucusque disputatis clarissimum est, ut ob solam, meramque liberalitatis causam detur, ut demonstratum est, l. i. ff. hoc tit. Sed cum quis donat ob benemerita, puta quia me a latronibus tutatus es., donat ex duplice capite. Primo ad exercendam liberalitatem. Secundo ad remunerandum meritum: ergo in ea donatione non est mera liberalitas, & proinde nec propria, nec improppria donatio est, quæ omnes meræ sunt. Sed erit inter donationes ob causam, quæ sunt non meræ, d.l. Aquilius, in qua, si donet quis Præceptoris suo, quod ipsum scientia, & diligen tia meliorem reddidit, non dicitur meram donationem fecisse, verum officium magistri quadam mercede remunerasse. Nec quidquam agit Accursius ibi verbo, mercedem, in eo textu sermonem haberi de mercede debita pro institutione, quod omnino commentitum, imo falsum; nam merces non donatur, sed solvitur, & tamen Jurisconsultus dicit fuisse donationem, licet non meram; amplius non dicit absolute mercedem, sed officium magistri quadam mercede remuneratum; ubi particula, quædam, aperte ostendit, ibi de vera mercede non agi. Dicimus itaque Jurisconsultum nihil cogitare de mercede ob institutionem debita, quæ eti abundantissime præceptoris soluta fuisset, adhuc tamen cum discipulus præceptoris ob benemerita donat, non omnimodam exercet liberalitatem, sed aliquid compensat, & animum compensandi ostendit, cum dicit se donare ob hoc, quod meritum in se collatum sit.

Probatur id etiam ex l. sed si lege, §. consuleuit, ff. de petitione hereditatis. Proponitur ibi species de bonæ fidei possesso alienæ hereditatis, qui ex ipsa hereditate alicui rem donavit, & vicissim a donatario postmodum antidora, seu remunerations accepit, & dicitur quod inde locupletior sit factus; proindeque heredi remunerations illas restituere teneatur. Ex quo satis arguitur remunerationem esse quidem donationem, quia qui accipit, dicitur locupletior factus, sed vicissim non esse meram. Primo quia bonæ fidei possessor antidora illa restituere tenuit heredi, ea de causa, quod remuneratio facta fit ad compensandum id, quod ex hereditate fuit donatum. Secundo quoniam Jurisconsultus ibidem subdit, haec remunerationem velut genus quoddam esse permissionis. Cum vero Pinellus ait, haec verba ornatus causa obiter esse ab Jurisconsulto proleta, nec preinde attendenda, omnino nugatur.

Huic

Huic nostræ opinioni nihil obstant, quæ in contrarium congeruntur, præcipue a Pinello: nos levibus omisso, unum, vel alterum, quod majorem vim habere videtur, discutiemus.

Non obstat itaque primo, quod nulla donatio sine causa fiat, sed omnis quæcumque ea sit ob meritum aliquod accedat, *I. nec adjectit, ff. pro socio.* Nam respondemus veruni quidem esse donationem omnem ob merita fieri, sed non ideo statim omnis donatio remuneratoria diciatur. Sciendum itaque ad remuneracionem opus omnino esse, ut expressa meritorum mentio fiat, ut probant nostri ex *d.l. Aquilius ibi: Quod cum patre meo, &c.* itaut si nulla horum mentio habita sit, non remuneratoria, sed mera donatio est, & dicitur; atque hic locum habet ea *Juris regula*, quod aliud operatur expressum, ac tacitum.

Nec iterum obstat Papinianus in *I. donari, ff. hoc tit. & ff. de regul. Juris*, ubi habetur: *Donari videtur quod nullo Jure cogente conceditur.* Non enim hiac sit remuneracionem meram donationem non esse, siquidem Papinianus in ea lege non loquitur signanter de mera donatione, sed generatim de omni, sive mera sit, sive non, & ultra ultra sit, ait, fieri nullo Jure cogente.

His itaque positis, Glosographi multa hic de donatione remuneratoria congerunt; quorum pleraque non legibus aut rationibus, sed opinionibus tantum, & allegationibus barbaricis confirmantur, ut ait Hubertus Giphanius ad *I. si pater, §. i. num. i r. ff. hoc tit.* Nos prius certa, mox incerta proponemus.

I. Itaque donatio remuneratoria ultra modum facta valet; ita Paulus in *d.l. si pater, §. i. in hac verba*: *Si quis aliquem a latrunculis, vel hostibus captum eripuit, & aliquid pro eo ab ipso accipiet, hac donatio irrevocabilis est, nam merces eximii laboris appellanda est, quod contemplatione salutis certo modo aestimari non placuit.* Hanc legem pessime interpretatus est Accursius, qui credidit Jurisconsultum dicere donationem hanc, etiam ingratitudine secuta, revocari non posse. Sed fallitur, quoniam tempore Pauli nondum Imperator Philippus ob vitium ingrati revocari donationem permiserat; quare de hac revocatione loqui Paulus non potest; sentit itaque Jurisconsultus de modo donationis a lege Cincia statuto, quem si donationes excedebant inutiles erant, & ait, hoc locum non habere in antidoro, quod potest valide modum excedere, ut patet ibi *certo modo*. Verum quoniam hodie modulus legis Cincie sublatus est, & in ejus vicem introducta est insinuationis ideo legem hanc de insinuatione accipiemus, ut nimirum in antidoro insinuatione opus non sit, quod tradunt communiter nostri, & Cujacius *lib. 29. questionum Papiniani ad I. Aquilius*. Concedimus tamen dictam legem ex æqualitate rationis extendi ita posse, ut nec revocetur antidorum ex quinque causis ingratitudinis, neque agnatione liberorum. Quare Cujacius ait *tit. C. de revocand. donat.* non pertinere ad donationes

nes remuneratorias lib. 17. observat. cap. 33.

II. Ex l. idemque, §. ult. iudicata l. si vero in princip. ff. mand. differentia inter principalem, & inter remuneratoriam donationem afferatur, quod fidejussor, cui creditor accepto tulit ex causa remunerationis, habeat actionem mandati contra debitorem, pro quo fidejussit, ex principali donatione non habeat; hujus rei rationem Jurisconsulti passim non intelligunt. Henricus Bocerus, cap. 117. de donat. num. 5. eam dicit esse, quod qui accipit antidora, non fit inde locupletior, & proinde pro debitore ex suo solvisse intelligitur; quod tamen falsum est, cum omnino contrarium sit, d. l. sed si lege, §. consuluit, ff. de petit. heredit. in qua diserte is, qui antidora accipit, dicitur locupletior factus. Dicimus itaque cum Giphan v. loc. cit. num. 32. rationem diversitatis esse, quia in antidoro abest aliquid fidejussori, in donatione vero simplici non item.

III. Hæc ex meritis donatio facilius præsumitur; patet id ex l. si vero, §. inde Papinius, ff. mandati, ubi patronus præmium emendo bessem pretii solvit, mox idem liberto donat ea lege, ut residuum pretii hoc est trientem venditori redderet; id facit libertus; qui deinceps patrono idem præmium videnti consensit, censetur patrono donasse, nec trientem petere potest; actus itaque gestus, alias dubius, pro donatione habetur, cum agitur de antidoro. In aliis vero casibus donatio facile non præsumitur, quia nemo facile pecuniam suam jactat, l. cum de indebito, in princip. ff. de probat. & qui donat, perdere videtur, l. filius famelias, in princ. ff. boc tit. Sunt tamen hujus regule exceptiones aliquot, de quibus post alios agit Bocerus cap. 1. num. 19.

IV. Antidorum latius interpretatur ac simplex donatio, quare licet habitatio alteri concessa ab herede donatoris revocari possit, cum simplex donatio est, l. Lucius, ff. hoc tit. id tamen cessat cum remuneratoria est, d. l. Aquilius: sed de his legibus latius in 2. par. agemus.

Hæc tantum privilegia in Jure nostro donationibus remuneratoriis concessa reperiuntur. Sunt tamen alia, & quidem plurima, quæ a Glossographis adjecta sunt. De h.s videamus.

I. Ex causa remunerationis putant donatorem teneri de evictione, ex d. l. idemque, §. ult. & ex l. si vero, in princ. ff. mandati. Id tamen in ea lege non dicitur; nam mandati actio, de qua ibi agitur, non competit donatario contra donatorem, ut sulte credunt, sed adversus debitorem. Verius itaque puto ita donantem evictione non obligari, ut docuit Decius in l. si donatione, num. 35 & sq. C. de collat. aliquie: sed nullus haec tenus vera, & sola ratione id demonstravit. Nos dicimus, quod ideo in reliquis donationibus negatur evictio, quia is, qui accipit, est rei lucrativæ possessio, ut notat Paulus 5. sentent. tit. 11. §. institutus, & quia is, qui dat, non debet liberalitatis suæ paenam pati, l. ad res donatas, ff. de ædilit. edit. Sed hæc rationes etiam in antidoro locum habent; propterea quod qui antidorum accipit, locupletior fit,

d. l. sed

d.l.sed & si lege, §.consuluit, ff.de petit.bereditatis, & qui antidorum dat, liberalitatem etiam exercet, licet non meram. Quare neque hic suæ munificentia pœnam subire debet, & propterea de evictione non tenebitur. Verum tamen est Jure Longobardico cautum esse, ut in antidoro detur evictio, l.2. de evictionibus inter leges Longobardicas.

II. Docent donatorem in causa remunerationis teneri in solidum, hoc est etiam ultra id, quod facere potest, Tiraquellus loc.cit. n.58. & 144. Sed placet contraria opinio, tum quia leges generatim docent eum, qui ex causa donationis convenitur, in quantum facere potest condemnari, deducto etiam ære alieno, l.inter eos, §.finali, ff.de re judicata, §.sed et si quis, Institut. de actionibus. Ergo id etiam in donatione remuneratoria locum habere debet; nam Jura singularia non sunt recipienda sine certa lege, quæ ea statuat, argum. l.quod vero, & l.Jus singulare, ff. de legibus; tum etiam quia liberalis non est avare exigendus, nec debet suæ liberalitatis pœnam ferre; ita Giphanius loc.cit. num.33. & seq. Bo-cerus nam.29. qui tamen in gratiam Pragmaticorum putat contrariam opinionem posse defendi ratione, quod donator hic duplici vinculo ligatus est; primo naturali ad antidora; deinde etiam ex promissione sua; sed quoniam hoc duplex vinculum non facit, quin donator hic liberalis non dicatur; ideo ratio hæc nihil urget.

III. Inter virum, & uxorem ajunt donationem remuneratoriam valere. Probant id tum ex l.ult. ff.de donat.inter virum, ubi si uxor nummis a viro sibi donatis servum emerit, qui plane uxor fit; mox vero servum hæc donationis causa viro tradiderit, rata erit traditio, & do-natio; tum ex l.quod autem, §.si viro, ff. cit. tit. ubi si vir, & uxor, quia invicem sibi dopaverint, & maritus servaverit, uxor consumserit, recte placuit compensationem fieri donationis, & hoc D.Hadrianus con-stituit. Ex his, inquiunt, patet antidorum licite inter conjuges fieri, constat enim donationes mutuas, de quibus citatæ leges loquuntur, etiam remuneratorias esse, d.l.sed et si lege, §.consuluit.

Sed verius est donationem remuneratoriam inter conjuges interdi-ci, ut censuit Arias Pinellus in l.1.C.de bon.mater. par.3. num.62. vers. insertur nono, & Scipio Gentilis lib.2. cap.2. quorum tamen argumen-ta parum urgent, cum fundentur in eo, quod putant remuneratoriam donationem esse propriam, & simplicem donationem, quod falsum es-se jam ostendimus. Nos ergo istud ita probabimus. Ratio potissima cur donationibus conjugalibus interdictum sit, est ne alter ditior, alter pauperior fieret, ut constat ex oratione D. Antonini: sed qui antido-rum accipit ditior fit, ut diserte traditum est in d.l.sed et si lege, §.con-suluit, qui autem dat, pauperiorem fieri, nullum dubium esse potest, cum patrimonium suum diminuat: quare dicendum est etiam antidora inter conjuges prohibita esse.

In quantum ad donationes mutuas, dicimus eas permitti, non quia

funt remuneratoria, licet etiam hujusmodi sint, sed quia mutuae; nam mutuae donationes tunc inter conjuges substituentur, si tantundem simul quis accipiat, aut paulo plus minusque, quam dederit, ut notat Gentilis idem lib. I. cap. 5. tunc enim nullus conjugum fit pauper vel dives, cum pene quod dedit accipiat, quare optimo Jure permittuntur; ita ergo cum quis donat uxori centum, quae inde servum emit, & viro invicem donat; neque vir diminuit, vel auget patrimonium, neque uxor; & proinde nihil est, cur prohibita dicatur, d. l. ult. Ita quoque si vir uxori anulum, qui centum valeat, causa donationis tradat, & e contrario uxor viro Sypnum, qui tantundem aestimetur, ob eandem rationem substituentur donationes: licet autem mox ex supervenienti causa vir servet sibi donatum, uxor amittat, non tamen ad irritum recidere potest, quod ante Jure valuit, l. donationes, in princip. ff. hoc tit. quod confirmavit Imperator Hadrianus in d.l. quod autem, §. si vir. Itaque permissae inter conjuges mutuae donationes sunt, non quod alter alteri remunerare possit, sed quoniam nihil ex patrimonio diminuitur, ut propte ea nihil etiam pro donationibus remuneratoriis inter conjuges substitendis ex dictis Juribus erui possit.

IV. Militem, qui focariæ suæ donare prohibitus est ab Imperatore Antonino in l.2. C.de donat. inter virum, volunt id posse, si ab hac in ipsum beneficia collata sint. Ancharenus conf. 247. Docius confil. 132. Afflictus decis. 172. afferunt ad hoc textum in l. miles in princ. ff. de re judic. quæ tamen lex nihil ad rem nostram facit, cum ibi solummodo dicatur militem ob æs alienum in Castris contractum non conveniri, nisi quatenus facere potest. Stet ergo regula, hanc militis donationem in focariam nunquam valere.

V. Traditum est Procuratorem, qui liberam administrationem habeat, posse antidorum dare ei, qui in dominum beneficus fuisse probatur, Bartolus in l.ambitiosa, ff. de decretis, in quam sententiam communiter itum est apud Tiraquellum in l. si unquam, verbo, donatione largitus, num. 26. Sed nullo modo id substitueri potest, & improbatur per Cajum in l.contra, §. si filius, ff. de pactis, ubi filius, aut servus licet liberam peculii administrationem habeant, concessum tamen Jus donandi non habent; & ratio est, quia donare est perdere, non administrare res. Quare contrariam sententiam recte veriorem judicat Aretinus conf. 24. quam amplectuntur Bocerus cap. 13. num. 19. Giphanius ad l. penult. n. 21. ff. hoc tit.

VI. Tutorem, & Curatorem propter remunerationem posse donare, existimant Raphael Cumanus conf. 101. Romanus conf. 50. sed plane non est recedendum a regula, quæ de bonis pupilli, vel adolescentis donare prohibet, l. ult. ff. de Curat. furios. l. tutor ad utilitatem, l. Lucius, §. ult. ff. de administrat. tatorum, l. pactum Curatoris, C. de pactis. Non enim ulla ratio est, vel lex, quæ ab hac regula recedendum esse suadeat,

vel

vel jubeat. Et plane ad rem nostram non facit Paulus in *I. cum plures, §. cum tutor, ff. de administrat. tutorum*; nam ibi dicitur tutorem præstatre præceptoribus pupilli mercedes, quod plane necessitate fit, non ex liberalitate. Dicitur etiam eum posse solemnia munera parentibus, cognatisque pupilli mittere. Stultum autem est credere munus hic accipi pro antidoro, cum significet munuscula, quæ causa nuptiarum, vel natalium, conjunctis nostris mittimus, quæ non præstare incivile est, & contra bonos mores. Hinc tutor, qui non rebus modo, sed etiam moribus pupilli præponitur, hæc solemnia munera mittere potest, ut dicitur in *d. §. cum tutor*; quare nihil in ea lege habetur de antidoro, & licet tutori munus solemnie dare permittatur, non licebit tamen remunerare. Ita maritus potest uxori munera natalitia dare, vel contra, *I. sed si vir, §. penult. ff. de donat. inter virum*, & nihilominus antidorum præstare non potest, ut jam demonstratum est.

VII. Constanſ nostrorum opinio est donationem patriam ob remunerationis causam valere. Sed præ omnibus hic inspiciendum est, utrum filius de patre suo possit benemereri, quem lapidem prius omnium movit Jacobus Menochius, qui *lib. 3. præsumt. cap. 29. & num. 4. ad 20.* negat, nec videtur motus levi ratione; quandoquidem qui præstat id, quod Jure debet, non dicitur benemeritus, sed justus, & æquus; constat autem filium omne obsequium, operas omnes patri, a quo vitam, & alimenta recepit, debere; si enim patri non debemus, cui quæſo debebimus? Hinc filius obsequia patri præstat Jure Decalogi; eidem aliena præstat tum naturali ratione, tum etiam Jure civili, ut patet ex Ciconiariis legibus, quæ sunt in *I. si quis a liberis, §. parens, ff. de liberis agnosc.* & in *I. ult. §. ipsum autem, C. de bonis, quæ liberis.* Reliquæ operas quibus patris vita subſinetur, & defendit, nisi filius præsta- verit, poterit ut ingratus exheres scribi: quapropter dicendum videtur, filium, si hæc omnia patri exhibeat, non esse benemerentem, sed justum, & æquum; quod omnino docuit Aristoteles *8. eth. ult. in hæc verba e. Deo, & parentibus nemo unquam dignum reddere potest*: sed qui quoad potest, obsequitur, bonus, & æquus esse videtur. Hanc Menochii rationem nullo modo solvit Fachineus, dum *lib. 3. contror. 74. contra Menochium* scribit, sed solum plures leges congregavit, quæ meritorum filii in patrem, matremque meminerunt, ut est in *§. I. art. b. de non eligendo, I. de emancipatione, C. de legit. heredit. I. cum pater, §. rogo, ff. de legatis 2. I. I. §. toties, ff. de collat. bonor.*

Sed hoc si recte attendamus, nullius momenti est, omnemque nondum dissolvet Papinianus in *d. I. cum pater, §. rogo*, in qua querit, quid intelligendum sit, cum dicitur filius promeruisse de matre, & respondet Jurisconsultus hoc tam esse si matrem beneficio affeccerit, quam si matrem non offendit; ita ut qui filius matrem offendit, demereatur, qui non offendit mereatur. Ex quibus perspicue manifestum fit in filiis preme- rendi

rendi verbum ; aliter accipi , ac in reliquis personis ; nam in aliis ille promeretur , qui beneficium confert ; in filiis etiam , qui non offendit , illo casu proprie loquitur , isto improprie . Sed si queramus unde haec varia verbi illius acceptio orta sit ; unica tantum ratio nobis occurret ; nimirum quia filius nunquam dici potest in patrem , matremque vere beneficium conferre , nam quidquid confert debitum est ; ideoque nunquam etiam de genitoribus promereri potest , sicuti extraneus de extraneo , quia unus in alterum potest , non solum debitum , sed verum beneficium conferre . Hinc ergo factum est , ut filii de parentibus nequeant hoc sensu promereri , sed solum improprie , non solum si beneficium conferant , sed etiam si non offendant , quod nisi ita explicemus , sed e contrario dicamus semper hoc verbum , proprie , & eodem sensu accipi , nam rem absurdissimam attribueremus Papiniano , hoc est facilius posse filium promereri de genitoribus , quam extraneus de extraneo ; quandoquidem in his non satis esset , & vere non satis est , si unus alterum nunquam habuisse dicatur , sed quid amplius exigeretur , scilicet beneficium fuisse collatum : in filiis vero ad promerendum non aliud opus esset , nisi leve istud , & propemodum nihil , hoc est non offendisse ; itaque Papinianus stat pro Menochio , non contra ipsum pugnat , ut putabat Fachineus , & juxta Papinianum interpretandæ sunt reliquæ leges , quæ de meritis filiorum meminerunt .

Si ergo verum est filium de patre promereri non posse , quid stultius quam querere , utrum patria donatio collata in filiumfamilias benemerentem valeat , an non ? Sed age demus Fachineo , reliquisque , filiumfamilias vere posse de patre benemereri , adhuc tamen dicimus eam donationem Jure non substineri ; nam ideo paterfamilias in filium donationem nullam conferre potest , quia ea statim a filio in patrem regredieretur , quæ certe ratio etiam locum habet in filio benemerito , cum regula sit omne profectum nunquam filiofamilias acquiri , sed patris semper esse ; ergo haec etiam donatio nullius roboris est . Sed respondet Fachineus res ita a patre donatas non tam ex substantia patris , quam ex propria industria filium acquirere , eoque accensendas esse adventitiis . Verum frustra est ; nunquam enim in Jure nostro legimus ad res adventitiias constituendas satis esse , si ex filiifamilias industria querantur cum simul exigatur omnino , ne a patre proveniant . Ita expressum Justinianus in l. ult. in princip. C.de bonis , quæ liberis .

Tandem ajunt Ecclesiasticos posse remunerationis causa res Ecclesias immobiles donare , quod pugnat perspicue cum I. jubemus nulli , §. scienses , C.de Sacros. Eccles. ubi Leo Imperator dicit Archiepiscopo , & Ecclomis Urbis Constantinopoleos nulla occasione vel tempore ad vicissitudinem beneficii collati (colorati legit Baldus & Cujacius novell. 7.) aut gratiæ referendæ donandi immobilia , vel quæ pro immobilibus habentur , facultatem permissam esse . Hanc legem extendit ad omnes Ecclesiasticos

sticos cuiuscunque regionis, & locum, Imperator Justinianus in novell. 7.
de nos alienand. & novell. 120. de alienatione, & emphyteusi.

Atque hæc de antidoro, & omnibus donationum speciebus, ea-
rumque proprietatibus dicta sunt satis.

De Modis, quibus vel donatio fit, vel ad donandum obligamur.

C A P. III.

Duo omnino sunt modi, quibus donationes perficiuntur, alter
de Jure civili, ut mancipatio, alter de Jure gentium, ut tradi-
tio. De priori dicendum prius est.

Mancipatio est imaginaria venditio, & eruditio. Hæc in pluribus
causis elim a Romanis adhibebatur, ut in testamento, quod per æs,
& libram dicebatur; quod primus Constantinus Imperator substulisse
videtur in *I. quoniam, C. de testamentis*; quemadmodum ostendunt ver-
ba illa: Ademtis his quorum imaginarius est usus. Adhibebatur etiam,
& quidem tribus vicibus, cum filius familias ex patria potestate exfolven-
dus erat, quod explosit Justinianus in §. *præterea*, *Quibus modis pa-*
tria potestas. Solitum quoque erat usurpari in adoptionibus; nam Sue-
tonius ait Augustum sibi Cajum & Lucium adoptasse, per assem (hoc
est per æs) & libram emtos a patre Agrippa. Ejus etiam usus erat in-
donatione, itaut res mancipi per mancipacionem; res nec mancipi-
per traditionem donarentur, ut patet ex *C. T. beod. hoc tit.* Sed quæ fuerit
mancipacionis solemnitas videamus.

Fiebat quinque testibus, & libripende Civibus Romanis puberi-
bus præsentibus, & eo qui antestatus dicebatur.

Aderat libripens, quia cum Veteres non ære signato, sed gravi-
uterentur, coque penso non numerato, ideo nullæ venditiones celebra-
bantur, nisi coram eo, qui æs penderet. Is libripens dicitur. Adhibeba-
tur etiam antestatus, sed quis esset, non ita obvium est. Conjectura
Alexandri ad Cajum est antestatum fuisse, qui id agebat, ut quinque
testes Cives Romanos puberes convocaret, mox cum libripende manci-
pationi interesset, & quinque testium aures, antequam mancipatio per-
ageretur, semel, atque iterum, ut rei gestæ memores essent, velleret,
& sic antestaretur. Id enim antestari est, ut patet ex Plinio *lib. 11.*
cap. 45. Est, inquit, *in ima aere memorie locus, quæ tangentes ante-*
stamur. Et Horat. *lib. 1. satyr. 9. Licet antestari? Ego vero oppono auriculam*. Tum qui rem mancipio accipiebat æs teniens ita dicebat: *Hanc*
ego rem ex Jure Quiritium meam esse ajo, eaque mibi cuncta est hoc arc,
autemque libra. His dictis ære feriebat libram, idque æs dabat ei, a quo

missi-

mancipio accipiebat, quasi pretii loco: & res omnis erat absoluta. Hoc etes grave ab antiquis dicebatur Raudusculum, ut constat ex Varro *lib.44. de ling. latin.* mox cum signaretur erat nummus sextertius: quare apud Vitruvium *lib.2. cap.4.* legitur: *Nummo sextertio mancipio dedi.* In matrimonio per coemtionem puto dictum assem Cajanum, ex illis verbis, *ubi tu Cajas, ego Caja.* Atque ita acc pio Statuum:

Emitura plus minus aße Cajano.

Ex dictis plura colliguntur ad nostri Juris intelligentiam. Primo quia haec solemnitas, seu mancipatio in omnibus alienationibus adhibebri solebat, hinc intelligitur unde factum sit, quod in lege Decemvirali emtionis verbo omnis alienatio comprehendenderetur, ut dicitur in *I.statuliberi*, §.scd verissimam, ff.*de statuliberis*, & nomen venditionis generatim sumtum omnem omnino actum denotet, quo dominium transcribatur, *I.sicut*, *b.venditionis*, ff.*quibus modis pignus, cum concordantibus ibi a gloss. citat.* Propterea si venditio rei prohibita sit, etiam donatio prohibita intelligetur, si modo aliqua via, & ratione colligi possit eum, qui prohibuit, venditione nomine generatim sumto usum fuisse, ut si dictum fuerit, ne quid vendatur extra familiam, ut disponitur in *I.4. C.de fideicommissis*. ibique notant Bart. & Salyc.

II. Quia haec solemnitas cum animo donandi adhibebatur, erat imaginaria venditio, sed re vera erat donatio; ideo statutum est ne a nomine donationis donatio penderet, sed a mente dantis & accipientis, cum plus valeat, quod agitur, quam quod simulate concipiatur, *tit.G. plus valere*; quare si verbo donationis dominus colono ob sterilitatem anni remiserit, deinde sequentibus annis contigerit ubertas, nihil obest domino remissio, quasi non sit donatio, sed transactio, *I.ex conducto*, §.*Papinianus*, ff.*locat.* & e diverso, si ut donaretur venditionis contractus simulatus est, non est emitio venditio, sed donatio, *I.3. C.de contrab.emt.* Imo etiamsi quis conduxit *nummo anno*, conductio nulla est, quia & hoc donationis instar inducit, *I.si quis conduxit*, ff.*locat.* De his donationibus velatis intellexit Constantinus Magnus in *I.donatio*, *C.de donation.* ubi meminit donationis cognominatae animo dantium, accipientiumque sententiis; hoc est, ut Theodorus græcus glossator interpretatus est, donatio velata alterius contractus titulo, quod probat Cujacius *lib.2. observat. cap.4.* & Jacobus Gothofredus ad *I. i. C.T'beod. de donat.*

III. Colligi potest, quid voluerit Justinianus in *I.ult. C.boc tit.* ubi statuit rejicienda esse verba illa, quæ olim in donationibus apponi solebant, nimirum sextertii nummi unius assis, vel quatuor, quæ verba nil mirum est non intellecta fuisse ab Accursio omnis antiquitatis ignaro; pertinent enim ad formam donationis, quæ cum post mancipationem in scripturam redigebatur, nummis sextertii, qui pro varietate temporum

va-

varius fuit, mentio fiebat, quo mancipatio facta erat, ut patet in inscriptione Urbis Romæ, Fuggeriana, cuius verba hæc sunt: *Hoc monumentum Lucius Tarurius Sabinus se vivo donavit Lucio Satio Syphoro, mancipavitque sextertio nummo uno; quæ verborum solemnitas postea in omnes donationes obrepit, ut ex d.l.ult. patet.* Et hæc auferitur a Justiniano ibidem; ita tamen ut cuique permisum sit iis uti, vel non uti, ut magis libitum est.

Et hæc de modo donandi civili, qui jam sublatuſ est: dicamus de eo, qui est de Jure gentium. Modi quibus rerum dominia Jure gentium nobis acquiruntur, tres omnino sunt; occupatio si res nullius est; traditio si res dominum habet; & accessione, quæ locum habet tam in rebus nullius, quam in alienis: ideo cum donatio, si originem spectes, sit acquisitione de jure gentium, uno ex his modis perficiatur, oportet. Certum est autem ex his, quæ disputata sunt cap. i. quæst. i. perfici traditione, non item occupatione, quia non donantur res nullius, nec accessione, quia in hac potius juris censura, vel facto meo, quam facto alterius (quod factum in donatione requiritur) dominium rerum nostrum sit; ideo unus tantum erit modus, quo donatio perficitur, nimirum traditio. Ceterum, ut traditio dominium transferat, varia exiguntur, jus, sive dominium tradentis, capacitas accipientis, affectus utriusque in idem, res corporalis, & justa traditionis causa, ut patet in tit. ff. de. acquir. rerum dominio.

Verum gravis hic quæſtio est, si dissensus sit dantis, & accipientis in causam, utrum vitiet causa ſolum, an etiam traditio. Finge pecuniam tibi traditam animo donandi, quam tamen animo mutui accipis; hic dissensus est in causa, sive titulo; datur enim pecunia titulo donationis, & accipitur titulo mutui; quæſtio hinc duplex eſſe potest. Prior est si error iste in causa ita vitiet causam, ut nec donatio, nec mutuum sit; altera si vitiet etiam traditionem, hoc eſt, ut ea traditione propter etas rei translata non sit. Ad hanc duplēm quæſtionem non advertunt nostri, sed eas, tanquam una sit, invicem confundunt. Sed falluntur, ut per ſe clarum fiet.

Quoad primum attinet, dubitandum non eſt causam vitiari. clarissima enim ſunt verba Ulpiani in l. ſi ego, ff. de rib. credit. ubi habet Si ego pecuniam tibi quaſi donaturus dedero, tu quaſi mutuam accipias, Julianus ſcribit donationem non eſte, ſed an mutua ſit videndum eſt. & puto nec mutuam eſte. Ratio utriusque propositionis in promtu eſt: non enim eſt donatio, quia ad eam necesse eſt, ut utrinque concurrat animus, & affectus dantis, & accipientis liberaliter; non eſt mutuum, quia in mutuo, & in omni contractu consensus requiritur utrinque, ut obligatio conſtituatur, l.3. §.1. ff. de A. & Ob. Quare cum ad causam requiratur consensus, & hic ſit dissensus, hinc ſit, ut nulla ſubſit cauſa.

In quantum ad ſecundum an ea pecuniae traditione dominium,

Ddd

& pro-

& proprietas transcribatur, dubitatio magna est. Ulpianus enim in *cis.* & *si ego negat*, his verbis: Magis (puto) nummos accipientis non fieri, cum alia opinione acceperit, hoc est quia opinionum diversitas sive dissensus facit causam nullam, ideo traditio nuda est; constat autem numquam nuda traditione dominium transferri, ut habet Paulus in *I. numquam, ff. de acquir. rer. dominio*. Verum Julianus Ulpiano diserte in quaestione proposita adversatur in *I. cum in corpus, ff. cit. tit.* Cujus verba adscribam: Si pecuniam numeratam tibi tradam donandi gratia, tu eam quasi creditam accipias, constat proprietatem ad te transfire, nec impedimento esse, quod circa causam dandi, aut recipiendi dissenserimus. Quare juxta Paulum ad proprietatis translationem satis est, si in *corpus*, quod traditur, consentiamus, licet in *causa* dissentiamus. Id negat Ulpianus.

Ut hanc Jurisconsultorum discrepantiam de medio tollant, multa Nostri comminiscuntur. Alciat. lib. 5. parerg. cap. 14. secutus Francitcum Aretinum torquet verba Juliani, itaut apud ipsum accipiens pecuniam quasi creditam, intelligendus est accipere quasi sibi debitam; ut trado ego tibi pecuniam animo donandi, tu eam accipis, non ut donatam a me tibi, sed ut debitam, accipis, inquam, in solutum, & hoc casu transferetur dominium, quia subest causa, nempe obligatio, sive contractus. Donellus vero ad *d. I. si ega e diverso* torquet verba Ulpiani, putatque illa, nummos accipientis non fieri, ita esse accipienda, quasi dictum sit, fieri quidem, sed non plene, & perfecte, eo quod conditione possint repeti. Verum haec nugas sunt, quas palam utsiusque Jurisconsulti verba non ferunt. Et merito Aretinus reprehenditur a Ludovico Charonda lib. 2. cap. 2. aliisque, & Donellus rejicitur ab Huberto Giphanio ad *d. I. cum in corpora*. Nec alii, qui hanc materiam tractandam suscepérunt, meliora his reponunt.

Mihi plane dubium non est Julianum, & Ulpianum hac in re de industria dissensisse, nec posse sine cavillo ad concordiam reduci, qui discordes esse voluerunt. An ergo reprehendemus Tribonianum, quod leges sibi invicem adversantes nobis observandas proposuerit? Nihil minus, si verum est, quod jam supra monuimus in *ff. cum plurimum Jurisconsultorum pugnantia responsa posita sunt*, quorum unum sit opinio, alterum sententia, ea mente fieri, ut unius opinio rejiciatur, retenta alterius sententia. Ita plane in casu nostro dicimus observandum pro lege esse responsum Juliani, quod per modum sententiae conceptum est, cum ait: Constat proprietatem ad te transfire; e diverso vero referri tantum, non etiam probari responsum Ulpiani, quod opinionem solum habet, ut patet ex illis verbis, Magisque puto. Sed videndum est an id merito fiat, sive utrum recte Juris rationi innittatur sententia Juliani, cum dicit dominium transferri, etiam si error, & dissensus sit in causa; Affirmat Donellus, & Giphanus, quod verum est.

Pro-

Probatur, nam ad translationem dominii opus est, ut traditio non sit nuda, sed cum causa justa. Consentiant in id Paulus & Ulpianus, ille in d. I. nunquam, ff. de acquir. rer. dom. iste lib. regular. tit. 19. & quidem rationi consentaneum est, nam cum nihil sine causa fiat, consequens est, ut qui sine causa tradit, nihil egisse, & tradidisse videatur. Ceterum in specie proposita, cum ego trado quasi donatus, & tu accipis quasi mutuum, adest causa justa traditionis. Quare dicendum est dominium transferri. Quod adsit causa justa, perspicuum fit ex eo, quod cum ego trado, quasi donatus, duplum habeo tradendi causam. Prima est, ut in te rei dominium transferam. Secunda, ut transferam titulum donationis, possem enim alio titulo transferre. Hinc quamvis causa secunda nulla sit, seu vitetur ex dissensu, subest tamen prior causa, nimurum velle rei dominium in te transferre: in quam causam etiam ipso consentis, quoties enim accipis eam pecuniam, quasi mutuum, duplum etiam accipiendi causam habes. Prima erit, ut in te dominium rei transcribatur. Secunda, ut fiat ratione mutui, & proinde consentis mecum in prima causa, licet dissentias in secunda, sive in mutuo, quæ esusa propter dissensum vitiatur, non secus ac vitiatur causa donationis. Adest itaque traditionis causa, nimurum dominii translatio, quæ quidem justa est, cum inde nullus invitetur ad delinquendum: in hanc concurredit affectus dantis & accipientis: ergo dominium transfertur. Et sane cur dicemus dominium non transferri, si consentimus ambo in hoc, ut dominium per traditionem transferatur? hoc esset contrarium naturali æquitati, ut constat ex Cajo in I. qua ratione, §. bæ quoque, ff. de acquir. rer. domîn. ubi de acquisitione per traditionem agens, ait: Nihil enim est tam conveniens naturali æquitati, quam voluntatem domini volentis rem suam in aliud transferre ratam habere. His accedit, quod in causa indebiti, si quis alteri solvat, putans se ei debere, transfert dominium in accipientem, quamvis non debeat, quia animus utrinque fuerat dantis, & accipientis ad dominium transferendum. Hinc ad eam rem repetendam non datur vindicatio, sed condicatio; condicimus enim quod nostrum non est, sed nobis debetur, toto tit. de condic. indebiti.

Hinc non obstat contra Julianum ratio Ulpiani, cum dicit, ideo nummos accipientis non fieri, quia alia opinione accepit, hoc est ego dedi titulo donationis, tu accipis titulo mutui. Non obstat inquam, quia hinc solum colligi potest non valere neque mutuum, neque donationem; in hoc enim diversitas opinionis est, sive dissensus. At vero circa translationem dominii secus se habet, cum in ea consenserimus; tunc itaque verum esset dominium non transferri, si ego tradam quasi donatus, tu accipias quasi depositum; tunc enim quia non consentimus in dominii translationem, ideo non transfertur dominium; & insuper neque donatione, neque depositum ullius momenti est, nempe dissensus est in prima, & in secunda causa traditionis: & hoc est traditionem esse nudam.

Fit etiam donatio per traditionem fictam, quæ etiam quasi traditio dicitur. Ut vero pateat hanc locum habere in donatione, opus est, ut in ejus explicatione aliquantum immoremur. Ejus quaternas facio species, Fictio brevis longæque manus, Traditionis per symbolum, seu notam, Traditionis legalis, & quæ in alia traditione fundatur.

Quid sit brevis, & longa manus in Jure nostro, non omnes intelligunt. Nos dicimus brevem manum esse eum pro duabus traditionibus, quæ fieri deberent, a primo ad secundum, a secundo ad tertium, unica tantum fit, seu vera, seu ficta, ut si primus recta tradat tertio. Manifestum id est ex Ulpiano, qui inter Jurisconsultos solus de brevi manu mentionem habuit in *I. licet s. r. ff. de jur. dot.* ubi si quis debitori marito sic acceptum ferat, ut velit mulieri donatum, videtur brevi manu acceptum a muliere, & marito datum, & maritus uxor debitor manet, tanquam ab ipsa accepisset. Ecce hic datur a primo, scilicet creditore, tertio, qui est maritus, brevi manu quod tradendum erat a creditore mulieri (quæ hic dicitur secunda) & ab hac marito. Similis castus habetur in *I. haec ratio, §. final. ff. de donat. inter virum, in I. 2. §. cum vero, in I. qui id, §. fin. ff. hoc tit. in I. singularia, ff. de rebus creditis, & in I. quod meo, §. si venditore, ff. de adquir. posse.* Longa manus idem est, ac brevis, quod inter tot Interpretes solus Accursius recte vidit in *I. pecuniam, ff. de solut.* ubi solum mentio longæ manus habetur; ait enim ibi Jabolenus rem mihi debitam, si in conspectu meo ponere te jubeam, finge super tabulam, efficitur; ut tu statim libereris, & mea esse incipiat, & quodammodo longa manu tradita existimanda est. Hic traditiones hoc ordine faciendæ erant: tu qui es primus, tradere debebas mihi secundo rem debitam, quam ego secundus super tabulam, quæ est tertia, ponere debebam, sed non ita actum est. Verum tu primus super tabulam, quæ est tertia, posuisti. Hoc factum per brevem manum diceret Ulpianus, sed Jaboleno placuit longam manum appellare; uterque autem restet, cum ad diversa respexerint, brevis ideo, quia duæ manus, seu traditiones restrictæ sunt, & veluti migrarunt in unam; longa e diverso est, quia una manus, seu traditionis tantum valet, quantum si duæ factæ manus essent. Itaque gravissime fallitur Hotomanus ad *I. 6. C. de donat.* ubi distinguit inter longam, & brevem manum, itaut brevi manu id donari dicat, quod transit de manu donantis, recta in manum donatarii, tunc vero longa manu, cum donans absens absenti per nuncium, vel per procuratorem mittit. Nihil absurdius excogitari poterat. Falsus etiam est Dionisius Gothofredus ad *d. I. pecuniam*, cum putat longæ manus vocabulo intelligi oculos, & affectum, quibus possessio rei quandoque apprehenditur, quod etiam dixerat Cujacius ad *I. 2. feudor. tit. 3.* qui desumit id ex *I. 1. §. penult. ff. de adquir. posse.* Verum licet ibi Paulus dicat possessionem oculis quandoque apprehendi, non ideo statim oculi longæ manus sunt. Imo Jabolenus dicit debitorem tradidisse pecuniam longa manu, quæ traditionis non oculis, sed manu facta est.

Fi-

Fictio per symbolum est, cum unius rei traditio alterius rei traditionem factam inducit. Primo est per claves, ut si merces in horreo, aut vinum in cella vendatur, & clavum horrei, aut cellæ traditio fiat, ipsæ merces, & ipsa vina tradita videntur, *I. qua ratione*, §. iter si quis, ff. de acquir. rer. dominio; modo tamen id fiat in re præsenti, hoc est apud ipsum horreum, vel cellam, *I. clavibus*, ff. de contrab. emt. d. l. i. §. penult. ff. de acquir. poss. II. Per instrumentum, quo mancipium emi, tibi donationis causa tradam, etiam mancipium ipsum donasse, & tradidisse videor; *I. i. C. de donat.* quo tamen casu rei, seu mancipii donati præsentia non est necessaria, ut ibidem notat Giphanius, quia instrumentum est loco rei, cuius Jus in eo continetur; aliud est in clavibus, in quibus certe Jus contineri non potest, & earum traditio prope horreum requiritur, ut sciatur sine fraude, quæ merces, & in quo horreo conditæ tradi intelligantur. Non itaque semper rerum aut personarum præsentia requiritur, sed in certis tantum casibus, ut & Cujacius admonuit *lib. 4. observat. cap. 3.* III. Est pars pro toto, ita tradere vinum degustandum emtori pro totius dolii traditione habetur, *I. i. & I. q. ff. de pericu- lo, & commodo rei venditæ.* IV. Species pro quantitate: exemplum est in *I. rogaſti*, ff. de rebus credit. in hæc verba: *Rogaſti me, ut tibi pecu- niam credarem: ego cum non haberem, lancem tibi dedi, vel mastam auri, ut eam renderes, & nummis utereris, si vendideris, puto pecu- niam mutuam factam.* Itaque traditio speciei, numerum lancis, inducit per symbolum traditionem ipsius pecunias, seu quantitatis.

Traditio-legalis est, cum nihil traditur, sed tale aliquid sit, unde rem traditam intelligere oportet. Hujusmodi est primo exceptio ususfructus, ut si donando rem, usumfructum mihi excipiam, jam tradidisse videor, & sic perfecta donatio est, *I. quisquis rem, C. hoc. tit.* quia ususfructus, & proprietas simul in eodem esse non possunt, & nemini res sua servit. Hæc fictæ traditionis species antiquis Jurisconsultis (quidquid repugnet Cujacius *lib. 19. observat. cap. 18.*) nota non fuit, argum. *I. Seja*, ff. de mort. causa donat. Ubi Seja Ticio cognato bona sua donavit, eaque ei tradidit, sed sibi usumfructum recepit. Utrumque igitur ibi intervenit, nempe & traditio corporalis, & exceptio ususfructus; deinde hæc fictio introducta fuit Jure Principum in duobus casibus, donationis, & dotis, quæ & ipsa est donationis species, ut referunt Honorius, & Theodosius in *I. penult. & ult. C. Theodos. hoc tit.* Verum Tribonianus cum eas leges retulisset in *C. Justinianum* in *d. I. quisquis rem*, extendit id etiam ad venditionem. Hæc dicta volui, ut intelligatur stricto Jure hanc fictæ traditionis speciem in aliis causis præter tres dictas locum non habere. Secunda species traditionis legalis est rei demonstratio, ut si quis columnas alteri vendat in re præsenti, *I. i. §. penult. ff. de adquir. poss.* illa enim rei demonstratio pro traditione habeatur, ut in *I. quod mea*, §. si venditarem, ff. cit. tit. Tertia est custodiæ

positio: ita si acervum lignorum emero, & eum venditor tollere me iuratur, simulatque custodiam posuero, traditus mihi videtur, etiam si corpore acervus non sit apprehensus, l. quorundam, ff. de acquir. poss. Quaranta est exemptione: qui ergo saxum de suo eximere mihi permisit, donationis causa, statim cum lapis exemptus est, habetur ut quasi traditus, & meus fit; idem quoque Jus est in arbore cæsa vel ademta, l. qui saxum, ff. hoc sit. & in arena, creta, & marmore, & similibus, l. permisit, ff. de prescriptis verbis, l. si cum mibi, ff. de dolo malo. Quinta est ingrelio, ut si consensu auctoris in possessionem emitam ingressus fuero, ea mihi tradita censemur, l. quædam, ff. de reivindicacione, l. non idcirco, C. de contrah. emit. l. si emancipatis, C. si quis alteri, l. minus, C. de adquir. poss. Tandem etiam nulla traditione secuta perficitur donatio, si donatam a me rem precastio recipissem, aut conducto, l. si aliquem, ff. de adquir. poss. & d. l. quidam: idem est in acceptilatione, & novatione, ut patet.

Ultima species fictæ traditionis est, quæ fundatur in vera traditione antecedenter facta, ut rem tibi tradidi ex causa depositi, vel mutui, mox vero eidem rem tibi vendidi, vel donavi, tunc statim sine nova traditione tibi dominium acquiritur per solam patientiam, cum patientia rem perpetuo penes te esse, l. qua ratione, §. interdum, ff. de adquir. rer. dominio, l. absentia, ff. de donat. Ita etiam fundatur in obligatione antecedenti, ut si quæ mihi debes ex stipulatu, mox donem.

Has omnes fictæ traditionis species in donatione recipi ex hac tenus dictis perspicuum est. Dubium solum esse potest circa fictionem brevis manus, quamvis enim recipi eam in donatione inter vivos simplici aperi- te constat ex l. 2. §. cum vero, & ex l. qui id, §. fin. ff. de donat. sicut etiam in donationibus causa mortis, l. idemque, ff. de donat. inter virum, & tandem in donationibus uxoriis, l. bac ratio, §. fin. ff. cit. tit. ubi habetur; si donaturum mihi jussero uxori meæ dare, nullius momenti donatio est; perinde enim est atque si ego acceptam, & rem meam factam uxori meis dedissem. Ita ex sententia Juliani refert & probat Ulpianus. Nihilominus palam obstat Pomponius in l. sed si vir, §. quod legatus, ff. cit. tit. in hac verba: *Quod legatus mibi, aut hereditatis nomine relatus erit, potes rogatus a me uxori meæ relinquere, & non videbitur ea esse donatio, quia nihil ex bonis meis diminuitur.* Quæ verba satis perspicue negant fictionem brevis manus: & licet agant de donatione uxoria, etiam ad alias omnes posse extendi nulli dubium est.

Duae in hac re sunt Joannis antiqui glossatoris responsiones in d. l. idemque, quarum unam sequitur Connarus 8. comm. cap. 4. num. 8. Altera Scipio Gentilis de donat. conjugal. lib. 1. cap. 36. uterque suppresso Joannis nomine. Gentilis itaque putat, in specie Pomponii rem non esse mihi legatam, neque acquisitam; erat enim testator legatus, sed non legavit; quare nihil mirum si dico nihil de bonis meis delibasse, nec donasse uxori meæ; secus est in specie Ulpiani, ubi res non solum erat

mis

mihi donata , sed adquisita ; & licet Ulpianus scribat mihi donaturum , perinde tamen est , ac si dixisset mihi traditum ex donatione jam facta . Verum hæc verborum donandi , & tradendi commutatio absurdă est ; sed si demus Gentili ita esse , consequens erit , ut dicamus rem donatam nondum fuisse mihi adquisitam ; non enim donator tradiderat , sed erat traditus . Constat autem non potuisse mihi rem nisi per traditionem veram , seu fictam acquiri . Quomodo itaque Gentilis opinio procedere potest , dum ait rem donatam fuisse mihi quæsitam , at non traditam , si ante traditionem res aliena nobis non acquiritur ?

Nos hanc controversiam cum Connano ita conficimus . Ad fictiō nem brevis manus opus est , ut rem Jussu meo primus det tertio . Nam quod Jussu meo datur pro eo est , quasi mihi datum esset , I. quod Jussu , ff. de regal Jar. & mox a primo tertio datum ; hinc est , quod leges , quæ de hæc fictione loquuntur , ad unam omnes (excepta I. licet , §. I. ff. de Jur. dos.) Jussus mei , vel meæ voluntatis , quod hic perinde est , meminerunt . Sed ut ad rem nostram veniamus ; ita est in specie ab Ulpiano proposita , ubi maritus jubet donaturum dare uxori suæ ; quare recte videtur res primo tradita , & ita quæsita marito , & mox ab eo causa donationis in uxorem translata ; quæ uxoria donatio moribus reprobata est . Non ita accidit in specie Pomponii , ubi testator rogatur a me , uxori meæ relinquat ; cum rogo nihil videor acquisivisse ; nam si acquisivissem , utique juberem : hinc cum testator rogatur meo uxori meæ legat , non videtur res mihi adquisita , & a me in uxorem translata ; eoque nihil ego conjugi dono , ut recte Pomponius dicebat . Regula itaque sit . Cum quid alteri Jussu meo traditur , mihi prius quæsitus videtur , quod meo rogatu , non idem . Verum tamen est , esse & alteram differentiam inter speciem Ulpiani & Pomponii ; nam apud Ulpianum licet ego Jussim , poteram tamen rogare , ut uxori meæ dares ; & hæc donatio licite facta esset ; quoniam eo casu , non ego , sed tu , qui non prohiberis , uxori meæ donasses . Non ita apud Pomponium , qui roget , potest etiam jubere ; nam si eum , qui mihi legaturus est , jubere possem uxori meæ legare . sequeretur absurdum , hoc est intelligi legatum mihi quæsitus , & mox a me uxori donatum , quod fingi non potest , cum res legata mihi acquiri non possit , nisi mortuo legante . Idem est in hereditate .

His itaque modis perficitur donatio , uno civili ut mancipatio ; altero de Jure gentium , ut traditio . Ceterum jam tempus sibi poscit , ut sermonem faciamus de modis , quibus nos ad donandum obligamur , qui tres omnino sunt , Stipulatio , Pactum , & Pollicitatio .

Stipulatio fuit ab antiquis usque temporibus in donatione recepta ob varias utilitates , quarum tres recenset Federicus Brummerus ad legem Cinciam . Nos etiam quartam addimus . I. Si donator donationem effet revocaturus , fortiori exceptione removeri posset ; stipulatio

enim

enim causa firmandarum obligationum inventa est. II. Ut in donatione clausula dolii mali, nimis dolum malum abesse, abfuturumque apponi posset, quæque omnibus fere stipulationibus subjiciebatur, *i.doli clausula, ff.de verb. oblig.* ex qua clausula illa promanabat utilitas, ut ad incertos dolii casus, qui stipulatione prævideri, & nominatim comprehendendi non poterant, agi posset *i.stipulationes commodissimum, l.ex ea parte, ff.cit.tit.* III. Quia donatarius in re donata forte deceptus, si nulla stipulatio interposita est, haberet adversus donantem actionem de dolo malo; puta dolo rem alienam mihi donasti, quæ cum magnos sumtus in ea erogassem, evincitur, actionem de dolo malo intendam, *i.Aristo, §.fin. ff.hoc tit.* quæ hoc incommodi habet, quod famosa sit, eoque non temere, ac nisi actione civili, vel honoraria deficiente, a Prætore decernebatur, *i.i. §.4. ff.de dolo malo;* sic nec contra omnes, cum ea convenire patrem, patronum, similesque personas, quibus honor, & reverentia debetur, prohibitum sit. Ceterum cum interposita stipulatio est, tunc non de dolo actio, sed ex stipulatu intendi potest, *i.apud Celsum, §.Labeo, ff.de doli mali except.* Clausula enim de dolo stipulationi supposita non parit actionem de dolo, quæ datur solum in subsidium, sed ex stipulatu, *i. & eleganter, §.non soluta, ff.de dolo malo.* Ultima utilitas est, ut donari queant res, quæ traditionem non admittunt, ut quæ futura sperantur, nec dum sunt in rerum natura, *i.interdum in princ. ff.de V.Q. I.3. C. hoc tit.* Ita etiam Universitas bonorum, quæ veram traditionem nullo modo recipit, cum traditio sit rerum singularium, & corporalium, Universitas vero sit quid incorporeum, ut supra notatum est; nec facile posset recipere traditionem sicutam, maxime si constet Universitas ex varia rerum mixtura, ut ex corporalibus, & incorporalibus, praesertim rebus, & futuris. Sed hæc infra plenius tractabuntur.

Deinde Justinianus in *i.si quis argentum, §.penult. C. hoc tit.* præter stipulationem statuit posse nos ad donandum valide obligari, etiam modis aliis, Pacto, & Pollicitatione. De utroque dicendum est.

De Jure antiquo pactum nudum a donatione removebatur, neque *ex eo actio dari poterat, juxta dispositionem i.jurisgentium, ff. de pactis.* Ita vero, ut si mox traditio rei in donatione promissæ sequeretur, pactum confirmabatur, atque ita intelligunt Justinianum in *d. I. si quis argentum, §. si autem*, ubi dixit; olim donationes, hoc est donandi conventiones traditione fuisse confirmatas, secus nullam vim pactum habebat. Quare cum in *i.in ædibus. ff.hoc tit.* asseritur donationem valere contra corporis traditionem, veluti si donationis causa cum debitore meo paciscar, ne ante certum tempus ab eo petam; id non intelligendum est, quasi ad donationem perficiendam jure antiquo satis fuerit pactum intervenisse; sed ita accipiemus, ad donandum non semper requiri veram traditionem, sed satis esse fictam, itaut cum paciscor ne a te ante certum tempus petam, hic pactum nudum non est, sed intelligitur concomitatum

tum à traditione facta , quæ est fundata in vera traditione antecedenter ibi facta , ut propterea satis sit patientia , cum scilicet patior rem penes te esse. Hæc Jure antiquo . Ceterum Justinianus pacto etiam nudo donandi obligationem contrahi voluit in d. §. si autem .

Aliquando fit donatio monomeros , hoc est alterius tantum partis consensu , ut fit in pollicitatione , quæ est solius offerentis promissio. Quamvis enim regulariter donatio sibi non constet , nisi donatarius accepit , l. si vero , §. si servo , ff. de bon. libert. ita ut in illo Terentii loco : *Dos Pampibile est decem talenta , Pampibilus : accipio* , notet Donatus , nisi dixisset , accipio , dos non esset . Quare non solum opus est , ut donatarius sciat rem sibi donatam , sed etiam ut eam se accipere dicat . Nihilominus quidam casus olim ante Justiniani tempora excipiebantur . I. In donationibus publicis , quæ in Reipublicæ , & Patriæ usum , honorem , vel ornamentum fiebant ; quales erant impensæ in extirctionem , vel reparationem murorum , navalium , portuum , aqueductuum , templorum , aliorumque operum publicorum . In his enim pollicitatio , & pactum nudum omnino ad præstandum obligabat , l. jam hoc Jure , ff. hoc tit. l. i. & l. pactum , ff. de pollicitat. II. Cum quis donat Martyribus , Prophetis , Angelis , vel loco Pio , donatio si modo fuerit insinuata . licet monomeros facta , valet ex Constitutione Zenonis in l. si quis donaverit , C. de Sacros. Eccles. An vero id ex Jure Justinianeo producetur sit , & ad omnes omnino casus pertineat , quibus per pollicitationem donatio fit , in dubium revocatur . Nos tamen dicimus Justinianum in d. §. si autem cum seq. non solum loqui de pacto nudo , sed etiam de pollicitatione , tum quia generatim ait , donationem valere , licet neque stipulatio interposita sit , neque traditio facta ; tum etiam quia id maxime voluit locum habere in donationibus ad causas pias ; quod si tantum de pacto nudo , non etiam de pollicitatione intelligeremus , jam Justinianus ibi restringit , & coarctat Jus antiquum , quo donatio pia etiam per pollicitationem valebat ; cum e contrario ibi palam sit Justinianum velle Jus antiquum producere , vel omnino productum confirmare ; idque factum fuit exemplo ejus quod Theodosius in dote statuit , dum pro ejus exactione sola pollicitatione contentus fuit , l. ad exactiōem , C. de dotis promissione .

Verum circa Justinianini constitutionem in d. l. si quis argentum , una , & altera difficultas oritur . Prior est , an sit justa , & plane eam non omnino æquam esse voluit Cujacius ad Papinianum in l. Aquileus , ff. hoc tit. Licet enim Jure gentium unusquisque liberam res suas etiam citra parsimoniarum regulas donandi facultatem habeat , restrinxit tamen hanc , & Juri gentium detraxit lex Cincia , ut fieri solere notatum est in l. 6. ff. de justitia ; eo quod multi patrimonia sua inconsulte largendo effunderent , & communī bono nocerent ; quod testatur & ipse Justinianus in §. 2. de his , qui sui , vel alieni Juris sunt , cum ait : *Expedit*

Eee

Res-

Reipublicæ, ne quis sua re male utatur. Hinc Jurisconsulti, donare, aliquid perdere, dilapidare, interpretantur; videlicet non solum ideo, quod qui donat accipientem civiliter obligatum non habet, eoque perdit: verum etiam quia immodice, & inconsulto donans vere perdit, & notat Fridericus Brummerus ad *I. Cinciam cap. 12*. Quapropter cum Justinianus donatoribus omnes libertatis habendas laxavit, hoc optimum Jurisconsultorum antiquorum institutum avertit.

Ad hæc ex levi satis, & inefficaci ratione Justinianus inductus est ad eam constitutionem faciendam; testatur enim, donationem nudo pacto vel pollicitatione factam, ideo velle se, ut postmodum valeat, quoniam cum in arbitrio cuiuscunque sit donare, oportet donatorem, vel ad hoc non profili, vel cum ad hoc venire properaverit, præstare id, quod semel a se donatum voluit; hæc, inquam, ratio futilis est, cum nimis probet, & ultra id, quod Justinianus proposuit; inde quippe sequeretur omne omnino pactum nudum, omnem pollicitationem pro quacumque re, & in quaunque causa factam, valere debere, siquidem semper hæc eadem Justiniani ratio locum habet; cum in arbitrio semper promisoris sit, qui vel non debebat promittere, vel si semel id fecit, stet promissis oportet, & tamen nunquam Justinianus id voluit, quæ voluisse debuit, si ejus ratio efficax, & alicujus roboris esset.

His tamen minime obstantibus, dicimus Justinianeam constitutionem equitati maxime conformem esse, si Justiniani temporum ratio aliqua habenda est, cum donationes non ita frequentes erant, ut in antea actis Reipublicæ Romanae temporibus, animis hominum ad avaritiam pronis, ut patet ex eod. §. si autem in fine. Diversa autem tempora diversas leges exigunt, & mutatis moribus, mutantur & leges. Itaque operæ pretium visum Imperatori fuit eas donationes, quæ tunc temporis fiebant, quantopere adjuvare, ut valide essent; eo magis quod homines legibus, quæ non nisi traditione, vel stipulatione donationes factas comprobabant, abutebantur ad illudendos alios; largissimis namque promissis se alicui donaturos promittebant, quos cum diu hac spe latassent, tandem decipiebant; quare stomachatus Justinianus dixit iniquum esse his artibus suum propositum defraudare, & quasi legitimis velamentis tanquam indevationem protegere, ut ipse loquitur in d. §. & hac de causa specialiter voluit in donatione, non item in aliis omnibus causis, pactum nudum, & pollicitationem obstringere. Ex his facile patet quid respondendum sit iis, quæ supra opposita sunt; quare hic amplius immorandum non est.

Sed non omittam stipulationis formulam, & solemnitatem interrogacionis, & responsionis, non solum in donationis, sed in omnibus omnino actibus, & contractibus in usu amplius non esse, ne dum non esse necessariam; liquidem utimur his in rebus non jure civili, cuius

sti-

stipulatio est , sed fere Jure gentium , cui stipulatio fuit ignota . Paœta itaque , & legitimus promittentium consensus , & dilucida conventio hodie in usu sunt , sublata stipulatione ; nam licet tabelliones etiam in præsens instrumentis contractuum , & paœtionum, interdum stipulatio- nis mentionem adhibeant , id tamen de more tantum est , & dicit gra- tia , cum re vera nulla , neque interrogatio , neque responsio praeselle- rit . Ita notat Connarus in lib. i. comment. cap. 6. in fine . Molineus , aliquie apud Giphantium ad tit. ff. de verbor. oblig. in rubr. n. 28. & seq.

Altera difficultas est , an promissio de donando valeat ex nudo paœto ; itaut qui donare promisit , mox conveniri possit . Verum quia hu- jus quæstionis sensus non ab omnibus intelligi animadvertisimus , ideo notandum est dubitationem non esse , si promissio his modis contracta sit , quibus placuit Jure civili obligationes efficaces oriri , puta quis Ti- tio stipulant se centum donaturum promisit , hic promissor non utique est solitus , sed stipulando jam obligatus intelligitur . In hoc omnes consentiunt , & verum est . Sed ad quidnam est obligatus ? Communi- ter dicunt , ut mox obliget se , sive paœto nudo , sive stipulatione ad donandum , verbis in præsens conceptis , itaut cum in priori contractu dixerit , promitto me donaturum , in hoc posteriori diceadum sit dono ; quibus peractis ad rem tradendam urgeri potest : hoc etiam pro rato apud omnes habetur . Ceterum nos falsum esse dicimus , nam qui pro- mittit se donaturum , hoc tantum promittit se liberaliter daturum ; nam donatio non est , nisi liberalis traditio ; sed Interpretum error natus est ex eo , quod ignoraverint stipulationem , in qua dico me donare , vel donaturum , non esse donationem , cum re vera non sit , nisi ad donan- dum , hoc est liberaliter tradendum obligatio . Ita in materia donatio- nis , idem est si in stipulatione dicam , promitto donaturum , ac do- no ; nam utrum dixerim , non oritur , nisi donandi , seu tradendi obli- gatio ; hoc quod diximus de donatione , de omnibus reliquis adquiren- di modis dictum puta . Aliud tamen est in contraëtibus ; nam si in sti- pulatione promittam , me tibi venditum , non hoc ipso teneor ex ven- ditio , cum non vendiderim , hoc est non celebraverim contractum ve- ditionis emtionis , sed tantum obligatus intelligor ad alium contractum , in quo dicam me vendere ; & ex hoc demum ex causa venditi tradere co- gi possim : itaque recte dicitur aliud esse vendere , aliud pacisci se vendi- turum , lab emtione in fin. ff. de paœtis ; quod quidem ad easum dona- tionis male traditur a Giphantio hic in rubrica num. 28. & ab Antonio Fabro decad. 44. err. 4. num. 10. cum differentia peripcia sit ; quoniam enim donatio tota est in traditione , ideo qui se donaturum spondet tra- dere obligatur . Venditio vero tota est in contractu , eoque qui se ven- ditum dicit , mox non potest nisi ad contrahendum urgeri . Illud ta- men non negaverim , qui promiserat se venditum post circuitus vi- tandi causa statim conveniri ex vendito , argum. l. vendita , ff. de condi-

etione indebiti; cum enim sit obligatus ad vendendum, parum aut nihil interest, an conveniatur ut vendat, an ut ex venditi causa tradat.

Sed in hoc nostra quæstio non versatur, solum enim illud petimus, an Justiniani constitutio, qua voluit nos valide pacto ad donandum obligari, an inquam hæc eadem ita porrigi possit, ut si promittam pacto me tibi donatum, etiam valide obliger, an potius in hoc casu opus omnino stipulatione sit; itaut cum dico, dono, satis sit pactum; cum vero dico, promitto me tibi donatum, opus sit stipulatione juxta jus ff. antiquum.

Et nos facile rem conficimus, dicendo Justinianeam constitutionem locum habere in utroque casu, seu utrovis modo dixerim, semper ex pacto teneri. Patet id evidentissime ex jam dictis, nam cum dico, dono, non obligor nisi ad tradendum liberaliter; id enim donare est, hoc est non dono in præsens, sed obligor in præsens; sed cum dico promitto me donare, eodem prorsus modo non done in præsens, sed obligor in præsens; ergo in utroque casu Justiniani constitutio recte locum habebit. Et in hanc sententiam frequenter itum est ab Interpretibus penes Clarum in §. *donatio, qu. 14. n. u. ult.*

Verum repugnant Hugo Donellus, & Antonius Faber, quorum tamen rationes tanti non sunt, ut nos a proposita sententia abducant. Donellus itaque *3. commentar. 22. ad finem*, voluit Justiniani constitutio nem intelligi omnino de eo, qui paciscitur se donare, non item si dicat se donatum. Differentiae rationem hanc assignat; quod cum dico dono tibi illud, vel illud, verbis in præsens conceptis, perinde habendum est quasi tradidisse; non enim aliis verbis uterer in re tradenda, quod non idem dici potest, ubi quid in futurum promittitur.

Sed hæc ratio nihil urget; non enim cum donationi pactum confirmavit Justinianus, ullo modo ad traditionem respexit, vel respicere potuit, quandoquidem traditio est modus adquirendi, pactum est modus obligandi. Unde omnino male Justinianus fecisset, si de isto agens, ad illum mentis oculos convertisset; quare dicendum est, eum potius respxisse ad stipulationem, quæ modus obligandi est, non secus ac pactum, & ita plane est; sicut enim olim ad donandum solum valide quis obligari poterat stipulando, ita Imperator voluit certo juris vinculo obstringi, etiam si paciscatur. Itaque in quantum ad hoc æque valent pactum, & stipulatio. Proinde jam facile potest hinc collectio contra Donellum fieri, nimirum quod sicut quis stipulando obligatur, tam si dicat dono, quam si promittat se donatum; ita etiam obligetur, si alterutro ex illis modis paciscatur: nam ut dicebam, Justinianus in hoc, pacti, & stipulationis vim exæquavit.

Subdit Faber *loc. cit. a n. 10. ad 13.* qui plures pro se tuendo ratione in medium adfert, quæ tamen partim false sunt, partim ipsum oppugnant.

Nam

Nam prius argumentum totum in æquivocis est. Ait enim aliud esse donare , aliud pacisci de donando , sicut & aliud est vendere , aliud pacisci de vendendo ; propterea ab uno ad aliud argumentum duci possit : itaque qui nudo pacto promisit se venditurum , hoc ipso non tenetur ex emto ad rem tradendam ; sed solum urgeri potest , ut vendat , hoc est item contrahat : similiter cum quis promisit se donaturum , dicendum est dandam actionem donatario contra promissorem , non ad tradendum , sed ad donandum , cum non promiserit se traditurum , sed se donaturum. Atqui Constitutio Justiniani non obligat promissorem ad donandum , sed ad tradendum supposita donatione . Non igitur ad hanc causam constitutio accommodari potest.

Sed mirum est Fabrum non animadvertisse , argumentum a venditione ad donationem deduci non posse , cum & ipse docuerit donationem non esse contractum , sed quanta quanta est , totam in acquisitione consistere , cum alias planum sit venditionem esse contractum . Quomodo itaque argumentum ab acquisitione ad contractum recte unquam procedere poterit ? Sic plane in casu nostro est , nam qui dixit se venditurum , verum est non posse ex emto ad traditionem urgeri ; nam vendero non est tradere , sed obligatus intelligitur ad interponendum contractum , cum emptiovenditio contractus sit , & ille solum ad vendendum se receperat . At non ita est in donatione , qui enim dicit se donaturum , recte ad tradendum convenietur , nam donatio , & liberalis traditio non distinguuntur : non item urgeri potest ad contrahendum , cum donatione contractus non sit : & haec quidem jam supra monuimus , sed erant hiunc inculcanda. Alterum Fabri æquivocum est in eodem arguento , cum dicit Justiniani constitutionem obligare ad tradendum præsupposita donationem ; dicendum enim erat præsupposita donandi obligatione , quam contrahimus , vel sola stipulatione , ut olim , vel etiam pacto , & pollicitatione , ut hodie . At vero nunquam fieri potest , ut traditio præsupponat donationem , cum ipsa donatio traditio sit , nihil autem seipsum præsupponit . His positis , ex eodem fonte argumentum contra Fabrum deducimus . Justiniani constitutio obligat ad tradendum eum , qui donandi obligationem contraxit : sed cum quis promisit se donaturum , jam ad donandum se obligavit , uti jam constat : ergo & hic tradere ex eo pacto tenebitur .

Urget Faber : Si Justiniani constitutionem ita interpretamur , ut etiam locum habeat , cum quis se donaturum dixit , jam paulatim eo pervenire licebit , ut dicamus etiam ex sola donandi destinatione posse quem efficaciter urgeri , juxta eandem constitutionem . Nam si verum est obstringi , qui alteri pacto nudo fassus est se donaturum ; cur non etiam obligari quem dicemus , cum fatetur alteri , se illi fundum donare destinasse ; utroque enim casu adest nudum pactum , & neutro casu verba in præsens concipiuntur , sed futurum tempus respiciunt , & tamen hoc

ab-

absurdum est; sicut enim qui destinavit aliquem heredem scribere, sive pure, sive sub conditione, non idcirco eum instituisse intelligitur, *I. quoties, Ltantundem, ff. de heredib. institutis, l. ex ea, ff. qui testamenta facere, l. fidei commissa, §. i. ff. de leg. 3.* Ita ergo non dicitur donasse, qui solum donationem facere destinavit, eoque qui donare promisit.

Sed sponte nos Fabro damus, sola donandi destinatione actionem non oriri, & ad ipsam Justiniani constitutionem non pertinere concedimus; & tamen ex sola donandi promissione obligari credimus: neque enim quicquam commune est inter unum casum, & alterum. Quod ut perspicue pateat, notandum est, tum Jure civili, tum gentium, ut obligatio nascatur, apertum, promtumque contrahentis affectum requiri, qui animum jam deliberatum, & pronum ad actum faciendum declareret; alias iniquum est eum obligatum velle, qui dubius est, nec satis deliberavit adhuc, utrum vel omnino se obligare, an non s. siquidem illa animi suspensio consensum excludit, qui ad contractus necessarius est. Nec aliud hac in re interest inter Jus civile, & gentium, nisi quod Jus gentium præter animum hunc apertum, & jam omnino deliberatum, nihil ultra exigit, unde ei satis est pactum nudum; Jure vero civili formulas etiam quasdam, variasque solemnitates adhibere necesse est, ut fieri videamus in stipulatione, ad hoc scilicet, ut eo magis, magisque firma animi deliberatio cognosci possit: nullo autem Jure, ut dicebam, oritur obligatio ex voluntate non omnino determinata ad actum celebrandum. His positis, facile est cognoscere, cur ex sola destinatione donandi actio non detur ex Jure gentium, adeoque ex Justiniani constitutione, quæ pactum nudum exigens eo Juri conformis est: ideo nimis, quia qui donare solum destinavit, Juris censura nunquam animum firmum, & deliberatum habet, sed ad actum illum animo suspenso procedisse intelligitur. Cur ergo eum obligatum dicemus? At de Jure civili alia etiam ratione non obstringitur; quia Juris solemnibus usus non est. Non ita se res habet in eo, qui dixit, se donatum, idque pacto nudo; tunc enim aperte suam voluntatem, & jam deliberatum animum ad se obligandum declarat. Hinc fit, quod qui destinat se donare non paciscitur; qui promisit jam vere pactus est, ut propterea in hoc casu locum habeat Justiniani constitutio, non item in illo.

Sequitur & aliud Fabri argumentum. Is qui collatis verbis in praeteritum tempus dicit se donasse, non ob id, aut donare, aut donasse vere dicitur, benignaque interpretatione opus est, ut eo mortuo, qui sic dixit, dominium dicatur pertinere ei, cui defunctus dixerat se donasse, ut scriptum est in *lex hac scriptura, ff. hoc tit.* Ergo multo minus donasse videri, aut probari potest is, qui tantum promisit se donatum; neque hic benignæ interpretationi locus ullus relinquitur circa

Ju-

Justiniani constitutionem , quæ cum novum Jus condat , & ut nostri loquuntur , exorbitans a Jure communi , coarctanda potius est , quam adjuvanda interpretatione .

Sed quantopere in hoc argumento decipiatur vir doctissimus , plenum , credo , fiet in dictam *l. ex hac scriptura* exponemus , quæ a nomine , quod sciam , haec tenus intellecta est . Species ita se habet : Titius in quadam scriptura ita dixit : Sciant heredes mei , me vestem universam , ac res ceteras quascunque in die mortis meæ tecum habui , illi , & illi libertis meis vivum donasse . Mortuo Titio orta lis est inter libertos , qui earum rerum dominium ad se pertinere ajebant , & inter heredes , qui negabant ; questione est ab Ulpiano quid Juris ? Credunt nostri rationem dubitandi in eo esse , quia nuda testificatio etiam mortis non facit donationem , ad quam tempore Ulpiani omnino opus erat , vel traditione , vel stipulatione , quarum neutra hic facta apparabat , cum pro libertis non aliud in medium adduceretur , quam Titii testificatio . Itaque non valebat . Respondet tamen Ulpianus in hæc verba , dominium ad libertos benigna interpretatione pertinere ; sed ubi hæc interpretatio , & benignitas fundatur ? Respondet Faber *loc. cit. n. 12.* quia sumi potest in vim donationis causa mortis , quod etiam prius dixerat Accursius in ea lege . Sed hoc nullo modo recipiendum est ; eum enim ad donationem mortis causa , inter cetera , duo exigantur , ut in ea mortis mentio fiat , *l. Seja , §. u. l. ff. de mortis causa* , & donatarii consensus , *l. inter mortis , ff. cit. tit. ex benigna interpretatione* , alterutra ex his solemnitatibus posset remitti , non utraque ; alias totum Jus subverteretur , cum tamen neutrā intervenisse pateat . Præterquam quod nec adhuc discernere possum , cur hic ea donatio benigna interpretatione juvanda sit , & non potius in ea stricto Jure procedatur ; si quidem æquitas non pro arbitrio interponitur , sed ex iusta aliqua ratione , cum per eam Jus scriptum subvertatur . At vero Nicolaus Valla *de rebus dubiis cap. de donat. pag. 35.* ait pertinere dominium ad libertos non Jure donationis , sed Jure fideicommissi , aut legati , *argum. l. si donatio , C. hoc tit.* Sed fallitur , quia hæc interpretatio tunc solum locum habere posset , cum ea donatio facta esset in testamento , vel codicillis ; non enim in alia scriptura legatum , fideicommissumque ordinari potest , quod non est in casu nostro ; nam Ulpianus scripturam in genere dicit , aperte demonstrans hoc quod ipse ait , recipiendum esse , tam si ita dictum fuerit in ultimis voluntatibus , quam inter vivos . Quare non obstat textus in *d. l. si donatio , C. hoc tit.* quoniam in ea quis testando fassus erat se donasse , eoque fideicommissi vim contineri in verbis illis . Benigne interpretatus est Imperator , ut ibi patet . Demum Giphanius in nostra *l. ex hac scriptura* valde animi pendet , nec facile videt , quid dicendum sit ; licet tandem & ipse inclinet verba substines in vim fideicommissi , propterea ipsi idem , quod Vallæ , objicimus ; quid

quid ergo dicendum putamus, ut natus hic discelvi possit? Nos præ omnibus admonemus vestes, & ceteras res Titii traditas ab ipso vivo suis libertis, quod nullus adhuc animadvertis, & tamen aperte patet ex eodem Ulpiano, cum dicit dominium ad libertos pertinere; traditionem enim dominium transferri, & pertinere dicitur: quod si res libertis jam traditæ non essent, utique Ulpianus dixisset actionem ad libertos pertinere, non vero dominium. Sed statim quis objicere potest: Si res erant libertis traditæ, & Titius in scriptura quadam dixit se ea donasse: ergo jam stricto Jure donatio, & dominium erat libertorum; nec ad benignam interpretationem recurrere oportebat; siquidem jam supra monuimus, cum traditio rei intercedit, tunc Juris rigore perfectam esse donationem, quæ scriptura quavis solebat comitari, non ad hoc ut ea donatio vim acciperet, sed solum ad rei testificationem, ut patet ex *L. Aquilius*. Nihilominus respondemus, in nostra specie difficultatem omnem pendere a verbis, quibus Titius scripturam conceperat, dixerat enim: Sciant heredes mei me quascunque res die mortis meæ mecum habui, libertis meis donasse. Hæc verba inepta concepta sunt; videntur enim prolatæ a Titio, postquam e vivis esse desiit, tanquam si eam scripturam ab inferis ad heredes misisset; ita enim sonant verba illa, quas habui tempore mortis, quæ demonstrant Titii mortem jam præteriisse cum hæc scripsit; quia ergo verba erant inepta, & absurdum intellectum constituebant, ideo heredes ejus scripturæ nullam rationem habendam esse contendebant. Hæc erat difficultas, & non illa, quam Interpretes ceteri comminiscuntur. Itum itaque est ad Ulpianum, qui respondit dominium ad libertos benigna interpretatione pertinere; hoc est licet secundum strictam juris rationem verba hæc Titii nihil libertis suffragari deberent, cum absurdum sensum constituent; quoniam tamen æquitas poscit, ut non tam verba, quam mentem dicentis inspiciamus, ideo ita interpretari debet Titius, ac si dixisset; sciant heredes mei, me res quascunque mecum habebam, cum mortiferæ hoc morbo corriperer, & ex quo moriturus sum, eas omnes libertis meis vivum donasse. Itaque cum liberti jam ea bona habuerint a Titio ægrotato, recte ait Jurisconsultus dominium ad eos pertinere. Hæc quicunque attente considerabit, ita se habere facile deprehendet. Quare non fuit opus benigna interpretatione, ut Faber in argumento proposito putabat, quia verba in præteritum, & non in præsens erant concepta: quod adhuc etiam hinc fit manifestum, quia cum quis dicit se donasse, vel facta traditio est, & donatio jam est per eam traditionem perfecta, nec verba deserviunt, nisi ad donationis testificationem, & proinde si vera donatio jam præcessit, vera etiam est testificatio illius, qui dicit se donasse; hinc eo casu nulla difficultas potest oriiri ex verbis in præteritum conceptis, immo orientur si essent in præsens concepta, cum donatio non in præsens fiat, sed jam facta sit. Vel non est facta rei traditio, & scriptura tempore Ulpiani,

qui-

quibuscumque verbis concepta nullius momenti erat , cum opus fuisset vel traditione , vel stipulatione .

Opponit tandem Faber illud , quod vulgo dici solet , nil actum videri , quamdiu aliquid superest agendum , *i. penult.* *C de his , quibus at indignis , & ita sane in casu nostro esse dicit ; quomodo enim potest videri omnia jam egisse is , qui nudo tantum pacto promisit se donaturum ? Sed ex dictis in prono responsio est , eum qui dixit se donaturum , omnia quidem egisse , nec ei quidquam agendum superesse in quantum ad contrahendam obligationem donandi , & hoc satis est , ut omnia egisse videatur ; siquidem regula illa *d. i. penult.* non intelligenda est : ut nihil agat , qui rem omnino , & omni ex parte non impleat , etiamsi rei implementum constat ex actibus omnino diversis ; hoc enim falsum est : sed ita ut nihil desit ad eum actum , quem in praesens implere intelligit . Exemplo res clara fiet : qui stipulando dixit se donare , hic in quantum ad contrahendam donandi obligationem Jure civili , jam quidquid opus erat implevit , licet non omnino donationem perficerit , quæ requirit translationem dominii per traditionem rei donatae , & est actus omnino diversus a priori , nimirum ab obligatione . Nec per hoc contra ipsum potest objici nihil egisse , quia etiam aliud agendum superest . Ita prorsus in casu nostro , qui dixit se donaturum pacto nudo in quantum ad traditionem nihil adhuc fecisset . Non itaque nos movet hoc Fabri argumentum , ubi etiam denuo admonemus omnes pene Fabri errores in hac controversia , & captiones pendere ex eo , quod non viderit , quid distet inter obligationem donandi , & donationem .*

Cum haec tenus in hoc capitulo demonstratum sit , donationem non posse inter contractus recenseri , apparet frustra queri ab Interpretibus , an ea sit stricti Juris , an bona fidei ; in qua questione Ugolius antiquus Glossator distinguebat , olim fuisse stricti Juris , hodie vero bona fidei esse . Verum hunc reprehendit Bartolus in *d. l. in ædibas* , §. 1. ff. *hoc tit.* qui semper fuisse stricti Juris asseverat ; frustra inquam id queritur , cum solum contractus distinguantur in bona fidei , & stricti Juris ; donatio vero nullo modo contractus sit . Verum tamen est , si donandi obligatio stipulando fuerit contracta , prodi inde actionem stricti Juris , non ratione donationis , sed stipulationis interpositæ ; quoniam haec omnino stricti Juris est , & ita colligitur ex *I. cum qui , ff. hoc tit.* Verum si donatio interponatur nudo pacto absque stipulatione , petes an actio , quæ inde proditur , stricti Juris sit , an vero bona fidei ? & dicimus esse stricti Juris ; licet enim pacta servari æquitatis naturalis sit , *I. I. ff. de patris* ; tamen actio , quæ inde nascitur , a Jure civili est , nimirum a constitutione Justiniane , & proinde stricti Juris est : ut etiam patet ex contractu emphyteutico , qui licet nudo consensu contrahatur , quoniam tamen vim habet a Jure civili per Zenonem Imperatorem ,

torem, ut in *l.2. C.de Jure emphyteutico*; ideo *actio*, quæ inde descendit, stricti Juris est, sed non computetur inter actiones bonæ fidei, quas omnes deduxit Justinianus in *§.actionum, Institut.de actionibus*, ubi nec etiam recensetur *actio*, quæ pro redonata consequenda competit. In eundem errorem incident, qui querunt, an dotis contractus sit stricti Juris, vel bonæ fidei, cum dos omnino contractus non sit, sed interponatur vel traditione, vel stipulatione: illo casu uxori olim repetenti dotem prodita erat bonæ fidei, quæ rei uxori dicebatur, isto dabatur *actio* ex stipulatu, quæ stricti Juris erat; hodie vero ubique uxor actione de stipulatu agit, quæ ex privilegio bonæ fidei esse censetur, ut in *l.1. C.de rei uxor. act.* Ita hic breviter de dote notasse operæ pretium erat.

Superest, ut aliam hic questionem discutiamus, an scilicet ad donationem perficiendam aliquando scriptura necessaria sit? Et si donatio fieri per traditionem, scripto non est opus: quare si mox super ejus rei possessione lis mota fuerit, satis erit si donationem per testes probemus, ut patet ex Diocletiano in *l.12. C.de fide instrumentorum*; quod etiam ratione firmatur, quoniam traditio actum omnino perficit, eoque nihil amplius ad ejus complementum exigere potest. Si vero donatio per stipulationem interponatur, neque etiam scripto indiget, ut constat ex Theodosio Juniore, qui generatim statuit donationem etiam in ignotos collatam sine scripto vim suam habere, *l.29. C.hoc tit.* quod postea firmatum est a Zenone in *l.31. C.eod. & recte*, cum stipulatio per deficien- tiam scripturæ nunquam fiat inutilis, ut patet ex *tit. de inutilibus stipulat.* Verum obstat videtur Constantinus Magnus, qui ante Theodosium, & Zenonem floruit, dum scripturam in donationibus adhibendam indicat in *l.25. C.eod.* Sunt tamen qui respondent, hanc Constantini legem correctam a Theodosio fuisse, & mox a Zenone, ita plane Cu- jacius *20. observ.4.* Dionysius Gothofredus ad *d.l.29. & Jacobus Gothofredus ad d.l.1. C.Theodos.de donat.* Verum communis Interpretum opinio est, ad donationem perficiendam nullo proflus tempore scriputram exactam fuisse, quod quidem est ex mente Tribonianii, qui tum Constantini, tum Theodosii, & Zenonis leges in Codicem Justinianum retulit, quod utique non fecisset, si leges illæ se invicem corrigerent: & plane Constantinus in *d.l.25. §.in conscribendis*, solum declarat solemnitates, & observations, quæ in conscribendis donationibus requiriuntur, si forte quis eas in scriptis potius, quam sine scriptis mallet confidere, non item sancit donationem omnino in scripturam esse redigendam, quæ interpretatio ad tollendam antinomiam recipienda est, licet Jacobus Gothofredus eam respuat propter præcisa, ut ipse ait, Constantini verba, qui scripturam in donationibus pro forma deposcere videtur.

Sed quid Juris est, si donatio pacto interponatur? Et Scipio Gentilis

tilis ait, donationem nudo consensu factam robur nullum habere, nisi Scripturam, & Chirographum donatoris accesserit. Ita in lib.3. de donat. inter virum, cap.38. Probat id primo ex nov.162. cap.1. ubi Justinianus respiciens ad suam *l. si quis argentum,* §. penult. ita loquitur. Nos autem & constitutionem nostram revocavimus in memoriam, quæ dicit donatorem, licet traditio ab eo stipulata non fuerit, necesse tamen habere, ut donatam rem tradat; neque enim per imposturam, & ut in nudis consistant litteris, quæ geruntur, instrumenta confici conveniens est, ut etiam legitur in *Basilicis lib.47. tit.1. l.78.* Quibus verbis apparet tria ab Justiniano asseri, primo donationem stipulatione interpositam validam etiam Jure antiquo fuisse, adeout inde donator ad traditionem cogi potuerit. Secundo olim donationem pacto gestam vim non habuisse, et si super ea re instrumentum fuisse interpositum, quod erat vanum, & ut Imperator loquitur, nudæ litteræ. Tertio tandem Justinianum statuisse in sua constitutione *d.l. si quis argentum* hoc instrumentum & litteras has amplius vanas, & nudas non esse, sed qui ita pacto donavit, instituta actione condicitione posse ad traditionem adstringi. Constat hinc Justinianum ad validitatem donationis, quæ pacto initur, exegisse scripturam, vel Chirographum donatoris. Idque summa ratione, ne ex quovis temere prolatu verbo, & levi ostentatione, quis ad donationem obligaretur. Porro hæc nov.162. cum aliis, quæ in decimam collationem conjecit Antonius Contius, olim neglecta fuit ab Interpretibus, ut patet ex Accursii Glossis, quæ nota usque eo pertinent, sed desinunt in nona collatione; tamen a diligentibus antiquis etiam aservabantur. Quare Jacobus de Belloviso, qui commentarios ad novellas scripsit, testatur se eas omnes extravagantes novellas (sic enim appellat) ad finem lecturæ suæ adscribi jussisse. Quidquid tamen sit, certo constat, cum sint a Justiniano conscriptæ, vim legis, vel maximam saltem autoritatem habere; quod eo potissimum dicendum est in casu nostro, quia Justinianus in *novella 162.* se refert ad *l. si quis argentum,* quæ extat in nostro Codice.

Hæc Gentilis, sed contra ipsum scriptit Schipherdegherus lib.1. ad *Fabrum tract. i. 1. qn.7.* qui tamen Gentilis opinionem non omnino recte intellexit, dum putat illum ad omnem quamcunque donationem scripturam exigere, cum clare vir ille solum de donationibus nudo consensu initis sermonem habeat, dicatque donationes traditione, vel stipulatione factas ad sui perfectionem scripturam non requirere. Nec insuper quidquam in medium adfert, quo Gentilis rationes subvertere possit; cum enim dicit in *novella Justiniane instrumenti, & litterarum mentionem fieri,* non quod ipsæ donationi sint necessariæ, sed quod eo casu fuerint interpositæ, hoc falsum est, quoniam evidenter appetit *l. si Justiniani verba generalia esse,* neque ad ullam se speciem propositam adstringi. Cum vero subdit nudo pacto contrahi obligationem,

modo serius donandi animus appareat, eoque scripturam non exigi etiam falsum dicit, cum de hoc serio donandi animo nunquam Justinianus meminerit, cum tamen e diverso literarum mentionem fecerit.

De Personis, quæ donant, quæque donationem accipiunt.

C A P. IV.

SÆpe in Jure nostro contingit, ut domini habeant quidem Jus libere disponendi de rebus suis, sed exercitum disponendi non habeant; & hoc vel absolute eis a lege denegatur, itaut in nullam omnino personam quicquam conferre valeant, ut in materia donationis est de eo, qui delictum capitale contraxit, vel solum respectu ad certas aliquas personas; ita inter patrem, & filiumfamilias, virum, & uxorem, minorum, & focariam prohibita est a lege donatio. De his ordine agemus.

Donatio patria, seu quæ a patre in filiumfamilias confertur, invalida est, l.1. §.si pater filio, ff.pro donato, l.donationes, §.pater, ff.boc tit. l.2. ff.de inoff.donat. l.si denatione, C.de collat. l.sive emancipatis, C. boc tit. Hujus rei rationem invenire difficile visum est Fabro lib.7.conjectur. cap. 11. num.6. Nobis communis ratio placet; dicimus enim illud certum esse huic donationi, quin valeat, impedimento esse Jus patrum, d.l. sive emancipatis, §.sane. Dubium solum esse potest, ex quonam patriæ potestatis effectu, hoc impedimentum descendat; quod ut resolvatur, sciendum est, patriæ potestatis olim tres omnino fuisse effectus, ut pater Jus haberet in vitam, in bona, & in voluntatem filii; ex quibus reliqui omnes innumeri patrii Juris effectus promanant, ut alibi a nobis explicatum est. Ex quonam igitur horum nullitas hujus donatio. nis dependeat, videndum est: & certe cum non sit ex Jure in vitam, neque in voluntatem, uti constat, superest, ut sit ex Jure in bona, & fortunas; Jus autem hoc in eo constituit, ut omnia filiusfamilias, exceptis Castrenibus, patri acquirat, adont nec momento apud filium haesisse censeatur, id quod queritur, l.1. §.1. ff.si quis a parente, l.placet, ff.de adquir.bered. Hoc Jus licet hodie restrictum sit in quantum ad adventitia, manet tamen integrum, & inconcussum respectu ad profectitia bona, l.ult. C.de bon. matern. Hac ergo de causa, cum pater donat filiosfamilias, donatum in patrem statim regreditur, ut propterea frustra donatio facta sit, tanquam si sibi ipsi quis donaret, Accursius ad d.l.2. verb.in potestate, C.de inoff. donat.

Hæc ratio admodum disPLICUIT Fabro loc.cit. propterea quod falsum esse putat filiumfamilias omnia patri, & sibi nihil adquirere; nam etiam Jure veteri acquisitionis capax filiusfamilias fuit, volente tamen patre;

quod

quod probat ex *I. cogi*, §. si pater filio, ff. ad Trebell. At quid apertius est, quam velle patrem adquiri filio, quod ipse filio donat? Non ergo patria donatio ex hoc capite non valet, sed ex alio nimis, quia donatio valere nulla potest, quin obligatio inter donantem, & donatarium contrahatur, & quidem civilis, ut ex causa donationis conveniri donator possit ad præstandum id, quod stipulanti donatori promiserit, vel ut donatae rei, & traditæ dominium translatum irrevocabiliter censeatur; at inter patrem, & filiumfamilias contrahi obligatio civilis non potest ob Jus patriæ potestatis, *I. Imperator*, ff. ad Trebell.

Verum neque communis rationis impugnatio, nec ratio a Fabro tradita ullius momenti est. Singula discutiamus. Cum itaque ex d. *I. cogi*, §. si pater, putat manifestum esse filiumfamilias aliquando volente patre potuisse adquirere, id omnino falsum est: verba illius legis sunt: *Si pater filio, quem in potestate habet, restituere rogatur hereditatem, an filius patrem suum, si suspectam dicat hereditatem, cogere posse?* Et non est dubium patrem a filio per *Prætorem cogi posse*; haec tenus Jurisconsultus, ubi videmus patrem hic restituere ex Trebelliano filiofamilias hereditatem; sed si quereras cuinam filiusfamilias hoc fideicommissum adquirat? Respondet Faber, licet hac de re nulla in ea lege mentione sit, patere tamen filiumfamilias illud sibi adquirere; nam si utique non sibi, sed patri quereret, consequens esset patrem gravari a filio, fierique obnoxium contra suam voluntatem creditoribus hereditariis, quod est absurdum, DD. in *I. si quis mihi*, §. *Jussum*, ff. de adquir. heredit. Nos tamen in contraria sententiam imus, & dicendum putamus, fideicommissum hic restitui quidem filiofamilias, sed patri acquiri ex regula, quod filius ei querat, sub cuius potestatione est, nec patri inde onus ullum imponitur; quandoquidem eum heres, qui adire renuit hereditatem suspectam, cogitur ad id ex Trebellico, solidum fideicommissario restituit; cuius per consequens erunt omnia onera, & lucra, §. si quis una, & §. sed quia stipulationes, de fideicommissaris hereditibus; coque in nostra specie omnia hereditatis onera una cum fideicommisso transeunt in filiumfamilias, itemque fideicommissarium; at vero bona fideicommissi, quia manere penes filium non possunt, regrediuntur ad patrem, qui poterit quidem conveniri a creditoribus hereditariis, sed non ex persona sua ut heres, quoniam solidum restituit, sed ex persona filii, qui solidum ex Trebelliano accepit; ceterum cum pater ex filii persona convenitur, nihil damni sentit, cum non teneatur nisi quatenus in peculio filii est, hoc est quatenus in fideicommisso extat, siquidem quod in rem patris versum est, id in filiofamilias peculio esse dicitur, *I. i. §. ult. ff. de in rem verso*. Falsum ergo filiumfamilias ex Jure veteri unquam potuisse sibi quicquam adquirere, nisi bona castrenia. Cetera vero omnia patris erant, ut propterea recte procedat communis ratio, ideo patremfamilias filiofamilias donare non posse, quia res donata ad patrem regredetur,

Quod

Quod attinet ad rationem, quam Faber adducit, ex pluribus modis peccat. Primo enim licet verum sit ex donatione per stipulationem interposita nasci obligationem tradendi rem promissam; negamus tamen ullam nasci obligationem, vel actionem ex ea donatione, quæ traditione perficitur, ut supra probatum est, & patet ex *I. Aristo*, ff. hoc tit. & concedit, imo probat Faber ipse sibi contrarius in *deca. 45. err. 7. num. 5.* II. Peccat ex eo, quod hæc Fabri ratio eodem recurrit, ac ratio communis; nam ut recte monuit Joannes Corasius in *I. frater a fratre*, ff. de condit. indebiti, & lib. 4. miscellan. cap. 3. ideo filiusfamilias non obligatur patri, quod ea, quæ adquirit, non sibi sed patri querit. Unde factum est, ut si filiusfamilias peculum castræ habeat, valide patri obligetur, *I. adoptivi*, ff. de in Jus vocando, *I. lis nulla*, ff. de judiciis, quod hodie locum etiam habet in adventitiis, & notat etiam Accursius in *d. I. frater a fratre*.

Verum est I. notandum donationem hanc patriam dici, & esse nullam, adeout nec etiam post patris mortem filius rem donatam capere usum possit, ut expresse habetur in *I. I. §. si pater filio*, ff. pro donato; quare etiamsi patria donatio legibus nominatim prohibita non esset, adhuc pater nullo modo filiosfamilias donare posset, nam etiam nulla stante prohibitione, per filium sibi ipsi adquireret, coque actus nullus esset; hinc non tam dicenda est donatio prohibita, quam nulla, & nullos producit Juris effectus.

II. Notandum, si pater filio, quem habet in potestate, aliquid donavit, & tradidit, nec emancipando ademit, videtur, ex post facta aliam donationem novam facere, quæ vana erit, utpote collatam in filium emancipatum, *I. sive emancipatis*, *C. eodem*. Verum tamen est eo casu donationem patriam dici a Papiniano perfici, *I. donationes*, §. pater, ff. hoc tit. ratam haberi a Pomponio in *I. si pater*, ff. pro donato, convalescere a Paulo 5. sentent 11. §. pater, & tandem confirmari ab Imperatoribus; quæ dicendi formulæ non ita proprie, ut sonant, accipiendæ sunt, quandoquidem si donatio hæc, ut diximus, nulla est, dici non potest eam confirmari; nam id confirmatur, quod aliquo modo est, non item quod non est, cum non entis nullæ sunt passiones, *I. ult. ff. de condit. indebiti*. Ita etiam dici non potest perfici, ratam haberi, & convalescere. Itaque recte monet Douellus lib. 9. comment. cap. 5. hanc donationem dici confirmari, habito respectu ad effectum patris, qui eam animo inchoavit; at vero non perficit Jure refragante. Quod si vere loqui velimus, non tam prior donatio hac via perficitur & confirmatur, quam nova constituitur. Sed rem totam clarius exponam; quoties pater quidquam filiosfamilias donat, & tradit, nec mox emancipando ei peculum adimit, in quo peculio etiam res donata est, tunc Jure nova donatio sit, quia prior nulla fuit, & dum patitur eam rem esse penes filium emancipatum, videtur iterum quasi tradere ex causa do-

donationis; nihil enim interest, utrum quis nunc primum ex justa causa rem transferat, an vero cum forte apud eum esset, patiatur apud eundem ex eadem causa manere, l. *qua ratione*, §. *interdum*, ff. *de adquir. rer. dominio*, l. *restituta*, ff. *ad Trebell.* Ita etiam est in donatione conjugali, quæ nulla est, ut patet ex l. *hæc ratio*, §. *et si stipulanti*, ff. *de donationibus inter virum*, in hæc verba: *Ipsò enim Jure, quæ inter virum & uxorem donationis causa geruntur, nullius momenti sunt.* Et nihilominus eam donationem dicitur confirmari ex oratione D. *Severi*, ut passim in eo tit. ff.

III. Notandum est, communiter persuasum esse donationem in silium familias a patre collatam confirmari, seu perfici patris morte, qui in eadem voluntate duraverit; qua tamen in re, magna ambiguitas est. Certe olim donatio profectitia non confirmabatur sola patris morte, l. i. §. i. ff. *pro donato*, l. 2. §. *ult. ff. pro herede*, in quibus Juribus filius nec etiam post patris mortem, ullo modo rem donatam usucapere potest, nec pro donato, nec pro herede, quia nulla donatio fuit: requirebatur ergo ad confirmationem non solum patris mors, sed etiam extreum ipsius judicium, hoc est, ut pater eam donationem testamento ratam habuerit, l. *penult. ff. de collat. dotis*, atque ita accipiens est Paulus 5. *Sentent. i. i. §. pater*, ubi habet: *Pater si filiosfamilias aliquid donaverit, & in ea voluntate perseverans deceperit, morte patris donatio convalescit*, quod Cujacius ibidem recte intelligit de voluntate in morte expressa, non item de tacita. Hoc quod dicimus, patet etiam in l. 2. C. *Gregor. tit. famili. eriscundæ*, sicut etiam apertissime deciditur ex Diocletiano, & Valeriano in l. *si pater*, C. *de inoff. donat.* Quod si pater id non fecisset, non prohibebantur tamen ipsius heredes eam ratam habere, l. 4. ff. *pro donato*, l. 4. §. i. ff. *pro suo*.

His tamen omnibus obstat videtur Justinianus in l. *donationes* 25. C. *de donat. quæ inter virum*, ubi statuit donationes patrias, & conjugales silentio donatoris firmas fieri; quid igitur dicendum erit?

Communis opinio est a Justiniano corrigi leges antiquas; sed hoc Iure dici non potest. I. Quia si Justinianus ea lege Jus antiquum correctum voluisse, utique non retulisset in suum Codicem citata legem Diocletiani & Valeriani, in qua aperte habetur donationes patrias sola patris morte non firmari. II. Leges citatas Jurisconsultorum in Pandectis non apposuit; nam d. l. 25. lata est ab Justiniano anno Imperii sui secundo, & Christi 528. hoc est multo ante, quam da pandectis concinnandis cogitaret, quas scilicet componi mandavit anno Imperii sui quarto mense Decembris, ediditque anno septimo mense itidem Decembris. Si itaque Justinianus ea lege 25. leges Jurisconsultorum correxisset, certe eas postea, uti dicebam, in Pandectas non retulisset. Scio Balduium lib. i. de *Jur. nov. chart. 64.* & seq. putare id oblivione Triboniani factum esse, sed hoc non facile admiserim.

Dicimus itaque cum Donello nullum in hac re novum Jus in l. 25.

ab

ab Justiniano statui , sed solum dici donationes , quæ non consistunt ; & silentio firmantur , ita firmari , &c. ubi aperte patet eam legem ab Imperatore solum conditam esse , ut novum Jus circa modum confirmationis statueret , non autem circa confirmationem ipsam . Cum vero ait , loqui se de donationibus , quæ silentio firmantur , refert se omnino ad Jus antiquum , quod statuit donationes conjugales silentio donatoris ad mortem usque ratas fieri , & donationes patrias silentio per emancipationem perfici , quod etiam patet ex eo , quod non dixit donationes eas morte firmari ; tunc enim locum haberet , quod communiter credunt , sed dixit firmari silentio , ut nimirum posset eo modo comprehendere tam donationes inter virum , & uxorem , quæ morte validantur , quam inter patrem , & filiumfamilias , quæ perficiuntur emancipatione , si donatores fileant , nec donationes collatas revocent .

Dices . Ad confirmandam inter vivos donationem patriam duo exiguntur , ut pater filium emancipet , & peculium non adimat , *d.l. siue emancipatis , C.cod.* Ergo eadem ratione idem locum habere debet , cum pater moritur , nam tunc filius sui Juris fit , nec pater rem donatam adimit . Sed idem Donellus respondebat hos duos casus longe inter se distare , quandoquidem in primo , ideo pater emancipat filium , ut hic sibi adquirere possit , & propterea si rem donatam non adimit , censetur id fecisse , ut ipsi filio jam emancipato adquiratur . At vero non ideo moritur pater , ut filium sui Juris faciat , quod certe præter patris voluntatem accedit , eoque dici non potest donationem non ademtam voluntate patris filio adquiri , cum non ex ejusdem voluntate sui Juris fiat . Hoc autem ita se habere patet in peculio , quod non ademtum filio emancipato adquiritur , *d.l. donationes , §.pater , ff.hoc tit.* Non ademtum filia , qui morte patris sui Juris fit , filio non adquiritur , sed in collationem venit , *l.si fratres , §.item Pomponius , ff.pro socio .*

Apparet ex his , ut sit intelligendus Imperator Valerianus in *l.si pater , C.de inoff.donat.* ubi donatio in filiumfamilias collata , dicitur valida , ubi male Glossa i. putat donationem statim initio eo casu valuisse , ut propter factam vel causa dotis ex *l. Pomponius Philadelphus , ff. famil. erc sc.* vel fuerit de rebus mobilibus collata filiofamilias in castro eunti , ex *l.4. C.famil.erc sc.* Male etiam alii putant sola patris morte intelligi confirmationem ; sed cum non appareat in ea lege , quo capite illa donatio confirmetur , opus omnino est , ut exponatur eo modo , quo reliquis legibus consonet , non ut eis adverseatur . Dicemus itaque confirmationem intelligi , vel emancipatione peculio non ademto , vel extremo patris judicio .

Ceterum in quantum ad confirmationem notabimus ex *d.l.25.* quod si donatio patria (idem est de conjugali) firmetur patris silentio , ut fieri solet in emancipatione , tum si non excessit legitimam summam quingenitum aureorum , omnino firma est . At si excessit , distinguendum est , aut fuit actis insinuata , & in totum sumatur ; aut insinuatio fuit omis- sa ,

sa, & firmatur non in totum, sed solum quoad summam predictam; ut contra Salicetum est communis opinio apud Clarum in §.donatio, qz.17. Sed si pater testamento eam donationem firmaverit, semper, & omni casu in totum rata erit: quod si donatio uni ex liberis facta sit, eatenus confirmatur, quatenus inde reliqui filii in legitima portione non lèdantur, novella 92. de immensis donat. in filios factis.

Hæc de confirmatione, nunc de retroductione, si donatio rata sit, sive silentio, sive testamento, & summa legitimam excedit, nec sit insinuata, non fit retroductio ad tempus donationis collatae, sed vires habet a die ratihabitionis. At si non excedit, vel excedendo sit insinuata, retrotrahitur. Hic est verus, & facilis sensus d.l.25.

Hic illud explicandum est, quando donationes patriæ, vel conjugales retrotrahuntur, quis sit eorum effectus, vel quas ad res hæc retrotractio pertineat, vel prosit? Et quod attinet quidem ad fructus rerum donatarum, ancillarum partus, & similia, quæ medio tempore a donatario percepta sunt, omnium opinio est donationem retrotrahi, ut testatur Arias Pinellus ad l.z. par.2. num.51. C. de rescind. vendit. Difficultas tamen est in quantum ad dominium earundem rerum, & receptum quoque est in quantum ad hoc donationem non retrotrahi, Clarus d.§.donatio qu.1 i.num.7. Covarruvias in rubr. de testam. par.3. num.5. Sed hanc opinionem nervose rejicit Scipio Gentilis de donat. inter virum lib.3. cap.35.

Est etiam prohibita donatio inter virum, & uxorem, ita tamen ut omnino nulla sit; quod diserte probat Ulpianus in l.3. §.scindum, ff. de donat. inter virum, ubi ait: ita interdictam inter virum, & uxorem esse donationem, ut ipso Jure nihil valeat, quod actum est; proinde si corpus sit, quod donatur, nec donatio quicquam valet, & si stipulanti promissum sit, vel accepto latum, nil valet. Hæ vero donationes pluribus de causis fuerunt interdictæ, ut patet in tribus prioribus legibus, ff.eod. sed illa omnium maxime frequens est, & apud Jurisconsultos notabilis, ne melior in paupertatem incideret, deterior ditor fieret; & profecto ita est, ut plerumque semper munera captet deterior, atque emungat simpliciores. Quare male Harmenopolus lib.4. Prochiri tit.11. & Leo Philosophus in Basilicis, illa verba, melior, deterior, atque locum illum orationis D. Antonini verterunt; ne dives pauper, & ne pauper dives fieret. Ceterum hæc ratio cum aliis ab Antonino assignatis non ita placuerunt Hothomano, ac ratio, quæ apud Plutarchum in problematis Romanis, & præceptis Conjugalibus legitur; quoniam nimis inter conjuges bona omnia esse debent communia: putatque Hothomanus hoc sanctum esse lege Romuli, quæ omnium factorum, & bonorum communionem inter conjuges introduxit. Hincque factum, putat, non esse inter eos donationibus locum, cum nemini res sua donari possit. Ceterum hæc ratio minime procedit, cum hæc Romuli lex

omnino commentitia sit , nec uspiam legatur , imo ex Marco Catone scriptore antiquissimo constat de servis , aliisque rebus , quæ dotum non essent , neque ad virum transirent , quas propterea receptitias appellabant , quia eas sibi mulier recipere , cum nuptum iret , nec marito in dotem dare consueisset , vulgo bona phrappernalia , hoc est præter do. talia dicimus .

Ceterum quandoque donatio inter conjuges sibi constat , ut puta , honoris causa ; hoc est si quid adipiscendæ dignitatis causa ab uxore in maritum collatum est , *l. quod adipiscendæ , cum duab. seqq. ff. cit. tit.* Et aliis causis multis , de quibus plene Scipio Gentilis *lib. 2.* Ulterius donationes inter conjuges invalidæ ex oratione Imperatoris Antonini confirmantur , si donator prius decesserit , quam qui donationem accepit , & in eadem voluntate usque ad supremum vitæ spiritum perseveraverit , *l. cum hic status , ff. cit. tit.*

Prohibita est etiam donatio collata a milite in focariam , ne hujus ficta adulazione miles spoliatetur , ut idem Antoninus statuit in *l. 2. ff. cit. tit.* Focariæ sunt , quas milites , ut focus ad coquendum operam dent , secum in expeditionem affirre solent , quibus etiam uti scortis , seu concubinis utuntur , quod hodie in usu maxime est apud Germanos , licet Imperator Federicus I olim id lege Castrensi prohibuisset , ut est apud Cuntherum Ligurini *lib. 7.*

Non erit in nostris nobiscum fæmina Castris.

Quod militis privilegium post alios Rolandus Vallensis *conf. 1.* extendit etiam ad clericos , facros milites , & advocatos milites togatos , ut sci- licet donationes ab his in suas concubinas collatae omnino prohibitæ cen- feantur : quod tamen falsum est , cum nunquam relatum sit has Cleri- corum , & Advocatorum donationes rescindi , nec quod militibus ex privilegio concessum est , potest ad alios extendi , §. sed & quod placet , *de Jure naturali* , ut recte sentit Gentilis *lib. 1. cap. 9.*

De donatione in scortum collata , sunt qui dubitant . Accursius in *l. affectionis , ff. hoc tit.* ubi habetur , donationes in meretrices fa-etas affectionis causa valere , distinguit ut locum habeat , si res jam tra- dita scorto fit , tunc enim repeti non potest ; sed si fuerit promissa , nec data , peti a scorto nequit ; quod probat etiam Connarus *lib. 9. cap. 11. num. 2.* ea ratione , quoniam omnis stipulatio turpis nullius est momen- ti , *l. generaliter , ff. de verbis oblig.* Uerum Bartolus omnino valere ait , & Jure cogi ad solvendum premissorem esse , quod sequitur Hothoma- nus in hoc tractatu , simulque Gentilis *loc. cit.* & vulgo recepta est , non solum a Jurisconsultis , tunc Dido Covarr. 2. par. *Relectionis qu. 2.* sed a summis Theologis Divo Thoma , & Dominico Soto *lib. 4. de Justitia q. 7. tit. 1.* Quod probatur ex regula , quod scortum turpiter facit , quod sit meretrix , sed non turpiter accipit , cum sit meretrix , *l. idem ob stu- prum , §. sed & quod , ff. de conditione ob turpem causam .* Sicut ergo in ac.

accipiendo nulla versatur turpitudo, ita nec petendo videtur meretrix turpiter facere, ut propterea ea stipulatio, in qua ei donare promittimus, turpis non sit, ut male creditum est a Connano. Probatur etiam exemplo Judæ *Genes. cap. 38.* ubi cum hædum mercedem Thamaræ promissum misisset, eaque in eo loco, ubi compressa fuerat, non esset reperta, tum Judas dicit: *Certe meædaciæ arguere nos non potest, ego mihi hædum, quem promiseram.* Unde colligitur ita olim vulgo receptum fuisse, ut deberetur pro stupro promissum; quin & pignus Thamaræ dederat anulum, & alia quædam, donec mercedem solveret, quod notwithstanding est contra Zafium d. §. sed & quod, ubi negat, pignus tenere, utpote adjectum promissioni invalidæ.

Tandem qui capitale crimen admisit, donare non potest post condemnationem, ante potest, *l. post contractum, ff. hoc tit.* Extant in hanc celebrem legem commentarii Alciati & Corasii. Agunt etiam de ea Connanus, Balduinus, Contius, Hotomanus, Giphanius, aliquie. Verum quoniam a Justiniano, ut diximus, sublata est; ideo nos hic tantopere immorandum non ducimus. Breviter itaque sciendum est, ideo sententiam paßsum donare non potuisse, quia in fraudem fisci facere censeretur, ad quem bona damnati Jure antiquo pertinebant. Constat autem donationem, omnemque alienationem in fisci fraudem factam reviri, *Non fraudem, ff. de Jure fisci;* sed quoniam hoc successionis Jus fisco post condemnationem adquiritur, ideo si reus ante sententiam donet, Jure valida donatio est, cum nihil hoc casu in fraudem fisci factum dici possit; eo magis, quod potest reus mori in reatu, & post mortem non potest sequi condemnatio, cum crimen mortalitate extinguitur, *l. 3. ff. de publicis Judiciis, l. ex Judiciorum, ff. de accusationibus, l. ult. ff. ad l. Julianam Majestatis;* ut propterea eo casu fiscus nullo modo succedat. Ceterum hodie ex *Novella de mandatis Principum, §. oportet autem, & Novella ut nulli judicum, §. fin.* statutum est, bona damnatorum non amplius fisco, sed liberis eorum, aut parentibus, aut agnatis relinqui, eoque ex novissimo Jure præsens lex post contractum abrogata est, sublata scilicet causa, idest fraude fisci, & ita apud nos hodie servatur; licet in multis regionibus Jus vetus confiscationis in usu sit, & in iis hujus legis prolixa disputatio utilis est. Excipere tamen oportet crimen perduellionis, per quod etiam ante reatum, imo etiam ante perfectum delictum facta donatio non valet, sicut neque alia quæcumque alienatio, *l. donationes, §. ult. ff. hoc tit. l. quisquis, §. doles, C. ad l. Julianam Majestatis;* quocunque enim horum casuum semper perduellis bona fisco adquiruntur; neque hoc correctum est ab Christiano in *novellis*, sed expresse confirmatum in *d. §. finali, novella, ut nulli judicum.*

An donatio inter patrem , filiumque familias ,
Jurejurando firmari possit .

Q U E S T I O I.

Si Juris tantum civilis nobis ratio habenda esset, nullus huic quæstio-
ni locus foret ; constat enim ex eo non confirmari per Jusjurandum
pactum sive actum a legibus improbatum ; primo ex Pandectis, in quibus
generatim omne pactum , vel contractum quemcunque a Jure communi
remotum servari non potest, etsi Jusjurandum accesserit , *I. Jurisgentium*,
§. penult. ff. de pac̄is ; deinde ex *C. ut in I. non dubium* , *C. de legibus* ;
& tandem ex *Novella 51. ubi idem iterato* habetur . Idem etiam ratione
firmatur , tum quia legibus datum , & aequum decernitur , quod si in-
ter posito Jurejurando violare inceret , jam fieret Jusjurandum iniquitatis
vinculum ; tum etiam quia legis prohibitio est Juri publici , quod pri-
vati immutare non possunt , *I. Jus publicum*, *ff. de pac̄is* . Tandem si Jus-
jurandum confirmaret actum lege non validum , una via concederetur ,
quod altera nou licet , contra *I. scire oportet* , *§. i. ff. de tutoribus* , *I. cum
ki* , *§. si cum bis* , *ff. de transactionibus* , *I. heres meus* , *ff. de condit.* &
demonstrationibus . Verum quaterni casus sunt , in quibus ex Jure civili
Jusjurandum robur addit pactionibus ; & contractibus , quæ tamen
alias valent . I. In transactione majorum , *I. si quis major* , *C. de transactio-
nibus* . II. Si adolescens Juraverit se majorem 25. annis esse , restitutione
in integrum amplius frui nequibit , *I. 3. C. si minor se majorem* . III. Si
adolescens vendendo Juraverit se aduersus venditionem non venturum ;
tunc em. venditio alias valida , sed quæ revocari poterat , perpetuo fir-
ma redditur , *I. & auth. sacramenta puberum* , *C. si adversus venditionem* .
IV. Si libertus Jurejurando patrono operas , donum , munus promiserit ,
ut passim in *ff. de operis libertorum*.

Verum hæc Juris civilis dispositio per Pontifices correcta est , qui
eam Jurisjurandi vim esse decreverunt , ut etiam contra auctoritatem le-
gis interpositum , modo iniquitatis vinculum non sit , valeat , itaut
omnino servari opus sit , *cap. quamvis pactum, de pac̄is in 6. cum concor-
dantibus* . Hinc orta quæstio est , an Jusjurandum eatenus vires suas
extendat , ut donationem patriam confirmet . Et non una est nostrorum
opinio .

Sunt qui putant , donationem patriam adhuc nullius esse momenti ,
sed Jusjurandum appositum esse servandum , ne in perjurium incidamus .
Ita Corasius in *I. fratre a fratre n. 73. ff. de condit. indebiti* , qui ita sepe
a Senatu Tholosano judicatum refert , Fernandus Vasquius *de successionum
creat. lib. 3. §. 29. n. 14.* sequitur Menochius *lib. 3. præsumt. cap. n. 114.*

Ho.

Horum opinio fundamentum habet in eo, quod docuit Christopherus Porcius in §. extraneis, de heredum qualitate, dum generatim voluit ex Jure canonico nunquam Jurejurando actum Jure non validum confir mari, sed Jurantem ad Jurisjurandi observantiam obstringi. Patet hoc ex cap. 28. de Jurejurando in 6. cum aliis similibus, in quibus nunquam, ait ipse, dicitur pactum sacramento validum fieri, sed non debere pacientes proprio sacramento contravenire. Hac autem maxime inter se differunt. I. Primo quia licet Jurans non possit non implere contractum, heredes tamen eius potuerunt contravenire, qui defuncti Sacramento ad perjurium non obligantur, cap. veritatis, de Jurejurando. II. Si Jurans ad hoc ut fidem suam liberet, promissum solvit, solutum repetet, ut traditum sine causa, cap. debitores, cit. tit. III. Quia petens Jurisjurandi remissionem potest pacto contravenire. Vasquius tamen in effectibus tantum variat. Ceterum quidquid sit, hæc distinctio a Portio tradita, & a Vasquio, & Corasio probata, ut nimurum Jure canonico pactum non validetur, sed solum Jusjurandum servandum sit, falsa omnino est, ut aperte patet ex cap. quamvis pactum, de pactis in 6. ubi dieitur pactum patri factum a filia, dum nuptui tradebatur, ut dote recepta nullum ad bona paterna regressum haberet, Juramento firmari, adeo ut omnino servandum pactum sit. Quod evidens adeo est, ut Jason in ant. sacram. puberum, licet prius adhaeserit Portio, mox tamen n. 14. notet ex d. cap. quamvis pactum, Portii sententiam subverti.

Itaque in questione nostra, vel dicendum est donationem patriam omnino Jurejurando firmari, vel omnino non firmari, nullusque locus mediæ alicui sententiæ relinquitur. Communiter ergo creditum est eam donationem Jurejurando ratam fieri. Ita Andreas Gaillus lib. 2. observ. 38. a num. 8. ad 12. Facheinus 3. controv. 77. Joannes Gutierrez de Juram. confirmatorio par. 1. cap. 4. in princ. & post alios Clarus lib. 4. §. donatio, qu. 8. Horum rationes mox adducemus.

Alii e diverso statuunt Jusjurandum in patria donatione nullius esse momenti. Paulus de Castro conf. 345. Fulgosius confil. 199. Cornelius conf. 238. lib. 1. Bocerus hic cap. 3. num. 7. & consentit Alciatus in cap. cum contingat num. 108. de Jurejurando. Quæ sententia Juri conformis est.

Id probatur evidentissime, quod Jusjurandum ex Jure canonistico, a quo omnis hæc questio pendet, eam solum vim habet, ut confirmet actum, qui Jure civili invalidus est, ita aperte in dictis Juribus, & præterim in d. cap. quamvis pactum: ergo Jusjurandum in donatione patria nullius roboris erit, utpote quæ non est invalida, sed nulla, l. i. §. 1. ff. pro. donato. Quid quæso confirmabit Jusjurandum, quod confirmatorium dicitur? non certe donationem, quæ non est, siquidem nullam dicere donationem est, non secus ac dicere nunquam fuisse donationem ex Juris censura: sicuti ergo donationi, quæ facta non est, Jusjurandum

tandum nihil prodest, ita etiam huic nullæ. Unde recte statuitur, Jusjurandum esse accessionem ipsius actus, quo non substante, nec ipsum Jusjurandum subsistet, *cap.accessorium, de regul.Jur.in 6.*

Probatur amplius, quia si pater filiofamilias donaret, sibi ipsi donaret, cum per eam donationem, utpote de bonis profectitiis factam, patri dominium quereretur: sed sibi ipsi tradere, & donare impossibile est, *I.s quis pro eo, §. i. ff.de fidejusoribus:* quapropter Jurejurando ea donatio firmari nequit, cum Juramentum vires suas non eatenus extendat, ut rem factu impossibile efficiat, ut possibilis sit.

Sed age videamus, quibus argumentis contrariae opinionis assertores pugnant. Dicunt itaque nostras has rationes pendere a viribus patræ potestatis, ob quam filiusfamilias patri querit, & cum eo una persona censemur; quare corruant necesse est, quoties palam fiet in nostro casu, neque patriam potestatem, neque unitatem personarum locum habere.

Quod unitas personarum locum non habeat, probant, quia pater, filiusque familias una persona censemur in iis, quæ spectant ad obligationem civilem, non item in iis, quæ obligationem naturalem respiciunt; quandoquidem obligatio civilis ea est, quæ in patrem, & filiumfamilias non cadit, inter quos tamen cadit obligatio naturalis, ut expresse habetur in *I.frater a fratre, §. quæstum, ff. de condit. indebit.*

Idem est in servis, qui ex contractu domino naturaliter obligantur, *Institutionibus de fidejusoribus in principio* & ratio est, quod dominus, & servus, pater, & filius, si naturaliter, & re ipsa considerentur, distinctæ personæ sunt, eoque potest unus alteri naturaliter obligari, eos enim Juris vinculum in unam personam unit, hoc est, vel patria potestas, quæ a Jure civili est *§. i. de patria potestate*, vel potestas despotica, quæ a Juregentium descendit, *§. i. de his, qui sunt sui:* ergo cum pater aliquid filiofamilias donat, jam ex ea donatione oritur inter utrumque naturalis obligatio. Hæc, si Jusjurandum accesserit, robur, & efficaciam ex eo accipiet; itaque si pater verbis filiofamilias donaverit, rem tradere instituta act one cogi potest, quod si tradiderit non erit locus repetitioni.

Quod ulterius locum nec etiam habeat in casu nostro patria potestas, probant, quia in rebus spiritualibus patria potestas negligitur, *cap.fin. §. fin. de judiciis in 6.* ubi in causis beneficialibus, & aliis id genus, quæ spirituales sunt, filiusfamilias agere potest etiam sine consensu patris, qui consensus al oqui Jure patriæ potestatis exigeretur; sic ergo & negligenda est, cum agitur de Jurejurando, quod est quid spirituale, & vinculum animæ, *cap.ctsi Christus, de Jurejurando.* Accedit, quod Jusjurandum est Juris divini, patria potestas est Juris civilis, eo que illi cedere debet: quare cum patriæ donationi Juramentum adiungitur, ex vi ejusdem filiusfamilias uti extraneus censendus, adcout in.

inter eos jam non solum oriatur obligatio naturalis , sed etiam civilis , quæ inter extraneos ubique locum habet.

Subdunt etiam , si demus donationem patriam esse nullam , nihil tamen obstat quin Jurejurando confirmetur ; idque probant ex Papinia no in *l.cum pater , g.filius matrem , ff.de legat.2.* ubi testamentum nullo Jure factum , addita Jurisjurandi religione , servandum est ab herede .

Sed hæc licet alicujus momenti prima frōte esse videantur , facile tamen concidunt , si attentius considerentur .

Ad primum itaque respondeo ; duosque casus distinguo . Prior est si donatio re facta sit , hoc est per traditionem , tunc falsum est inter patrem filiumque familias ullam oriri obligationem , nec etiam naturalem ; tum quia omnis obligatio est contractus , & traditio non est nisi distractus ; tum etiam quia actio , vel est rei persecutoria , vel datur in personam , ut quid det , vel faciat , quarum nulla hic locum habet ; non enim potest donatarius rem donatam persequi , cum jam apud eum sit ; nec potest agere in personam donantis , ut tradat , cum jam tradita res sit ; quare nullo modo est donator obligatus . Et plane Jurisconsultus in *d.l.frater a fratre* manifeste ostendit , solum ex contractu inter patrem filiumque familias gesto obligationem naturalem oriri ; non enim temere , & sine ratione loquitur nominatim de mutuo , quod contractibus accensetur .

Secundus casus est , si pater stipulando , vel pacto filiofamilias donaverit , & fateor non invitus oriri inter eos obligationem naturalem , hoc est patrem non cogi tradere , verum si tradiderit , tunc filio competere retentionem , sed non omni casu ; nam si pater dederit filio rem pacto donatam , dum hic est adbuc sub patrio Jure , tunc filiofamilias retentionio non competit , cum traditio nullius momenti sit , & res patri quæratur , *d.l.placer, ff.de adquir.beredit.* Si vero pater rem filio post emancipationem tradat , utique dico filium posse patrem repetentem exceptione repellere , retentionemque habere . Probatur id manifeste ex *d.l.frater a fratre , g.quæsitum* , in qua tunc solum filio retentionio conceditur , cum pater post emancipationem solvit id , ad quod ex contractu olim gesto naturaliter tenebatur . Hæc naturalis obligatio si Jurejurando firmetur , non majorem vim adquirit , atque haec tenus expositum est ; nam falsum est , quod putant , Jusjurandum accedens obligationi naturali tribuere actionem civilem ; siquidem in *d.cap.quamvis pactum* , non aliud statuitur , nisi actum Jure invalidum , Jurejurando firmari . Cum autem firmum est , iam ex certa ratione actio ex eo efficax nascitur ; & quamvis nonnulli ex *cap.2. & 8. de Jurejurando* tradiderint , ex pacto nudo decerni actionem ; id tamen omnino falsum est , cum in eis solum constitutum sit pacta esse servanda , & Jus esse Episcopo per censuras Ecclesiasticas adigere pacientes ad fidem servandam , quod fieri potest , etiam si inde nulla decernatur actio . Immo hinc elicetur nullam ex partis

*Etis nudis præstari actionem; nam si præstaretur, quid opus esset paci-
fcentes ad observantiam adigere per censuras, cum possint cogi actione
instituta.*

Ad secundum cum dicitur in spiritualibus negligi patriam potesta-
tem; respondeo id verum esse, sed in casu nostro locum non habere,
ubi agimus de donatione, quæ spiritualis non est: ita recte dicebat
Porcius in §. extraneis, de heredum qualitate, num. 13. in fine, dicendo,
quod licet in spiritualibus, ut aliqui putant, minor pro majore habe-
tur; id tamen minime procedere, si de contractibus agamus, qui in-
ter spiritualia non recensentur.

Nec quicquam tertio pro communi opinione facit Jurisconsultus
in l. cum pater, §. filius matrem, ff. de legat. 2. ubi filius matrem heredem
scriperat, & fideicomissa tabulis data cum Jurisjurandi religione præ-
stari rogaverat, cum testamentum nullo Jure factum esset, nihilominus
mater legitimam hereditatem cogitus fideicommissario præstare; nam
obnixæ (inquit Jurisconsultus) voluntatis preces ad omnem successionis
speciem porrectæ videbantur. Ex qua lege inepte Doctores colligunt,
Juramentum testatoris, vel heredis habere vim repetitionis ab intestato.
Dicunt testatoris, vel heredis, quia dubitant, utrum in hac specie
ipse filius Juraverit, an filius matrem Jurate adegerit, ut Accursius ibi
notat verbo Jurisjurandi: sed omnino decipiuntur, quandoquidem in
ea lege Jurisjurandi nomen non significat Juramentum, sed obsecratio-
nem; quoniam enim fideicomissa non ex Jure, sed ex fide restitueban-
tut, ideo testatores fidem suorum heredum implorare solebant, & ob-
secrabantur vel per Deum ut restituerent, l. 3. in princ. ff. de Jur. fisci, vel
per salutem Augusti, Institut. tit. de fideicommissariis hereditatisbus, in
princ. Hæc obsecratio a Papiniano dicitur Jusjurandum, non secus ac
a Justiniano in l. 2. C. commun. de legatis, dicitur rogari En horco, hoc
est Jurejurando, ut ibi legit Alciatus, vel Enhorko, hoc est Jurejuran-
do convenio, ut putat Cujacius 16. obser. 25. Itaque in nostra specie
filius matrem heredem per Deum rogaverat, ut injunctum fideicommis-
sum præstaret, & ex hac obsecratione debetur fideicommissum etiam te-
stamento nullo. Patet id quia ibi ait, fideicommissum ab intestato re-
stitui non ex vi Juramenti, quippe nullum fuerat adhibitum, sed ob
preces enixæ voluntatis, hoc est, quia rogata mater fuerat per Deum,
ut particula illa, Preces, aperte ostendit.

Ita etiam puto intelligendum esse textum in l. si quis inquilinos,
§. xlii. ff. de legat. 1. quo habet: Divi Severus, & Antonius rescripe-
runt, Jusjurandum contra vim, legem, & auctoritatem Juris in testa-
mento scriptum nullius esse momenti: ubi in eam sententiam itum est,
ut credant per Jusjurandum significari Juramentum, quod fallum est,
ut patet ex eo, quod nullo modo species illius §. poni potest, & frustra
Accursius, qui eam ita fingit, lego ædes destruendas, & volo heredem,
vel

vel legatarium Jurare , seu lego tibi decem , si Juraveris capitolium non ascendere .

Primo enim hæc legata nihil habent contra vim , & auctoritatem legis . Secundo in his casibus heredes , vel legatarii Jurare deberent post testatoris mortem in alia scriptura , quam testamento ; nihilominus in eo §. dicitur Jusjurandum in testamento scriptum , immo si eo modo interpretetur , Severi , & Antonini lex omnino inutilis foret , cum jam ante ipsos a Prætore generatim sanctum esset , nihil posse sub conditio- ne Jurisjurandi , seu Juramenti relinqu , quod si relictum fuerit , Jura- mentum nihil operari , ut constat ex Ulpiano in *l.qua sub conditione* , *ff. de conditionibus institutionum* ; quapropter Jusjurandum in *d. §. ult.* non erit , nisi obsecratio testatoris in testamento scripta , qua adjurat heredem , ut quid faciat , vel non faciat , contra vim , & auctoritatem legis ; ut puta si per Deum roget , ut hereditatem filio adulterino re- stituat , hæc obsecratio , inquiunt Imperatores , quia contra legem , non obligat heredem , licet alias obnixæ voluntatis preces maxime operen- tur , ut dicebat Papin. in *cit. l. cum pater , §. filius matrem , ff. de leg. 2.*

An inter patrem , filiamque familias dotis causa donatio valeat.

C O N T R O V E R S I A II.

Constans nostrorum opinio est , hanc donationem privilegio dotis omnino valere , & moventur eleganti illo Papiniani responso , quod extat in *l. Pomponius Philadelphus , ff. familia ericiscundæ* ; in cuius spé- cie cum proponeretur , patrem quædam prædia filiæ suæ dotis causa tra- didisse , eorumque redditus genero solvi mandasse ; tum quereretur an post mortem patris accepto inter filiam , ceterosque patris ex testa- mento coheredes , familiæ ericiscundæ Judicio , præcipua retinere filia pos- set ; respondet Papinianus justam causam retainendæ possessionis habere filiam ; quoniam pater prædia , de quibus querebatur , dotis esse vo- luerat , & matrimonium post mortem quoque patris steterat ; filia enim naturaliter agros tenuit specie dotis , cuius capax fuisse . Hinc ergo probant donationem patriam dotis causa factam statim vires habere ; neque eam teneri filiam mortuo patre in collationem ponere . Ita Glos- sa , & Cujacius ibidem , Covarruvias in *cap. quamvis pactum , de pactis in 6. 3. par. §. 1. ad finem* , late Petrus Barbosa in *l. 2. §. quod si in patris a num. 2. ff. solat. matrim.* Ratio cur ita sit , credunt indicatam a Papinia- no verbis illis , speciem dotis cuius capax fuit , defendi , hoc est , quod

Hhh

sicut

sicut filiafamilias dotis capax est; ita etiam capax erit donationis dotis causa factæ.

Verum donari causa dotis filiafamilias non posse post Fulgosium & Ripam, docent Alciatus *ibid. uum. 8.* Faber *conjecturarum lib. 7. cap. 12.* & de erroribus pragmaticorum *decad. 40. err. 9.* Schiferdegherus *lib. 12. tract. 15.* quæ sententia vera est.

Probatur id primo, quandoquidem regula, qua traditur, donationem inter patrem, filiamque familias valere, non est cur violanda sit in donatione causa dotis, eoque etiam in hac locum habet. Verum hoc excipiunt fieri favore dotis, vel favore nuptiarum, ut voluit Cujacius ad Papinianum in *l. Imperator, §. pater filiae, ff. de leg. 2.* Itaque harum intuitu regula illa de donatione patria cessat. Sed respondeatur hanc donationem causa dotis factam, nihil favere doti, vel nuptiis, sed eis potius obstat, & nocere; dos enim a patre tradenda est genero filiae nomine, non item donanda filiae, illo quippe casu vere dos est, & matrimonium ea conciliatur; isto neque dos est neque nuptiæ alliciuntur. Utrumque patet, siquidem dos tunc constituitur, cum res viro traduntur, non cum filiæ donantur, *l. de divisione in fine, ff. solut. matrim. l. dotale, §. dorale, ff. de fundo dotali,* & consentiunt adversarij, inter quos Barbosa ad *rub. ff. sol. matrim. par. 4.* & matrimonia tunc concilianter, cum res dotales ipsi viro traduntur; hac enim esca capiuntur, qui uxores ducunt. Apparet itaque in hac donatione nullum vel dotis, vel nuptiarum favorem considerari posse, quod eo fortius urget in *d.l. Pomponius Philadelphus*, quod in ea specie prædia donata filiafamilias penes ipsam permanferant, ut videbimus.

Probatur ulterius ex *l. cum pater, §. pater filiae, ff. de leg. 2.* ubi agit Papinianus de patre, qui mancipia filiæ nubenti dederat, nec eo minus negat validitatem donationem, si verbis fideicommissi confirmata non esset, & ob id eam comparat donationi factæ inter virum, & uxorem, quæ etiam utilis est; licet hæc confirmetur morte, & silentio conjugis donatoris; illa vero expressam patris confirmationem exigat. Nec quicquam obstant Accursius, Cynus, Gałensis, quorum aliqui fingunt, patrem donasse quidem filiæ, sed simpliciter, vel dotis causa; alii vero contendunt, nec etiam donasse, sed dedisse in dotem, vel ultra dotem; nam respondeatur cum pater quid simpliciter filiæ nubenti dat, illud in dotem dare censetur, nisi extra dotem dare se exprißerit, *l. donationes, §. species, ff. hoc tit.* Ratio est, quia patris officium est dotare filiam, & in dubio præsumitur quis satisfacere potius officio suo, quam meram liberalitatem in aliud conferre; itaque pater in *d. §. pater filiae, causa dotis filiæ mancipia donavit, quod etiam patet ex eo quia Papinianus ibi hanc donationem mancipiorum filiæ, comparat donationi in uxorem collagæ.*

Sed

Sed age probemus jam hanc donationem patriam non valere, probasti ex ipsa l. *Pomponius Philadelphus*, qua communis opinio ntititur; quod ut evidentissime constet, libet hic eam legem longo silo tractare.

I. Iaque negamus in ea specie ullam factam esse donationem, non enim dicitur patrem filiae, quam habebat in potestate, praedia in dotem tradidisse, sed dotis causa, ut eorum redditus genero solverentur; aliud autem est donare, aliud dotis causa tradere, cum illud sit liberalitatis, hoc in patre sit necessitatis, quae duo scilicet necessitas, & liberalitas simul esse non possunt. Unde non videtur donare uxori, quae marito dedit, ut pro filia genero in dotem daret, l. *profectitia*, §. si quis certam, ff. *de jure doti juncta* l. *sive uxori*, ff. *de donat.* *inter virum*: ergo ita etiam non censabitur donasse pater, qui filiae familias praedia dedit, ut inde viro suo constitueret dotem: quod si dixeris in specie proposita patrem non genero, sed filiae praedia dotis causa tradidisse; respondeo nihil in quantum ad donationem referre, utrinam pater dederit, cum non aliter praedia data fuerint filiae, quam dotis causa.

Neque recipieadum est commentum Barbos. d. n. 2. Cum voluit dotem datam quidem filiae, sed a filia deinde marito, quasi actus unus traditionis occultetur, ut in l. i. §. *sed si debitorem*, ff. *de donat.* *inter virum*, quam traditionem colligit ex eo, quod dicatur pater voluisse ea praedia dotis esse, quare tradenda erant marito, quia alias esse dotis non poterant, l. *de divisione in fine*, ff. *solut.* *matrim.* l. *dotale*, §. *dotale*, ff. *de fundo dotali*, quae Barbosa opinio aperte Papiniano repugnat; siquidem pater jussit ex praediis filiam genero fructus solvere. Unde patet praedia penes filiam esse, quae solvit, non penes virum cui solvit, alias vir si ipse fundos haberet, ipse sibi solveret, quod absurdum est, cum solutio fiat a debitore creditori, nullus autem possit simul sibi ipsi debere, vel sibi obligari. Immo in fine legis Papinianus dicit filiam naturaliter praedia illa tenere. Neque obstat aliquando actum unum occultari, nam hoc verum est in traditione ficta, ut in d. l. 3. §. *sed si debitorem*, ubi si vir debitorem uxori solvere mandet, & ita fiat, censetur debtor creditori dare, & creditor uxori, quod non est in specie proposita, cum Barbosa contendat, vere praedia a filia translata fuisse in virum, licet a Papiniano non exprimatur, quod omnino diversum est a traditione ficta: cum autem idem Auctor subdit, dotem dici non posse, nisi viro tradita sit, nos id concedimus; sed notandum est hic dotis titulum non valuisse, ut mox fiet manifestum; stet itaque praedia filiae dotis causa tradita fuisse, non item ei donata, quod primus omnium notavit Schipherdegherus, licet Faber, Alciatus, ceterique putaverint, vere patrem praedia filiae donasse.

II. Hæc patris in filiam familias sive donatio, sive traditio, non valuit; patet id ex eodem Papiniano, dum ait filiam naturaliter agros tenuisse; quod sane demonstrat traditionem nullius momenti fuisse; nam

cum traditio valet, qui accipit, utpote rei traditæ dominus, rem vere, & civiliter possidet: sed cum dicitur retentio, sive etiam possessio naturalis, tunc veræ possessioni detrahimus, & detentionem solum significamus. Urde omnes, qui dicuntur naturaliter possidere, dicuntur etiam non possidere: ita fructuarius naturaliter rem possidere dicitur, in qua usumfructum habet, *i.e.* naturaliter, *ff. de adquir. posse.* at ipse idem non possidet, *i.e.* *adquiritur, §. ult. ff. de adquir. rer. dominio.* Sic quoque Colonus, Commodatarius, Depositarius, naturaliter possident, *i.e.* *quod valgo, ff. pro herede;* nullus tamen istorum vere possidet, ut diserte scripsit Ulpianus in *i. certe, §. is qui, ff. de usucap.* & in *i. officium, ff. de reivindicatione.* Ratio autem cur in specie Papiniani traditio, seu donatio non valuerit, facile intelligi potest; si enim de traditione loquamur, hæc ideo non tenuit, quod traditum ex causa dotis, ut valeat, non fieridebet filiæ, sed generi filiæ nomine, quum maritus efficiendus sit dominus dotis, *i.e.* *doce ancillam, C. de reivindicatione,* eoque ipsi res dotalis tradenda est ex *i. traditionibus, C. de pacis.* Sin autem eam donationem esse dicamus, ideo non valet, quia filia sub patris potestate constituta, cum rem donatam a patre accipit, eam non nisi naturaliter tenere, seu possidere potest, ut in nostra specie afferit Papinianus; & concordat cum eo, quod Julianus ex Servii sententia scribit, filiam rem donatam a patre non posse pro herede usucapere, ea ratione, quod naturalis possessio penes ipsum fuerit vivo patre, *i.e.* *in fine ff. de usucap. pro herede.*

III. In specie Papiniani nec titulus ipse dotis valebat, ex quo secuta traditio proponebatur: id ita diserte exprimit Jurisconsultus, ut nihil magis, cum ait filiam specie dotis defendi, idest eo colore, & prætextu potius, quam jure; nec enim consentiendum est Cujacio, cum censet Papinianum dixisse specie dotis defendi filiam pro causa dotis, *i.e.* *Mævius in princ. ibi, Si plus sit in specie legati, ff. de legat. 2.* Nam speciem significare causam, nusquam legimus, neque id speciei nomen pati potest, cum contra notissimum sit, speciem denotare prætextum, coloremque; cum autem in *d.l. Mævius* dicitur, debitor non semper quod debet, jure legat, sed ita si plus sit in specie legati, hoc significatur, tum legatum rei debitæ consistere, cum creditor, eidemque legatario utilius est rem recipere sub nomine, & titulo legati, quam rei debitæ.

Neque obstat, quod Papinianus subjiciat esse filiam dotis capacem constante matrimonio; hinc enim male inferunt adversarii eam etiam capacem esse donationis causa dotis factæ; nam longe differunt filiam dotis capacem esse vivo patre, & posse filiam familias ex donatione traditam sibi a patre dotem accipere; potest enim, sive potius tenetur pater filiæ nomine genero dotem tradere; sed ipsi filiæ dotem tradere, ut ei adquiratur, non potest ob impedimentum patriæ potestatis.

IV. Apud Papinianum proponitur, matrimonium post mortem quoque

que patris stetisse, hoc ideo quia si moriente patre matrimonium solutum fuisset, res in dotem data, utpote profectitia, esset ad patrem reverta, nam dos non est, nisi constante matrimonio: quod si in hac specie conationem intervenisse velimus, notandum jure ff. donationem in filiam familias a patre collatam patris morte non confirmari; nam si confirmaretur, non opus fuisset Papiniano tueri donationem, quia matrimonium post patris mortem steterat, sed dixisset, jam patris morte validam fuisse factam: quare patet error Barbos. loc.cit. n.3. qui credebat olim Papiniani tempore donationem patriam morte ratam fieri; unde se misere torquet, ut rationem adinveniat, cur haec dōtis causa donatio etiam mortuo patre donatore, non habita fuerit eo-capite, tanquam valida. Gravius errat Antonius Faber decad.40. err. 9. qui dixit se in hac Papiniani lege novum quid, & propemodum mirabile deprehendisse, quod nullus hactenus observarat, deterioris conditionis olim fuisse donationem inter vivos factam filiæ familias ex causa dotis, quam ceteras, in eo, quod cum ceteræ donationes inter vivos a patre in filios, vel filias familias collatæ silentio, & morte patris convalescerent, etiam citra specialem confirmationem; donatio tamen facta ex causa dotis non confirmabatur: & tamen notare debebat hodie, nedum olim, donationem patriam silentio, & morte patris non effici posse ratam, sed omnino exigi specialem morientis confirmationem, ut jam supra cum Donello docuimus.

V. Filia possidebat, quamvis naturaliter, prædia a patre sibi tradita, siquidem non possideret, ei integrum non esset, ea prædia a coheredibus petere, multoque minus jure præcipui vindicare ea ratione, quod dotis capax etiam vivo patre fuisset; non posset inquam, quia si pater tantum illa tradere promisisset, patris promissio tanquam inutilis non concederet filiæ petendi actionem; sed quia jam naturaliter ea tenebat, facilius est, ut ab arbitro familie erciscundæ detur ei retentio ad conservandam patris inter liberes voluntatem, quamvis Jure destitutam. *I. quoties, I. filii, & I. ult. C. familiæ erciscundæ, I. paren. ibus, C. de insuff. testamento.*

Tandem Papinianus decidit posse filiam sibi Jure præcipui, five excipui, doti retinere. Pro qua decisione (ut breviter repetam) duo supponit. Primo patrem fecisse testamentum, nam iure ff. tunc solum dos in collationem veniebat, cum pater ab intestato deceperat, non item si cum testamento, *I. i. §. filiam. ff. de collat. dot. nisi nominatim collationem fieri jussisset, I. pater nubenti, ff. cit. tit. I. Thcopompus. ff. de dote prælegata*, licet deinceps per Justinianum statutum sit omni casu dotem conferri debere, *§. illud, Novella de triente, & semiſſe*. Quare si pater in specie Papiniani ab intestato mortuus fuisset, dubium non esset prædia filiæ tradita causa dotis in collationem venire, si dos ipsa genero tradita fuisset.

Se-

Secundo matrimonium post patris quoque mortem stetisse; nam si vivo patre fuisset solutum, dos ad patrem reversa in ipsius patrimonio jam absque ulla collatione reperiretur, *I. fin. C. communia utriusque judicii.* Itaque si verum est, cum post patris mortem testato matrimonium stet, dotem non esse conferendam, videtur neque prædia filiæfamilias causa dotis tradita in collationem venire. Difficultas vero in hoc erat, ea prædia vere dotalia non esse, cum viro tradita non sint, sed filiæfamilias, eoque censenda videbatur non uti dos, sed uti quid profectitum, quod collationem non effugit. Respondet tamen Papinianus, filiam specie, prætextu, & colore dotis defendi, hoc est licet ea prædia vere dotis non sint; tamen ratio aliqua voluntatis paternæ habenda est, qui pater ea nomine dotis trahiderat. Addit filiam possidere, licet naturaliter, quia possessori favendum est. Hæc nobis Papiniani ~~genitiva~~ interpretatio esse videtur in *L. Pomponius Philiadelphus*, quæ tantopere nostrorum Jurisconsultorum ingenia stylumque exercuit.

Verum quia contraria opinio moribus recepta est, valide scilicet patrem filio, quem sub iure mancipioque habet, causa nuptiarum donare, ideo operæ precium est cursim aliqua circa eam notare; siquidem hodie cum filiæfamilias matrimonio sociantur, donationes intuitu certi illius matrimonii a patre accipiunt nuptiarum tempore, hoc est in tabulis nuptialibus, quo magis mulieres ad contrahendum afficiantur, cum maritum divitem habent, quare accedit filiæfamilias potius causa nuptiarum donari a patre, quam filiæfamilias.

Primo itaque hæc patria donatio, ut substatineatur, fiat tempore nuptiarum opus est: nam ante nuptias nullus ipsarum favor, nullumque privilegium considerari potest, ut patet ex *I. Divi, ibi, pacificis, quæ matrimonii tempore, C. de naturalibus liberis;* hinc ante matrimonium dos nulla est, *I. 3. ff. de jure dor.* & ita sentiunt Soccinus junior *conf. 44. num. 4. lib.* & ante ipsum Castrensis *conf. 345. num. 1. lib. 1. Fontanella de pacificis nuptialibus clausula 4. glof. 1. n. 22.*

II. Hæc donatio actione ingratii non revocatur, *Menochius conf. 723. a n. 9.* Nam donatio ob causam, nisi causa non secuta, non revocatur. Ceterum donationem hanc ob nuptias, ob causam esse, sive ob rem, nulli dubium est. Addit *Franchis decif. 205.* nec filium donatarium posse matrimonio inito hanc donationem patri retrodonare, sive omnino, sive pro parte, quia mulier, quam filius duxit, nuptias non contraxisset, nisi vir suus esset ita a patre locupletatus; quare æquum non est per has dolosas retrodonationes decipi.


III. In his donationibus non solum adest favor uxoris, sed etiam filiorum, qui ex his nuptiis nascentur, etiamsi ipsorum nulla habita fuerit mentio, & hoc ut ipsi post patris mortem habeant, unde honeste vivere possint, ut sentit *Franciscus Molina de rit. nuptiar. lib. 3. qu. 10. num. 27.*

num. 27. & seq. Quare patri donatis in his rebus omnis alienatio prohibita est , easque debet integras filiis nascituris reservare , qui tandem pater mortuo , succedunt uti filii , non uti heredes , eoque nullum ius in ipsis queritur creditoribus patris , ut decisum refert Staibanus *refo. lut. 23.*

IV. Si matrimonium ante patris mortem nullis inde susceptis liberis dissolutum fuerit , res ita donatae filiofamilias non acquiruntur , sed per ipsum iuxta regulas transeunt in patrem. Probant hoc , quod Papinius ideo statuerit posse filiam prædia sibi dotis causa donata iure precipui retinere , quia matrimonium post mortem quoque patris fletterat , ut ibi notat Fulgosius *num. 2.* Cardinalis Zabarella *consil. 152.* *num. 2.* quibus accedit Barbosa *cit. num. 8.* ea ratione , quia pater in dubio censetur voluisse id , quod lex disponit , *l. uxorem , §. testamento* , ubi Bartolus , *ff. de legat. 2.* hoc est donationem ad ipsum patrem , a quo profecta fuit , reverti .

V. Itaque matrimonio non secuto res donatae patris manent , nec filiofamilias adquiruntur ; propterea quod ideo substinetur donatio , quoniam matrimonium est , eoque cessante donationis validitas cefsat : Barbosa tamen *num. 5.* ita hanc donationem restringit , ut velit res donatas apud filiumfamilias posse manere , si pater ita velit , quod probare nititur primo ex *l. si extranus in fine , ff. de conditione causa data* , in qua dicitur , ut ipse fingit , filiam in potestate posse sibi retinere res causa dotis sibi a patre donatas , etiam non secuto matrimonio , si evidenter constiterit hanc fuisse patris voluntatem . Sed fallitur , nam ibi omnino alia species est ; proponitur enim patrem filiæ nomine dotem genero dedisse , & pactum esse , ut quoquo modo finitum esset matrimonium , dos ei redderetur : accidit nuptias non esse secutas , quare dubitatum est , cui condicione competit , patri ne , an filiæ ; & responsum est , quod licet pater convenerit de iis soluni casibus , qui matrimonium sequuntur tamen quamvis nuptiæ pactæ non sint , posse patrem conditionem proponere , quasi causa non secuta . Excipit ibi Jurisconsultus casum unum , nisi evidentissimis probationibus filia ostenderit , hoc pactum ideo patrem fecisse , ut ipsi filiæ magis , quam sibi prospiceret . Ubi notandum contra Barbosam patrem hic non donasse filiæfamilias , sed genero nomine filiæ dotem tradidisse , & filiam retinere res in dotem datas , sed eam contradicere , si ita appareat patrem voluisse , itaut filiæ non adquiritur eo casu res donata , sed actio ; cum autem post conditionem res eas adquisiverit , si quæras cujusnam erant , respondeo fieri patriss ; ita enim regula est , contra quam nihil in ea lege statuitur . Probat secundo ex *l. Caius in fine , ff. solut. matrimonio* , ubi supponitur posse mulierem retinere dotem sibi datam per Avum , cum tamen certum sit , facta post matrimonium solutum dotis restitutione , nomen , favorem - que

que dotis cessare , eoque filia capax dotis est , donationisque , quantum cunque cesset consideratio matrimonii contracti . Ceterum facilis responsio est,in ea lege non de dotis profectitiae retentione agi,sed de adventitiæ repetitione,utpote quæ ab avo materno constituta fuit ; cum autem dos repetitur , favorem dotis durare dubium non est . Atque pauca hæc de donatione nuptiarum causa facta in gratiam Pragmaticorum notasse sit satis .



DO:



DOMINICI AULISII

J. C. CLARISSIMI,

De Censibus,

LIBER SINGULARIS.

Consuum origo non admodum vetusta videtur, ut de quibus in Jure Romano nulla usquam expressa mentione extet. Sunt qui putant, contractus ejus inducendi occasionem homines lucri cupidos habuisse ex prohibitis in mutuo usuris; cum enim ex precepto Christi eretas sibi viderent usuras, nummos egeritibus tanquam venditoribus dare cæperunt, quibus ipsi annum, vel menstruum in rebus eorum emerent, quod esset vice usurarum. Et certe in centuali contractu facile est in usurariam pravitatem prolabi, ad quam coercendam tot Sanctorum Pontificum Leges, seu Extravagantes, & Bullæ sanctitæ sunt, quarum finibus si quis se contineat, utique longe aberit, ut in censu contrahendo usuram admittat; nam Molinæ in *tract. de commerciis*, & Salmasi *de fœnore trapezitico*, calumnia est, census in vicem usurarum inductos esse a Romanis Pontificibus, ut proscripto Usurarum invidioso nomine, rem ipsam, hoc est, ipsas usuras retinerent. Quam hæreticorum insaniam in progressu diluemus. Interim notabimus censum originem non adeo recentem esse, ut vulgo opinantur; quippe census reservativi illustria extant vestigia *Gens. 47.* ubi Joseph agros, quos ab Ægyptiis emerat Regi, iisdem ea lege restituit, ut quartam partem suatum Regi præstarent. Census item consignativi exemplum habemus in *Novella Justiniani 160. collat. 10.* Narrat enim Aphrodisiensis Reipublicæ Patrem, hoc est patrōnum, & defensorem, Primoresque civitatis, magnam pecunie sumam, ne sterilis & otiosa maneret, distribuisse ea lege, ut qui partem

aliquam illius reciperet , non compelleretur eam restituere ; nisi vellet ; quamdiu tamen eam retineret , certum aliquem annum redditum civitati penderet . Ex hisce parvis initis censuum usus adeo hodie increbuit , ut vix quidquam in humanis commerciis frequentius accidat , sitque jam haec tractatio ex præcipuis nostri Juris una , quam hic certa via , certaque ratione explanare opere præsum est . Sit ergo .

De nomine , & substantia Census .

C A P . I.

Census nomen in Jure civili varie sumitur , Covarruvias 3. var.7. Molina disp.381. l. Census erat , cum cives Romani omnes ex instituto Ser. Tullii Regis per singula lustra Jurejurando dato , nomina sua , uxorum , liberorum , libertorum , servorumque suorum in Campo Martio profitebantur : præterea etatem omnium , regionem , quam habitarent , & fortunarum , seu bonorum suorum estimationem deferebant , ut ita & numerus eorum , qui arma ferre possent , & pecuniarum magnitudo , quibus belorum sumptus substinebantur , ostenderetur , l.2. §.post deinde ff.de orig.Juris . Vide Sigon. 1. de antiquo Jure Civium Rom.14. Huic centui aliqua ex parte respondet focorum numeratio , quam in Regno nostro habemus .

II. Hinc factum , ut census pro bonis , fortunisque omnibus usurpatus sit , ut in illo , *Dat census bonores , l.cugi in princ. ff.ad Trebell.*

III. Census in tit. ff.de censib. & tit. C.eot. lib.11. dictus est tributum , quod praediis Provincialibus imponebatur , fisco solvendum ; omnes enim pro iis agris , quos posse lebant , publicas penitulationes pendebant , ut etiam habetur in toto titulo Codicis sine censu , vel reliquiss fundum comparari non posse , ubi reliquorum nomine intelliguntur census , quos venditores praediorum fisco debent , ne cum persolverunt ; quamvis aliquando reliqua generalius pro omni residuo debito usurpentur , l.24. ff.ad municipalem , l.102. §.2. ff.de solutionibus , l.46. ff.de admin.tutor.

Ex hac census significatione pro tributo publico , factum est , ut eodem vocabulo appellaretur pensio , aut præstatio quæcumque annua , seu menstrua , debita etiam privatis , quæque in emphyteusi Canon dicitur . Atque ita in hoc tractatu Census nomen venit ; ita tamen , ut aliquando non significet ipsam pensionem certa specie præstandam , sed Jus talem pensionem percipiendi ; imo aliquando denotet contractum , vel quasi contractum , quo Jus istud comparatur , & acquiritur . Prima significatio est materialis seu naturalis , secunda formalis seu juridica , tertia causalis . Gibalinus par.2. de Usuris cap.6. art.1. in fine .

Cen-

Census ergo formaliter, seu juridice acceptus, definitur, est Jus percipiendi annum, vel menstruum ex re, vel persona, vel re utili alterius. Explicatur definitio.

Dicitur Jus, tum loco generis, ut cum servitutibus conveniat, quarum in numero census esse videtur; quippe servitus in genere est onus rei alienae injunctum, quo servit rei, vel personae; tum etiam, ut distinguatur census formalis a materiali, seu a pensione, quae in singulos annos ex re solvit.

Dicitur percipiendi, ut distinguitur a mutuo; quippe mutuator nullum Jus habet ex re mutuo data quidquam percipiendi, tanquam ex mutuo, alioqui in usurpe crimen incidet; eadem de causa diffat ab antichresti, pignore, & similibus. Duardus in *præm. constit. Pis V. q.9.n.8.*

Dicitur annum, vel menstruum, idest pensionem, vel materialem censem, qui in pecunia, vel fructibus consistit. Hæc pensio vel solvit tota simul, in singulos annos semel; vel tribus in annum præstationibus, unde tertiarum nomen descendit.

Dicitur ex persona, vel re; hæc enim habentur ut subjectum, in quo census constitui potest, quod aliquando est persona, quæ ad dandam illam pensionem obligatur; aliquando est res ipsa, quæ ita pensioni obnoxia est, ut illud onus secum ferat quocunque transeat. Unde oritur distinctio census in realem, & personalem, de quibus infra.

Dicitur utili, seu frugifera; alioqui enim ex ea pensio percipi non potest, & proinde census inutilis est. Vivius *decif. 369. num. 11. Pratus 1. qq. forens. cap. 25. num. 21.* Sed de hac re infra latius.

Dicitur alterius; quia cum census sit quedam servitutis species, rei, vel personæ imposta, necessario fit, ut in re aliena constituatur; nam res sua nemini servit, *luti frui, nisi usus fr. petatur.* Hinc census differt a Jure Canonis emphyteutici, quem proprietarius e re sua percipit, cuius utile tantum dominium in emphyteuta est; eademque de causa differt a libello, & superficie, & feudo, ob quod Baro pensionem, quæ adhoia dicitur, solvat.

Ex his patet I. non recte ab aliis censum definiri per contractum, non solum quia hæc significatio materialis est, verum etiam maxime, quia potest census sine contractu constitui, per ultimas voluntates, legando, fideicommittendo, & similiter, ut latius suo loco dicemus.

Patet II. Censem neque inter bona mobilia, nec immobilia connumerari posse; quippe Jura omnia, utpote incorporalia, tertiam quandam bonorum speciem constituunt, distinctam a rebus soli, & mobilibus, quæ corporalia sunt. Sed pro clariori intelligentia sit.

Utrum Census rerum immobilium nomine
comprehendatur.

Q U E S T I O I.

Quoniam Jura rebus cohærere dicuntur, non modo si realia sint, sed etiam si personalia, ut patet ex eo, quod ususfructus Jus in corpore dicitur, quo sublato & ipsum tolli necesse sit, *Institutionib. de usufr. in princ.* hinc fit, ut si rebus immobilibus cohærent, & ipsa immobilia censeantur: e diverso mobilia, si n.obilibus. Propterea anni redditus inter immobilia censentur Jure, ut dicitur in *Clem. Exivi*, §. cumque anni, ff. de verb. signif. cap. quærelam, de elec. l. jubemus, ubi Gloss. & Bald. num. 5. C. de Sacr. Eccl.

Hoc verum est, si annuus redditus, sive census sit realis, & præterea perpetuus, saltem habitu, quia vel redimi non potest, vel non nisi ex parte debitoris; nam si brevi tempore sit duraturus, e numero immobilium excluderetur, Federicus Martinus de Jure census, cap. i. num. 102. Duardus loc. cit. qu. 10. num. 40. Franch. dec. 314. aliquie com. muniter. Tempus perpetuum in Jure vocatur 30. annorum, Felinus in cap. sicut num. 30. de sententia excommunicat. & longum tempus est annorum decem, Gloss. & DD. in l. cum in rem, ff. de usuris; & census ad longum tempus etiam pro re immobili habetur, Gordonius lib. 4. qu. 7. cap. 7. n. 18. sicuti quoque census vitalitus, Gratian. discept. forens. cap. 756. num. 20.

Verum etiam est, ubi non repugnat verba improprie accipi: quippe improprie stabilium nomen census complectitur, cum non sit proprie tale, quod pro tali habetur, ut ait Bart. in l. si maritus, §. leges, ff. ad l. Jul. de adulter. Quare in statuto pœnali, exorbitanti, & correatorio, sub nomine stabilium census non complectentur, cum in ipso verba proprie debant interpretari, Peregrinus conf. 19. num. 12. & consil. 20. num. 15. lib. 3.

Hinc l. fit, ut sub legato rerum immobilium etiam census comprehendantur, ut est communis opinio, Gibalinus d. cap. 6. art. 1. n. 6. Petrus ad Ritum M.C. 216. contra Panorm. in cap. nulli, num. 9. & seq. de reb. Ecclesiæ alien. qui nititur in eo, quod in testamento verba sunt proprie accipienda ex l. qui heredi, ff. de condit. & demonstr. ubi tamen nihil habetur, quod ad rem nostram faciat.

II. Ut prohibita rerum stabilium alienatione, census distrahi non possint, Marin. 1. resol. 28. contra Cavalc. dec. 16.

III. Ut qui censum habet, relevetur in Judicio ab onere satisfandi, tanquam immobilium rerum possessor, Bellon. conf. 23. num. 9. Bossius hoc sit. art. 15. num. 37.

IV. Ut

IV. Ut pecunia, quæ Jussu testatoris, vel pacto contrahentium: in rerum stabilium emtionem collocari debet, rite in census emendos crogetur, Altibiad. Lucerin. 5. obser. 3. num. 2.

V. Ut Fratres Minores, qui immobilia nequeunt acquirere, sint etiam horum censuum incapaces, d. Clem. Exivi, ubi Anchæt. n. 21. etiamsi ipsis ad alimenta legentur, Federicus de Senis conf. 12. num. 4.

Et ita progrediendo, alia possent plurima colligi, inter quæ præcipuum est, ut census eo in loco dicatur existere, ubi fundus censitus existit, quamvis aliqui Jura loco non circumscribantur, l. Cajas, ff. de leg. 2. l. si fideicommissum, ff. de acq. pos. Ita. Parlador. rer. quotid. cap. 3: §. 8. num. 13. & decisum refert Marin. 1. resol. 11. num. 5. Quocirca, censito fundo in districtu nostræ Urbis existente, census ex bonis maternis ab intestato est restituendus proximioribus ex linea matris, & ex bonis paternis, proximioribus ex linea patris, juxta *Confuetudinem si quis, vel si qua*, ubi Provenzal. obs. 17.

Ita quoque census ex bonis antiquis intra districtum Urbis nostræ ex testamento debet pro dimidia parte remanere apud illos, e quorum stirpe progressus est, juxta *Confuetud. Et si testator*, Marin. 1. resol. 70. num. 31.

Illud notandum est, quod eti fundus censitus extra Urbis districtum existat, census tamen dicatur intra districtum esse, quoties convenitum est, ut solutio annuæ pensionis in Urbis districtu fiat, cum solutionis locus debeat attendi, l. contraxisse, ff. de ast. & oblig. l. 3. ff. de bonis aut. Judicis possid. Franch. decis. 93. Montau. contr. 8. num. 4. Amat. conf. 72. num. 31. Molfesius ad *confuet. par. 2. sub tit. de bonis, quæst. 12. num. 12.*

Sed vero ipse pensiones annuæ maturæ, needum exactæ, alio Jure utuntur, utpote quæ inter bona mobilia computantur, tanquam fructus jam a solo separati, ut bis in Rota Romana decisum referunt Ludovicus Cencius qu. 30. num. 25. Duard. d. qu. 10. num. 42. contra Fredericum Martinum de Jure cens. cap. 1. num. 105. qui putabat, pensiones maturas non posse comparari fructibus collectis, sed tantum fructibus maturis, qui adhuc pendeant; ut propterea sicut isti pro immobiliis habentur, tanquam fundi pars, l. fructus, ff. de rei vind. l. Julianus, §. si fructum, ff. de ast. emti; ita quoque inter immobilia erunt pensiones maturæ, necdum exactæ. Quæ opinio de rigore Juris verior est.

De divisione Census.

C A P. II.

Prima divisio Census est in Reservativum, & Consignativum. Reservativum est Jus percipiendi annum redditum, quem sibi aliquis reservavit ex re, cuius plenum dominium transstulit in alium. Et ab hoc omnis usuræ & injustitiæ suspicio abest, nisi forte pensio esset immodica, & fundi fructus excederet; si enim contractus emphyteuticus Justus ab omnibus reputatur, quamvis vi illius emphyteuta quidam annum præstet; eo magis Justus erit census iste, ubi censuarius non solum utile dominium acquirit, sed etiam directum. Unde non solum eum comprobant leges civiles in *I. ult. ff. de contr. emt. & I. ult. C. de rer. perm. & in I. 8. C. de condic. ob causam*, sed etiam Jus Pontificium in *cap. constitutus, de relig. domib.* Præterea eo usus est pariter Joseph tempore, quo Ægyptum regebat, ut diximus ex *Genes. 47.*

Constituitur hic census pluribus modis. I. Conceditur fundus, aut res alia immobilis cum pleno dominio, reservato sibi annuo, nulla facta mentione pretii, neque adjecta facultate redimendi pro certa pecunia quantitate. Qui contractus, cum nullam habeat immistam venditionem, propterea non est in eo locus retractui, seu Juri protomiseos, Duardus *loc. cit. q. 16. num. 25.*

II. Idem est, si concedatur facultas censuario redimendi, aut extinguendi censem, certa aliqua pecunia quantitate, *I. 2. C. de pacis inter emtor. & vendit.* Quod si pretium pro redemtione definitum foret nimium, contractus non dicetur usurarius, sed injustus, Molina *tract. 2. disp. 382. num. 2.*

Consignatus census est, qui super rebus propriis, illisque retentis, alteri assignatur, & definitur a Giballino *loc. cit. art. 4. num. 1.* Est Jus percipiendi certum redditum, aut pensionem annuam, vel mensuariam super re, vel persona alterius constitutum. Et de hoc maxime agunt Constitutiones Pontificiae, & disputant Theologi, & Canonistæ, cb periculum usurariæ pravitatis.

Constituitur, cum quis pecuniam mihi ut pretium tradit, pro quo ei vendo non pensionem solvendam, aut prædium meum, sed Jus ad eam pensionem: quippe res censi subjæcta manet semper in pleno Jure, & dominio meo, qui censem, seu Jus vendo; præterquamquid si res intelligeretur vendita, multo majori pretio ad eam comparandam fuisset opus, quam pro censu solutum est. Sotus *6. de Justitia quest. 5. art. 1. concl. 4.*

Circa censem hunc apud nos observatur Bulla Nicolai V. temporibus

ribus Alphonsi Regis Aragonensis lata, quam vide in nostris *Pragm. tit. de censib. pragn. 1.* Ex ea plura requiruntur, quæ hic nunc breviter adnotare necesse est. I. Ut contrahentes nihil sensiant de mutuo, sed animum habeant revera emendi, & vendendi. II. Ut census imponatur in re frugifera, stabili, vel quæ habeatur pro stabili; ubi tamen nulla de certis rei finibus mentio habetur. III. Ut pactum de redimendo sit ad libitum debitoris, qua ratione fors dicitur demortua. IV. Ne excedant denos aureos in singulos centenarios. Tandem, ut pactum pro securitate census apponatur.

Observandum hic est, censem consignativum duobus etiam casibus dici. I. Cum conceditur fundus certo pretio, eo tamen pacto, ut donec pretium illud persolvatur, præstetur annua quædam pensio pro ratione fructuum. II. Si præmium certo pretio vendatur; quia tamen emitto solvendo non est, censem super eodem prædio pro summa debita constituit. Quibus in casibus duæ venditiones intercessisse dicuntur; nam primo est venditio prædii, cuius dominium per traditionem, vel per constitutum, & præcarium emitto acquisivit. III. Vendit ipse priori venditori annuum censem in re, que jam sua effecta est. Idem Gibal. art. 3. num. 8. & 9.

II. Divisio census ratione pensionis solvendæ est in pecuniarium, cuius pensio solvit in numimis, & fructuarium, cum pensio in fructibus consistit: & aliquando assignatur certus numerus, seu certa quantitas, sive fructus eo anno colligantur, sive non, v.g. tot vini amphoræ, tot tritici modii: aliquando vero assignatur quota pars fructuum, qui eo anno colligentur, ut tertia, quarta, & similiter. Priori casu census dicitur certus, posteriori incertus. Hic census in Hispania non est receptus, Felician. i. de censib. 4. num. 15.

Potest census pecuniarius transire in fructuarium, si creditori præmium assignetur pro facilitiori exactione; & erit sine labore usuræ, etiam si fructus pecuniae summam excedant, ob incertum proventum, l. si ea pactione, h. o. l. C. de usur. Covar. 3. var. 7. num. 3. Capyc. decif. 159. num. 16.

III. Divisio est in Perpetuum, Temporalem, & Vitalitum. Perpetuus est, qui semper durat, ubi pecunia, quæ datur tota simul, postea per partes recipitur, sed cum grandi accessione; nam cumulus, seu aggregatio omnium pensionum simul longe excedit pecuniam unica tantum vice solutam.

Temporalis est, qui pro numero certo annorum constituitur, & licet emitur minori etiam pretio, quam sit cumulus omnium pensionum solvendarum; nemo enim unus daret simul mille aureos, ut per annos decem illa recuperaret, & singulis annis centum tantum recipere, Molina disp. 386. num. 5. Covarr. 3. var. 7. num. 4. qui notat censem hunc in foro non esse receptum, & decisum testatur Gratianus cap. 141. n. 21. quam.

quamvis oppositum dicat Anch. *conf. 30. n.3.* Soc. Sen. *rubr. de usur.* *num. 103.*

Vitalius conferri potest in vitam emtoris , aut venditoris , aut alterius cuiuscumque , consensu contrahentium designati , qui licitus est , non obstante quod pensiones solvendae sint fortassis superaturæ pretium , quod datur , ut infra disputabimus , Binsfeldus in *cap. in civitate , qu. 1-2. de usuris , Salas hoc tit. dub. 5.*

Circa hunc censum plura notanda sunt . I. Sortem finito censu non repeti , sed omnino intelligi demortuam ; quod idem esset in censu temporali , si alicubi reciperetur , Marin. I. *resol. 306. num. 5.*

II. Aëstimationem census vitalitii , si esset vendendus , varie definiiri ; nam si constitutus sit inter vivos , æstimatio desumitur ex textu in l. si quis argentum , §. in *reditibus* , C. de *donationibus* , hoc est , ea facienda est pro annis quindecim ; prorsus ut danda cautio sit , de suppiendo , si citius moriatur , & de restituendo . si longius supervivat . Quod si constitutus sit in ultimis voluntatibus æstimatio sit per annos 30. juxta textum in *hereditatum* , ver. solitam est tamen , ff. ad l. *Falcid.* Hæc omnia habes apud Afflietum dec. 34.

III. Maritum , qui censem vitalitum pro dote recepit , non obligari soluto matrimonio annuos reditus perceptos restituere ; nam illi reditus habentur ut fructus dotis , qui non restituuntur , sicuti nec obligatur restituere fructus , quoties in dotem usumfructum accepit , l. cum in fundo , ff. de *Jure dotium* , l. *usufructu* , ff. *sol. matrim.* Gutierrez de *tutelis par. 3. cap. 35.* contra Sarmiento apud Gratiarum *cap. 756. num. 6.*

IV. Censem vitalitum perimi , extincta te , cui innititur , etiam si vivat is , cui debetur , Jas. in l. i. *num. 63.* C. de *S. Trinit.* Albericus in *Jubemus* , C. de *Sacros. Eccl.* Exemplo ususfructus , qui etiamsi debatur quoad fructuarious vixerit , tamen si ante mortem res extinguitur , perimitur etiam ususfructus , l. *corruptione* , C. de *usufr.*

Tandem in censu vitalitio licite convenitur , ut mutari possit de una in alteram personam æqualis & sanitatis , & ætatis , Filiucc. ad 2. Decal. *præceptum cap. 21. dub. 6. num. 61.*

IV. Divisio est ratione pacti ; nam census aliquando est redimibilis , aliquando irredimibilis . In Regno nostro ex Bulla Nicolai redemitio nunquam relinquitur arbitrio emtoris , sed solum venditoris census , seu debitoris , qui & censuarius dicitur .

Notandum hic , divisionem census in Realem , Personalem , & Misticum , esse potius subdivisionem census consignativi , qui solum in has species dividi potest , cum reservatus sit tantummodo realis . Itaque realis est , cum constituitur super re aliqua , qua pereunte perit . Personalis est , cum constituitur super ipsa persona , etiamsi illi aliquando accedat hypotheca , quæ solum adjicitur , ut censualista sit tutus . Misticus

stus constituitur immediate super re , & persona simul , prorsus ut per-
reunente se , remaneat tamen obligata persona .

Census personalis ex Bulla Nicolai V. est illicitus , cum requirat
rem stabilem . Vide Marin. I. refol. 28. num. 5. Nihilominus in natura rei ,
& seclusa lege humana prohibente , liceret censum personalem emere ;
quando persona , in qua census constituitur , esset aliqua ratione fru-
gifera , hoc est , esset ejusmodi , ut vel aliqua bona habeat , vel indu-
stria sua , & labore , vel quapiam alia ratione posset aliqua acquirere ,
quibus censum solvat : alioqui inutilis foret hic census . Transiret pre-
terea ad heredes pro viribus hereditatis . Vide Gibalimum loc. cit. art. 7.
num. 3.

Ideo autem census reservativus personalis esse non potest ; quia ne-
mo dominium suæ personæ , sicut rei suæ , in aliud transferre potest ,
ita ut reservet sibi annuam pensionem super suis laboribus , & industria ,
sive super rei suæ fructibus . Posset tamen census reservativus constitui
in persona servi , cuius plenum dominium quis transferat in aliud , reser-
vata sibi pensione super ejus laboribus . Ita post Innoc. & alios Cencius
qu. 4. num. 5. Duard. loc. cit. q. 23. Gibal. art. 3. num. 3.

Objicies I. Homini libero , & Civi Romano majori 25. annis li-
tet ut patiatur se venundari ad premium participandum , l. 5. ff. de sta-
tu hominum ; quod olim maxime erat in auctoratis , hoc est , in iis ,
qui se lanistæ , ut domino , corpus , animumque adducebant , jura-
bantque uri , vinciri , verberari , ferroque necari , & quidquid aliud
lanista ob munus gladiatorium jussisset , de qua re vide Lipsium 2. Sa-
turnal. cap. 3. & 5. Ergo etiam licitum erit personæ suæ in alterum trans-
ferre dominium , tanquam per auctionem , seu venditionem , censu re-
servato .

Sed respondemus , has venditiones esse hodie sublatas ex Novel-
la 59. Leonis Imperatoris , qui jubet contractum esse inutilem , præter-
ea venditorem , & emtorem liberi sanguinis fustigari , Salmasius de mo-
do usurarum , cap. 19. pag. 860.

Objicies II. Potest quis se dare alteri in adscriptitium , itaut alien-
nis agris colendis sit perpetuo addictus , ut servus , l. diutius , C. de
agricolis , & censis , lib. 11. Quare quod simile licebit pro censu reser-
vativo personali facere .

Respondetur , adscriptitium in pluribus liberum manere , ut qui ali-
qua possidere potest , l. bi , C. cit. tit. præterea possunt ad ordines Eccle-
siasticos promoveri , etiam domino nolente , quod servis non licet , §. se
servus , §. adscriptitios , autb. de Sanctiss. Episc. Vide latius Gloss. in
d. l. diutius , v. intelligatur .

An pactum commissi in Censu reservativo valeat.

Q u e s t i o . I.

Pone: tibi prædium meum frugiferum dedi, reservato mihi annuo censu, sub ea lege, ut res, in qua constitutus est census, ad me, qui contuli, redeat, si per certum tempus pensio mihi soluta non sit. Hoc dicitur pactum commissi, & queritur an Jure subsistat.

Communis opinio est, pactum esse validum, & contractum rescindi, Covar. 3. var. 7. num. 1. Molina disp. 381. num. 5. & disp. 390. num. 12. Ugolin. de usur. cap. 43. n. 3. Leotard. cod. tract. q. 41. n. 41. aliquique cum Gibal. art. 3. num. 1.

Probant id I. quia pactum istud nec est contra essentiam census reservativi, nec est injustum. Non est contra essentiam, quia ad eam non exigitur, nisi ut super tradita re cum pleno ejus dominio, quidpiam annum, aut menstruum reservetur, ut colligitur ex cap. constitutus, de relig. domib. & l. ult. C. de rer. permuat. Non est injustum, quia in emtione & venditione justum reputatur pactum, ut pretio intra certum tempus non restituto, res ad venditorem revertatur, l. qui ea lege, C. de partis inter emtorem; cui simile est pactum, ut non solutis intra certum tempus pensionibus, contractus in censu reservativo rescindatur. Hinc fit, ut conditio ista nec injusta, nec contra naturam contractus, ex placito contrahentium apposita, servanda sit, l. ult. C. cit. tit.

Hanc communem sententiam evertere conantur Felicianus hoc tit. num. 24. in praefatione, & Rodericus 2. de annuis redditibus qu. 22. n. 12. sed alia, atque alia ratione. Nam Felicianus contendit ejusmodi conditionem esse contra substantiam census reservativi, cui essentiale est non res, cui impositus est, incidat in commissum ob non solutam pensionem; alioquin posita ea pactione transire in emphyteusim, & ille cum ea legibus definiri, & regi.

Quod tamen non placet; nam posito pacto commissi ob non solutam pensionem, non statim sequitur, censem istum transire in emphyteusim; nam adhuc invicem distinguerentur ex plurimis, & præcipue ex eo, quod in emphytici non transfertur plenum jus, & dominium rei in emphyteutam, uti transfertur in censu in isto contractu. Nec verum est, ad ejus essentiam exigi ne res incidat in commissum, cum satis sit, ut super tradita re cum pleno ejus dominio, quidpiam annum, aut menstruum reservetur, ut colligitur ex cap. constitutus, de religios. dom. & ex l. ult. C. de rer. permuat.

Alia

Alia via pactum istud impugnat Rodericus, scilicet, quia censui reservativo censetur appositorum in fraudem usurarum, eo quod adjicitur quantitati.

Omnino tamen falsum est adjici quantitati, seu summae, cum prorsus adjiciatur ipsi rei, in cuius traditione dominus quam libuerit conditionem justam adjicere potest, ex d. l. ult. *C. de partis inter emtorem.* Quod patet exemplo ipsius emphyteusis, in qua pactum commissio non solutam pensionem apponi dicitur ipsi rei, non etiam quantitati; nec ulla hac in re est dispar ratio inter emphyteusim, & censem reservativum.

Posset etiam opponi ex Bulla Nicolai V. in censu hoc sortem esse demortuam; ergo nullo casu redire debet ad antiquum dominum.

Verum pro responsione dicimus, hoc quoque casu sortem de natura contractus haberi, ut demortuam domino; & solum ad eum redire ob culpam Censuarii, qui non solvit pensiones, ut debet. Posito enim, eum censualistae rite facere satis, utique fors huic erit demotua. Ita simile est in emtione, cuius natura est ut dominium perpetuo Jure in emtorem transferatur: & per accidens solum dicitur revocari, quoties ipse emtor premium intra certum tempus statutum non solvit, d. l. qui ea lege, *C. de partis inter emtorem.*

Ex his oritur altera difficultas, quare sit

Utrum in dubio contractus presumatur Emphyteusis, an Census reservativus.

Quæstio II.

THema est. Quis præmium alterius accipit cum onere solvendi tot annua; ita tamen, ut non exprimatur, utrum præmium habeat, ut recreet, vel melius & cultius reddat, quo casu citra dubium esset emphyteusis; an ut præmium transeat cum omni Jure, & dominio utili, & directo; quippe tunc expresse erit census reservativus: ut dubium omnino sit de quo contractu ipsi contrahentes senserint: queritur quid de Jure statuendum sit.

Prima opinio est contractum in dubio haberri, ut censualem, ad evitandam pœnam commissi, quippe si haberetur, ut emphyteuticus, tunc ob non solutum canonem, res una cum emponematis ad dominum suum reverteretur, l. 2. *C. de Jure empbyt.* e contrario si est censualis, censarius retinet rem, & solum cogitur ad census solutionem. Ita Menoch. 3. *præsumt. 106. num. 3. Covarr. 3. var. 7. n. 1.*

Confirmant ex eo, quod in dubio interpretatio facienda est contra eum, qui potuit, & noluit se clarius explicare, *cap. contra, de reg. jur.*

in 6. cap. in praesentia , de præbendis : at dominus in concedenda re sua , poterat suam mentem clarius aperire : ergo contra ipsum facienda interpretatio est .

Secunda opinio est contractum præsumi potius emphyteusim , quia in dubio favendum est domino ; neque ullo eo casu præsumendus est se omni rei suæ dominio abdicasse , Butrius *in c. i. num. 68. de restit. in integr.*

Tertio alii docent , nullam certam , & universalem regulam tradi posse , sed ex variis conjecturis , & circumstantiis rem in singulis casibus definiendam esse , Duard. *l.c. qu. 13.* Gibalin. *art. 3. n. 1. sub fin.* nam si pensio , quæ solvit , tenuis sit , præsumitur emphyteusis ; quia emphyteutæ ob devolutionem , & alia onera , quibus subsunt , tenuem semper pensionem proprietario præstant , *d. l. 2. C. de Jure empbyt.* Paris. *lib. 2. cons. 28. num. 50.* Ita quoque , si Ecclesia sit , quæ rem suam alteri concedat sub annua pensitatione , ejus favore etiam emphyteusis censeretur , ad hoc , ut res per devolutionem facile possit ad Ecclesiam regredi , Butr. *loc. cit.*

De hypotheca Census consignativi , & reservativi .

Q u a s t i o III.

PRadium , ex quo census consignativus solvit , intelligi pro ipso censu hypothecatum constat inter omnes , itaut quoties censuarius annum redditum non solvit , possit actione hypothecaria prædium ipsum conveniri , etiamsi in alienas manus transferit . Quod probatur ex *l. Imperatores , ff. de public. & vettigal.* ubi Papin. hæc habet : *Imperatores Antoninus , & Severus rescripscrunt , in vettigalibus ipsa prædia , non personas conveniri ; & idco possessores etiam præteriti temporis vettigal solvere debere , eoque exemplo actionem , si ignoraverint , habizarios .* Et licet in eo textu sermo sit de publicis censibus , nulla tamen adest ratio , cur idem in censibus privatis locum habere non debeat . Idipsum aliqui colligunt ex mente Summorum Pontificum , ut Martini V. in *extrav. regimini , de emt. & vendit.* ubi habetur , censem constitui in stabilibus , quod etiam voluere Calixtus III. Pius V. & Nicolaus V. quasi ex eo , quod in fundo res constituitur , vel ex fundo , seu de fundo debetur , statim sequatur fundum pro ea esse hypothecatum . quod argumentum infirmum esse , demonstravimus in *trat. de pign. & hypotib. ex l. fin. §. 1. ff. de contrab. emt.* ubi L. Titius , qui promisit de fundo suo annuam præstationem , ipse convenitur , non etiam fundi possessor , licet ei venditus fuerit his verbis : *Quo Jure , quare conditione prædia Lucii*

Lucii Titii bodie sunt, ita veneant, itaque babebuntur; hoc est, præstationem de fundo faciendam nullam inducere hypothecam, Gomez 2. var. 15. n. 21. quod etiam est, si super fundo constituatur; nullo enim Jure probatur particulam super, hypothecam inducere, quidquid velit Gigas de pensionib. qu. 51. nu. 1.

Est tamen hic notandum, hypothecam duplicitis esse generis. Una enim regularis est, quæ obligationem personalem supponit, quæ personalis obligatio remanet, etiam re hypothecæ supposita extincta, *I. sicut, l. Lucius, ff. quibus modis pign. salvitur, aut b. buc si debitor, C. de pignor.* propterea post rei obitum, debitor ad solutionem cogitur, ex *l. cum notissimi, C. de præscript. 30. vel 40. annoram.*

Altera est irregularis, quæ extincta re extinguitur, non modo ipsa, sed actio etiam personalis: quod quia est contra Juris regulas, propterea irregularis hypotheca appellatur. At e contrario extincta personali actione ob mortem debitoris, & defectum heredis, quia res hypothecata superest, remanet cum ea realis actio, *l. intelligere deltes, C. de luit. pignoris, ubi dicitur, vincula pignoris durare, personali actione submota.*

His positis, hypothecam census esse irregularem dicimus: quippe re consita extincta, obligatio personalis perit, ita ut debitor, ipsiusve heres amplius ad census præstandos non sit obligatus, ut patet ex Bulla Pii V. claus. 8. ibi: *Re in totum, vel pro parte perempta, vel infructuosa in totum, vel pro parte effecta, volumus pro rata perire. Si vero pro uno anno sit infructuosa, non perit census, si compensetur ubertate aliorum annorum.*

Hinc I. fit, possessorem rei censitæ actione hypothecaria posse diresto conveniri; ut ei non licet opponere, ut reus principalis excutiatur, quæ tamen exceptio in hypotheca regulari licita est, *l. i. s. si heres, C. ad Trebell.*

II. Re censita pluribus per partes vendita, dominum census, actione hipothecaria quemlibet in solidum convenire posse, ne Jus creditoris factio debitoris deterius reddatur, Marin. 1. *resol. 13.*

III. Debitorem non conveniri, re extincta, quamvis hypotheca regulari remissa obligatio personalis remaneat, *l. 2. C. de luit. pignoris, Bartolus in l. si pignus, ff. sam ercisc.*

Dubium tamen est, num hæc eadem locum habeant in censu reservativo? Et difficultas oritur ex eo, quod super re propria dominus servitatem, aut hypothecam in sui ipsius utilitatem constituere non potest, sive suam sibi rem oppignorare, ut alio loco probavimus ex *l. pignus, ff. de reg. juris, & ex l. in rem propriam, ff. de ver. obl.* Id tamen verum est, quando ea res ejusdem domini manet, secus quando dominus ejus rei dominium in alium transfert, quo casu cum rem eam sibi hypothecat, res aliena hypothecæ supposita dicitur, ut patet ex eo, quod prædicti venditor potest

test id prædium sibi hypothecare , donec pretium solutum sit , Gibat. art. 3. n. 2. qui notat , hanc hypothecam non intelligi inductam , quamvis dicatur censum solvi debere ex fundo , vel de fundo , aut super fundo , ex d.l.fin. §.3. ff. de contr. emt. nisi præterea accedit mens promittentis , & contrahentis ex variis circumstantiis conjicienda .

Hæ circumstantiæ sunt I. si reditus promissus ex fundo , vel de fundo , sit ad alimenta , quorum favore hypotheca inducta censemetur : quod idem esset , cum reservatur pensio ex fructibus beneficii , Gigas de pensionibus p.51. Garsias de pension. q.9. n.5.

II. Si pensio ex fundo , vel de fundo legata sit ; cum enim in legatis interpretatio fiat ex bono , & æquo ob exæquationem cum fideicommissis : propterea ea verba hypothecam infœunt , Duard. loc.cit. qu.16. num.15.

III. Quando pensio perpetua est , Negus. de pign. par. 2. membr. 4. num. 164. Verum rigore Juris attento hæc satis infirma esse demonstravimus in tract. de pignorib. & hypothecis , discussione de hypotheca aliorum ; quare cautius agat Censualista , si expresse rem censitam sibi pignori supponat .

Utrum in emtione Census consignativi necessaria sit pecunia numerata .

Q u a s t i o IV.

Hæc difficultas locum non habet , cum titulo donationis , vel in ultima voluntate Census constituitur ; sed tunc solum , cum titulus onerosus est . Et complurium opinio est , Censum consignativum nonnisi nummis comparari posse , qui a censualista censuario numerentur . Ita Gomez de censib. c.3. n.12. Navarr. de usur. num 88. Mastrill. dec.99. num.8.

Hujus opinionis argumenta sunt I. quia ita expresse habetur ex Bulla Pii V. apud Navar. c.137. num.24. & apud Gerdon. lib.4. qu.7. c.3. n.4. quippe in ea inter ceteras census conditiones habetur hæc , ut pretium census solvatur in pecunia numerata coram Notario , & testibus ; quare cum ea abest conditio , contraetus erit nullus , quod etiam in Regno nostro locum habere debet , cum id in Bulla Nicolai V. non sit emendatum .

II. Quia census consignativus constituitur per emtionem , & venditionem , ut apud omnes constat , & habetur etiam expresse in Bulla Nicolai . Sed venditio sine nummis dici non potest , ut receptum est ex Nervæ , & Proculi sententia in l.1. §. sed verior est , ff. de contrab. erit . quippe aliter non emtio , sed permutatio est , nec quod datur

pre-

pratum est, sed merx, l. i. ff. de rer. permutatione. Ergo in hoc censu pecunia numerata necessaria est. Hinc est, quod Cencius numeratam pecuniam pro forma census exigi dixerit in p. 2. c. 1. qu. 1. art. 6. n. 13.

His non obstantibus, alii in contrarium nituntur, docentes, constituto de vere existente debito antecedente, reali, omni fraude remota, rete, valideque censum constitui. Exemplum esto, Titius filiam nuptui tradens mille dotis nomine Cajo genero promittit, ita ut jam verus debitor sit. Potest jam pro iis mille, quae debet, censem annuum super prædio, quod habet, Cajo constituere; absque eo, quod ea mille solvat Cajo, qui deinde ea iterum adnumeret Titio in pretium census. Et hæc sententia usu recepta est, Galeota 1. controv. forens. 63. n. 53. Castill. lib. 2. dec. 140. Farinac. dec. 286. num. 5. Petra ad Rit. 20. num. 14. in fine.

Sed quo Jure id fiat, non una est DD. opinio. Quidam putant hic novationem inductam censeri, ut qui debet ex causa dotis constitutæ, novando intelligatur ex causa census debere.

Id tamen nullo modo stare potest, & qui ita dicunt, nullo modo quid novatio sit, intelligunt; non enim novatio est, cum debiti titulus, sive causa mutatur, sed cum antiqua obligatione manente, quid novi circa eam inducitur, vel mutando personam debitoris, ut si quod tibi Sejus debebat, a Titio dari stipulatus sis: vel eadem persona manente, in posteriori stipulatione, aut conditio, aut dies, aut fidejussor adjiciatur, aut detrahatur, §. præterea, quib. mod. tollitur obligatio, l. i. ff. de novatione. Cum ergo horum nihil in proposita specie fiat, utique novatio non erit.

Itaque rectius alii, hic eam traditionem fictam, quæ brevis longeque manus dicitur, locum habere tradunt. Quam rem in jure nostro non facis claram, præ omnibus explanare operæ pretium est; non enim omnes quid sit brevis, & longa manus, intelligunt. Nam Hotomianus ad l. 6. C. de donat. ita inter longam, & brevem manum distinguit, ut brevi manu id tradi dicat, quod recta de manu tradentis transit in manum accipientis; at vero longa manu, cum quis absens absenti per numerum, vel per procuratorem mittit. Dionysius vero Gothofredus in l. pecuniam, ff. de solut. credit, longæ manus vocabulo intelligi oculum, & affectum, quibus possesso rei quandoque apprehenditur: quod etiam dixerat Cujac. ad 2. 2. feudorum, tit. 3. qui desumit id ex l. 1. §. pen. ff. de acq. poss. ubi Paulus ait, possessionem oculis quandoque apprehendi. Quæ omnia palam absurdâ sunt.

Nos dicimus, brevem manum esse, cum pro duabus traditionibus, quæ fieri deberent, a primo ad secundum, a secundo ad tertium, unica tantum sit, seu vera, seu ficta. Manifestum id est ex Ulpiano, qui inter Jurisconsultos solus de brevi manu mentionem habuit in l. licet §. 1. ff. de jure dotium, ubi si quis debitori marito sic acceptum ferat, ut velit

mu.

mulieri donatum, videtur brevi manu acceptum a muliere, & marito donatum. Ecce hic a primo, scilicet creditore, datum tertio, qui est maritus, brevi manu quod tradendum erat a creditore mulieri (quæ hic est secunda) & ab hac marito. Similes casus habentur in l. bæc racio. §. fin. ff. de donat. inter vir. in l. 2. §. cum vero, in l. qui id §. fin. ff. de donat. in l. singularia, ff. de reb. credit. & in l. quod meo, §. si venditorem, ff. de acq. poss.

Longa manus idem est cum brevi: quod inter tot Juris Interpretates solus Acc. recte vidit in d. l. pecuniam, ubi tantum longæ manus mentione habetur: ait enim ibi Jabolenus, rem mihi debitam si in conspectu meo ponere te jubeam, finge super mensam, efficitur, ut tu statim liberis, & mea esse incipiat, & quodammodo longa manu tradita existimanda est. Hic traditiones hoc ordine facienda erant: tu, qui es primus, tradere debebas mihi secundo rem debitam, quam ego secundus super mensam, quæ est tertia, ponere debebam. Sed non ita actum est; verum tu primus super mensam, quæ est tertia, posuisti etiam per brevem manum diceret Ulpianus, sed Jaboleno placuit iongam manum appellare. Uterque recte, cum ad diversa respexerint; nam brevis ideo dicitur, quia duas manus seu traditiones restrictæ sunt, & veluti migrarunt in unam: longa e diverso, quia una manus, seu traditio tantum valet, quantum si duas factæ manus essent.

Ceterum quandoque res non a secundo tradita intelligitur tertio, sed iterum primo, ut in §. interdum, de rerum divisione; veluti si rem, quam tibi aliquis commodaverit, postea dotis nomine dederit, nam sine nova traditione, tibi rei proprietas acquiritur. Fingitur enim te rem creditori ex causa commodati restituisse, & hunc rursus tibi ex causa dotis tradidisse.

Jam, ut ad rem nostram regrediamur, simile quid in specie proposita accidisse intelligendum est, nimirum, ut primus debitor ex causa dotis fingatur pecuniam genero solvisse, qui iterum socero eam adnumeret, censum consignativum emendo. Ne ergo inutiles tot traditiones fiant, debitor pecuniam, quam post solutionem recepturus erat, retinet apud se, sed ex alia causa, tanquam vendor, & fingitur solvisse tanquam dicens. Ex quibus facile patet, quid argumentis in contrarium oppositis, respondendum sit; præsertim quia Bulla Pii apud nos recepta non est.

Hic tamen notandum est, ad venditionem census non satis esse si fides de pretio habita sit, cum exigatur pecuniae adnumeratio sive vera, sive ficta, jam exposita, ut in Extrav. Martini V. & Callisti III. sub tit. de rem. & vendit. Pratus 8. contr. for. 29. num. 7. Præterea nec satis esse confessionem de recepto, si pretium revera receptum non probetur, prorsus ut nec iurejurando exceptioni non numerata pecuniae queat renunciari, Capyc. Lat. 1. consult. 70. num. 34. Staib. 1. contr. forens. 64. num. 6. Rovit. ad pragm. 1. de censib. n. 14.

Ex

D E C E N S I B U S.

Ex his plura colliguntur . I. Ex tertis census vitalitii non solus posse constitui censum perpetuum , *Zacch. q.28. num.20. Salgad. in Læberintbo creditorum, par.1. cap.20. num.27.* *Petra ad Ritum 237. n.36.*

II. Tertias decursas in censu perpetuo , & non soluta posse in formam , seu capitale converti , ut inde annuus etiam census exigatur , *Mastrillus decis. 262. Rovitus loc.cit. num.18.*

III. Censum posse constitui ex reali nomine debitoris , *Rodriquez de ann. redit. q.13. num.35. Petra ad ritum 237. num.25.*

IV. Ex mutui debito censum posse constitui , si fors intelligatur demortua apud debitorem , *Paris. cons.75. num.33. vol.4.*

Tandem recte emi censum tradendo venditori apocham bancalem , quæ vim pecunia numeratae , & solutionis habet . Quod verum est , cum pecunia revera est apud mensarium , seu in banco , *Marin. 10.3. alleg.84. num.22. Capyc. Latro 2. consultat. 150. num.7. Leotard. de usur. quæst.59. num.40.*

An Census omnis sit redimibilis.

Quæs. r. V.

EX Bulla Nicolai ad censum licitum constituendum , opus est , ut apponatur pactum de retrovendendo quandocumque ad libitum debitoris , non etiam emtoris . Ex quo apparet semper licitum esse censuari censem redimere , constituto eodem pretio , quoties libuerit . Quid idem expresse voluit Pius V. ubi statuitur , nec pactum quodvis in contrarium , nec præscriptionem obstat . Quare damnantur omnes census perpetui irredimibiles ; ut propterea licet pactum de redimento appositiū expresse non sit , tamen subintelligatur , *Ugolin. de usur. cap.45. §.10.*

Legis hujis ratio est , quia durum & contra publicam utilitatem esse videtur , ut quis sub onere census perpetuo manere cogatur , nec ab eo unquam se liberare possit ; cum e diverso facultas liberandi se , suaque , favorabilis in Jure sit , *Glossa in l.ult. C. de partis pignor.*

Sunt tamen , qui Summorum Pontificum mentem ita interpretantur , ut non omnes census irredimibiles damnent , sed eos tantum , qui non emuntur pluris , quam redimibiles ; e.g. census , ubi deni aurei in singulos centenarios redundunt , redimibiles sunt ; at si minus redatur , poterunt ex pacto irredimibiles fieri . Ita Lessius 2. de J. st. 22. num.42. Molin. d/p.385. & 391. Novar. de usur. num 98. quoniam hos census ubique receptos fatetur , cum in eis nulla sit usuræ suspicio : immo nec injustitia , si justo pretio emantur , ut late probat Conrad. de contract. qu.82. maxime ex eo , quod fors perpetuo , & omnino alienatur , sine

illa spe recipiendi , ut in censu redimibili accidit .

Hinc tamen fit , ut in dubio census fere semper existimetur redimibilis , cum pro libertate standum sit , Molinæus *de commerc. qu.20. num.212.* nisi forte ex pretio aliud statuendum sit . Vide Covarr.3. variar.20. Binsfeld in *cap. in civitate, de usur. qu.13.* Alia de redemtione census suo loco dicemus .

An Census consignativus sit injustus, & usurarius .

Q u e s t i o VI.

Multa sunt , quæ nonnulli contra censum consignativum realem committuntur , eum ut usurarium , vel saltem ut injustum dannantes , ut Salyc. in *autb. ea lege, C. de usur. Joan. Andr. in cap. in civitate, de usuris. Henriquez quodlib.8. qu.12.* quibus præter alios adhæsit Hotom.2. *observ. 15.* & *disput. de usur. cap. ult.* Albernos apud Salas *de censib. dub.2. n.6.* qui proterve addit , Constitutiones Pontificias censem hunc permittentes , pejores multo esse omnibus Romanorum legibus , quæ usuras , & fœnus permittebant ; eo quod majus lucrum ex censibus creditores capiant , quam ex mutuo . His accedunt hæretici Salmasius , & Molinæus , qui non alia de causa hunc contractum licitum esse contendunt , quam quia usuras non esse prohibitas existimant .

Sed notandum hic est , quæstionem non esse de censu , qui legato , donatione , aut alia simili causa gratuita constituitur , in quo neque usura , neque injustitia fingi potest . Non usura , quia nullum in eo reperiatur mutuum sive formale , sive virtuale , sine quo usura esse non potest . Non injustitia , quia nulli facit injuriam , qui rei suæ gratuito alteri concessæ conditionem , aut servitutem ex se minime turpem imponit . Tota igitur controversia est in censu per emtionem , & venditionem constituto , maxime pecuniario .

Superiorem sententiam probant I. ex capite usuræ ; quippe in censu consignativo , et si mutuum formale non sit , cum constituatur per contractum emendi , & vendendi , est tamen mutuum virtuale . Quod ajunt manifestum fieri ex eo , quod in mutuo formalí datur a creditore pecunia debitori , qui obligatur ad eam pecuniam creditorí reddendam cum incremento supra sortem . Sed hoc ipsum usuvent in censu consignativo , quia pecunia , qua ut pretio census emi dicitur , non remanet apud venditorem , utpote qui eam , quam totam simul accepit , reddit deinde emtori per partes cum grandi incremento supra sortem . Ergo in ipso est mutuum virtuale . Unde ita emtio juris exigendi penitentes annuas , est pallium usuræ , cum sit tantum emtio juris ad ex-gendam suam pecuniam

pecuniam per partes , & cum multo fœnore .

Probant II. ex capite injustitiae , et si detur in eo mutuum virtuale non contineri ; quia in contractu emtionis , & venditionis , ne injustitia incurritur , necesse est , ut ad sit æqualitas inter rem emtam , & præmium ejus . Sed in emtione census consignativi nulla potest ponari æqualitas inter pretium , & rem ; nam cumulus omnium pensionum census longe , lateque excedit in suo aggregato pretium , quod solutum est , ut patet . Ergo hic contractus injustus est .

His tamen minime obstantibus , communis Catholicorum sententia est apud Salas d. dub. 2. num. 3. & Leotard. qu. 43. de uscr. in censu consignativo neque ullam usuram , neque ullam injustitiam latere , quamvis census perpetuus sit , nec redimibilis . Quæ utique sententia tenenda est , accedente suffragio Summorum Pontificum , Martini V. Galixti III. Nicolai V. Pii V. Gregorii XIII. qui omnes suis constitutionibus census , qui haberent conditiones , quas ipsi præscribunt , tanquam justos approbarunt . Sicut autem Adversarii duplici ex capite hunc contractum restringunt , ita nos e contrario duplici etiam ex capite admittimus , & quia non usurarius , & quia justus .

In quantum ad primum caput , quod in eo nullum mutuum , nec virtuale insit , probatur , quia inter censem consignativum & mutuum duplex adest discrimen . I. quia in mutuo obligatur mutuarius reddere sortem , sive post præsinitum tempus , si ita conventum sit , vel certe quando mutuator eam répetierit , l. cum quod , ff. si certum petat . Secus vero est in hoc censi , ubi emitör nunquam potest præmium repetere , nec venditor ad ipsum reddendum invitus adstringi potest . Deinde in mutuo sors nunquam perit , quo cunque alio pereunte : at in censi , pereunte prædio , vel re alia censi subjecta , non manet amplius obligatus censuariüs ad censem præstandum , neque ad præmium primo datum . Cum ergo una , & altera sit discriminis ratio inter mutuum , & censem consignativum , consequens est , ut in eo neque mutuum viruale , neque ulla usura possit comminisci , ut fusius notat Roderic. i. de redditib. qu. 4.

Ubi præterea notandum est , in censi pecuniario dari pecuniam loco fructuum ; non enim datur tanquam redditio sortis , sed tanquam præmium fructuum , ad quos jus emtum fuerat , ut patet ex eo , quod census super re frugifera , seu fructuosa debet constitui ; itaut si res in totum , vel pro parte reddatur infrugifera , etiam census ex toto , vel ex parte pereat , ut Bulla Pii V. claus. 8. Quare his casibus præter contractum censualem , quo Jus ad fructus percipiendos emitur , videtur etiam permutatio quedam adesse ; quæ ideo inducta , & recepta est , quia pecunia , cum certa sit , & invariabilis , aptior multo est , ut secundum illam constituatur valor pensionis , quam in fructibus , quorum valor perpetuo mutatur , Gibalin. art. 6. n. 4. in fine .

Quod pertinet ad secundum caput Justitiae , probatur ex pluribus.
 I. ex comparatione census confignativi cum usufructu . Quare notandum est , usumfructum magnam habere affinitatem cum censu isto ; utrumque enim est facultas , seu Jus percipiendi fructus alicujus agri , manente proprietate in alio ; & sicut ususfructus est pars quædam Juris , quod in suum prædium dominus habebat , qua se abdicat , quamque in alium transfert ; ita & census pars ejusdem Juris est , quod dominus habebat . Quo posito dicimus , quod sicuti ususfructus quamvis longissimi temporis Juste emitur finito pretio ; etiamsi aggregatus omnium frumentorum longe excedat pretium , quod pro eo emendo solutum fuit , *linea cessaria* , §. ult. ff. d. , *ricul. & com. rei venditæ* ; ita a pari census licite , & Juste emetur eo pretio , quod longe excedat cumulus omnium pensionum simul . Ratio hujus rei est , quia fructus illi , ut sunt in potentia , minoris estimantur , quam si praesentes essent , & simul omnes existerent ; longa enim illa temporis expectatio in communi omnium existimatione , valorem rei recipienda minuit .

Quamvis autem ususfructus ita censi confignativo similis sit , vendendum tamen est a Cardinali de Lugo in hoc tractatu , qui docet , censem hunc non esse , nisi emtionem partis ususfructus prædii , in quo census constituitur . Nam si census esset ususfructus partialis , utique morte finiretur , & in extraneum , idest , in eum , qui prædii dominus non est , cedi non posset , §. ult. de ususfr.

II. Quia , uti Salas loc. cit. advertit , inter emtorem , & censuarium etiam alio ex capite æquitas potest considerari : sicut enim vendor censuarius ad infinitas ferme pensiones obligatur , absolute quidem , si census redimi ex parte non possit : aut certe sub conditione , si census redimi possit , at ipse non redimat ; ita & diverso emtor ad infinitam veluti incommunitatem obligatur , cum semper in eo periculo versetur , ut census re pereunte pereat , & quam pecuniam totam simul solvit , non repetat , nisi per magna intervalla . Quæ utique æqualitas injustitiam commutationis tollere videtur .

Verum hæc responsio non multum attidet Gibalino art. 6. num. 4. ex eo præcipue , quod exhausta prima summa , & forte , fas deinde non esset aliud & aliud ejus emolumentum in infinitum recipere ; veluti , qui censem mille nummis emit , ubi per decennium suam sortem recepit , jam dici potest extra omne periculum positus , ut propterea quidquid deinde exigat , inæqualem contractum , & perinde injustum redderet . Itaque rejecta hac Salas explicatione , standum omnino est rationi primo loco adductæ , quæ satis abunde communem sententianis tueruntur .

De re, quæ censui subjicitur.

C A P. III.

INTE, quæ census materia esse debet, tres omnino conditiones ex Bulla Pii V. exiguntur, nempe, ut sit immobilis, frugifera, & certis finibus designata, quibus deficientibus censualem contractum illicitum, & usurarium declarat. De his in præsens videndum est.

Primo igitur in materia census exigitur, ut sit immobilis, vel fâtem ut pro-immobili habeatur, ut est de Juribus quibusdam perpetuis, quæ immobilibus cohærent. Quam conditionem de natura rei, seclusa lege positiva, affirmant omnes, qui censum personalem maxime reservavit, ut illicitum de sua natura improbat, contra quos supra disputavimus. Idque confirmatur maxime ex eo, quod Nicolaus V. contratenus censuales, quibus bona mobilia obligantur, & censui subjiciuntur, approbat, servata pretii æquitate. Unde rectius hanc immobilitatem esse censui essentialem negant Sot. 6. de Jusititia q. 1. art. 1. Medina in C. de restit. q. 11. Conradus de contract. q. 74. & q. 85. consl. 13. Valentia 2.2. disp. 5. q. 22. Salas de censib. dub. 7. num. 4. aliisque.

Neque obstat Bulla Pii V. quæ non exigit materiam census immobilem, nisi quia loquitur de censu perpetuo, qui utique collocari nequit in re mobili; quæ perpetua non est, quamvis longissimi temporis esse possit. Quare hac distinctione uti debemus, ut census perpetuus de natura sua rem perpetuam exigat, ut est, quæ immobilis est, vel pro immobili habetur: vitalitus vero, seu temporalis recte in re mobili constituatur, quæ etiam temporalis est. Unde vulgo apud nos recepti census sunt vitalitii in pecunia numerata constituti; nam potest quis mille trapizitæ dare, ut is sibi centum annua tribuat in censum, quo usque vixerit.

II. In materia census exigitur, ut sit frugifera. Hanc conditionem sublata lege positiva, ex natura rei docent Fach. 2. contr. 44. Gutierrez 2. pract. 177. num. 5. De Lugo disp. 27. num. 70. aliisque, ea ratione, quia census est Jus percipiendi fructus ex aliqua re, quamvis deinde loco fructuum substituatur pecunia; ut jam diximus in cap. 2. q. ult. eapropter hoc Jus nequit consistere in ea re, quæ nullos fructus ferre potest.

Alii tamen putant, secunditatem in re censui subjecta non exigit de natura census, sed solum ex lege Pontificia, prorsus ut ubi Bulla Pii V. non viget, ibi census in re non frugifera queat constitui, ut e. g. proprietarius recte vendit alteri censem super fundo, cuius usum fructum donavit. Et probatur ex Bulla Nicolai, quæ permittit censum con-

constitui super rebus & proprietatibus suis. Quippe res suas vocat, in quibus plenum dominium quis habet: proprietates vero, in quibus alter usumfructum obtinet, quæ propterea ipsi proprietario, qui censum vendit, infrugiferæ sunt. Ita Sotus 6. de Jus. qu.5. art.5. Covarr.3. var.7. num.5. Azor.3.par. lib.10. cap.6. qu.4.

Hoc dissidium componere nituntur Salas dub.7.difficult.3. & Duard. in Extr. Pii V. §.1. qu.43. num.4. hac scilicet distinctione adhibita, ut si ematur census, sive Jus ad percipiendos fructus ex re aliqua, aut ad quidpiam æquivalens, pensionem v.g. pecuniariam, res ea opus est, ut frugifera sit, super qua tale Jus constituitur. Et hæc est propria ratio census. E diverso si ematur jus quidem ad certam pensionem, sed pro eiusdem pensionis solutione obligetur dumtaxat res aliqua, & veluti pignori subjiciatur, nihil opus erit rem hujusmodi esse frugiferam, sed infrugifera sufficiet. Verum tamen est, hanc non esse propriam census rationem, itaut res potius hypothecata, quam censita dicenda sit.

Ex his resolvitur & alia quæstio, an res censita debeat ferre tot fructus, qui exæquent pensionem illi impositam, seu censum.

Communis opinio est, eam exæquationem fructuum, & census omnino necessariam esse. Ita pâssim Canonistæ cum Panorm. in cap. in civitate, de usur. Navar. de usur. num.79. & 85. Sylv. v.usura, qu.12. Bonac. de contract. disp.3. q.4. punt.unic. num. 20. Aragon.2.2. quæst.8. art.4. Nam cum res natura sua debeat esse frugifera, utique ratione illius excessus pensionis solvendæ supra fructus, frugifera non est. Et notant præterea, ex quantitate fructuum deduci debere expensas in fructibus illis colligendis faciendas, quia fructus non censentur, nisi qui deductis expensis supersunt.

Alii tamen hanc fructuum cum censu exæquationem servandam esse negant, ea nixi ratione, quia in constitutione census obligatur simul vendor cum omnibus suis bonis: quocirca licet res censita, non sit capax omnium illorum fructuum, valebit tamen contractus, etiam in quantum ad eum excessum census supra fructus, ad quem se obligavit debitor. Ita ergo si census in viginti annua consistat, & res non ferat, nisi quindescim, pro hac summa intelligetur obligata res censita, pro reliquis quinque persona saltem debitoris, Conrad. de contract. quæst.88. concl.12. Covarr.3. var.7. num.6. Sotus 6. de just. qu.5. art.1. coroll.1. Fachin.2. contr.43. Gratian.1. discept.41. nam.26.

Verum placet hac in re distinctio, quam refert G ball. in c.6.art.1.1. num.7. si enim agamus de censu mixto, in quo una cum re persona censuarii obligatur, ut propterea ex una parte realis, ex altera personalis sit, non opus ut res censita sit capax totius pensionis solvendæ: quippe excessus intelligetur constitutus super ipsa persona, quæ eum ex aliis suis bonis vel saltem ex suis laboribus solvet. Quod quidem erit iis in lo-

locis, ubi census personales, vel saltem misti recepti sunt.

At si loquamur de censu pure reali constituto super re frugifera, ut ex illa solvatur, sive percipiatur pensio, debet res fructus tot ferre, quot ad pensionem illam solvendam sunt satis; ita tamen, ut si fundus minores fructus ferat, contractus non sit ex toto invalidus, sed solum in excessu, quo pensio constituta fructus rei censitae superat, ex regula, quod utile per inutile non vitiatur, ubi possunt invicem separari, seu res dividua est, cap. utile, de reg. Jar. in 6. l. i. §. sed si, ff. de verb. sig. l. placuit, ff. de usur. l. 114. ff. de verb. oblig. Ita donatio excedens sumam 500. solidorum sine insinuatione non vitiatur, nisi in excessu, l. sancimus, C. de donationibus. Census autem de sua natura dividuuus est, & in partes separabilis, ut argumentum est, quod re censita pro parte pereunte, pereat census non in totum, sed pro ea tantum parte, quæ periret, ut in Bulla Pii V. Bald. in cap. i. num. 15. de Jurejur. Cencius q. 36. Duard. in §. i. q. 47. n. 25.

III. In materia census exigit Pius V. ut ea nominatim certis finibus designetur, hoc est, ut nomen rei illius expressum sit, & confinia designata sint, scilicet ut de re censita certo constare possit, si quando adversus tertium possessorem agendum sit: aut si queratur, utrum res censita perierit, & una cum ea census: aut utrum frugifera sit, & capax pensionis solvendæ: & tandem an verus sit ille census, an mutuum & usura super facta re, & specie latens; nam possem mutuam pecuniam alteri dare sub usuris; ne autem usuræ apparerent, super re facta censum a debitore, tanquam a venditore, constituere mihi facerem. Ut ergo fraudi cuicunque obviam eatur, cavit Pius V. ut res certis finibus demonstretur; ita tamen, ut ex mente S. Pontificis hæc demonstratio per aliud æquivalens suppleri possit, ut saepe a Rota Romana judicatum referunt Cencius q. 46. Duard. §. i. qu. 6c. Leotard. qu. 58. num. 10. voluit enim validum esse censum in prædio urbano, vel rustico, nullis expressis finibus impositum, si is, qui censum vendidit, unam domum in ea urbe, vel unum prædium in ea regione habuit, quia tunc expressio loci, vel regionis facit, ut certo constet de re censita, & menti S. Pontificis satisfiat.

Verum, quia in Bulla Nicolai hæc tertia conditio de certis finibus non habetur, hinc multo magis in Regno nostro validus erit contractus censualis, cum nulla confinia demonstrantur, si tamen constet de quo fundo contrahentes senserint. Cum enim census constitutio, de quo agimus, venditio quedam sit, ut Summi Pontifices affirmant, iisdem regulis, quibus venditio, regi debet, spectato Jure communi, ubi nihil in contrarium expresse constitutum sit. At firma & valida est de Jure communi venditio, ubi constat de quo fundo contrahentes senserint, etiamsi nominatim expressus, & certis finibus descriptus non sit, l. Titius, ff. de actionib. emi, ubi dicitur: Facta venditione

fux-

*I*undi , nullis expressis finibus , ex eo contraētu præstandam est , quod contrabentes sensisse intelliguntur . Concordant textus in l.63. §. 1. ff. de contrab. emt. in l. certum , ff. de reb. credit. in l.1. §. ult. ff. de do- te prælegata . Ergo quia nihil in nostro Regno de hac re in contra- rium statutum est , inde fit , ut idem in censu venditione servandum sit .

Idipsum erit , si falsi fines assignati sint , aliunde tamen constet de certo fundo , quia neque falsa confinia venditionem irritam faciunt , l.18. §. si servus , ff. de contrab. emt. vel etiam , si in nomine fuerit erratum , cum de corpore constat , l.9. §. 1. ff. cit. tit. vel erratum sit de nomi- ne regionis , in qua fundus positus est , l.35. §. 2. ff. de legnt. 3. Quippe ex falsa demonstratione venditio non vitiatur , sicuti nec vitiatur lega- tum , l.17. ff. de condit. & demonstrat.

Ex his patet , posse quem censum constitueri alteri super univer- sitate bonorum , nullis rebus sigillatim , & expresse designatis ; cum enim possit quis vendere omnia bona sua etiam futura , ut colligitur ex l.1. §. 1. ff. pro dote , & ex l. mulier , ff. de Jure dotum . Gomez. 2. var. 2. num. 4. consequens est , ut possit vendere redditum aliquem super om- nibus quoque bonis suis , seu Jus percipiendi eum annuum redditum , quod Jus est census .

Confirmatur I. ex Constitutionibus Martini V. & Callisti III. qui permittunt censum constitui in hereditatibus . Ergo sicuti potest heres constituere censum super hereditate sibi relicta , quæ universum Jus de- suæti continet , l. patrimonii , ff. de usu , & usfr. legato , l. nibil aliud , ff. de verb. signif. ita poterit moriens super omnia bona sua similem cen- sum constituere : & non solum moriens , sed etiam consequenter quili- bet alius , etiam inter vivos . Nulla quippe ratio disparitatis assignari potest .

II. Confirmatur ex Bulla Nicolai , quæ generatim census constitui permittit super rebus & proprietatibus , ac facultatibus & emolumentis carundem . Ubi super rebus simpliciter dicit ; & reruni nomine compre- henditur quidquid in nostro patrimonio est: præfertim cum addat & pro- prietas , & facultates , & emolumenta . Ita post Conradum , Medinam , Valentiam , & alios , docet Salas dub. 7. Reginald. lib. 25. num. 415. de Lugo disp. 27. num. 67. cum seq. Et cum Theologis consentiunt Juris- periti , Covarr. 3. var. 6. num. 5. & seq. Gaill. 2. obs. 7. num. 13. Martin. de Jure censu cap. 4. num. 10. Sarmiento 7. select. 1. num. 26. Leotard. de usfr. qu. 58. num. 39. Duard. §. 1. q. 5. 1.

Sed in contrarium post Novar. Lessium , Rebell. aliosque nititur Cencius qu. 40. qui putant ex natura rei non posse censum constitui su- per universitate bonorum .

I. Probant ex Bulla Pii , qui negat expresse posse censum genera- tum super omnibus bonis constitui . Quod tamen minime urget ; quam- vis

Vis enim hoc verum sit iis in regionibus, ubi constitutio Pii recepta est, non tamen inde sequitur id verum esse de natura rei; propterea quod Greg.XIII. in gratiam Siculorum, constitutionem Pii V. emolliens, inter alia, quæ Pium constituisse ait, ad Justitiam horum contractuum minime necessaria, numerat hanc impositionem super re certa. Verba Gregorii sunt: *Litteras ediderit (nempe Pius) quibus illud in primis caretur, ut census non generaliter super omnibus bonis, sed specialiter super re certa imponatur, aliaque in eisdem ad justitiam contractus minime necessaria constituerit, &c.* In quibus Gregorius declarat, & non esse de natura re censum constitui super re certa, & posse in Regno nostro, & in Regno Siciliae censum super bonis omnibus generatim constitui.

II. Probarunt, quia aliter emitto dicti census nullum subiret periculum rei emitæ, quia semper haberet censem suum, & redditum tutum, & certum, contra textum in l.1. ff. de peric. & comm. rei venditæ.

Pro responsione dicimus, nihil obstare, quin census super omnibus bonis constitutus pereat, cum illa omnia bona perire possint. Verum tamen est, quia census hic difficilius perit, propterea majus pretium in hujus census emtione exigi, quam si super una aliqua re sit constitutus: alioqui contra Justitiam commutativam peccaretur, ut Duard. & de Lugo loc.citat. notant.

Hinc fit, multo magis valere censem, qui constituatur super unicō fundo designato, addita clausula, *Et super omnibus, & singulis bonis venditoris;* quamvis enim Rota apud Cencium declaraverit, Censem valere solum in certo fundo, non item in reliquis bonis, quia utille per inutile in rebus dividuis non vitiatur; tamen id intelligendum est juxta constitutionem Pii V. quæ in Regno nostro non viget. Quare Greg.XIII. Siculis permittit: *Ut in censum emtione & venditione (verba S.Pontificis sunt) prius unius, vel plurium rerum certarum, super qua, vel quibus census ipse constituitur expresse, & deinde, si volunt, omnium bonorum in genere mentio fiat.* Quæ verba intelligenda sunt, tam si omnium bonorum mentio fiat ad faciliorem census exactiōnem, atque ad ejus securitatem, atque hypothecam pro evictione census, & solutione pensionis; quam si ut census intelligatur super omnibus omnino bonis constitutus; jam enim probatum est, census super omnibus alterius bonis recte emi posse, servata pretii equalitate.

IV. In materia census, præter jam dictas conditiones, quæ in Bulla Pii expressæ sunt, a DD. exigitur, ut sit propria ejus, qui censem constituit, & vendit: alioqui census super re aliena, sine consensu domini constitutus, invalidus erit, Novar. de Usur. num.118. & 131. Sotus 6. de Justitia, q.5.art.1. concl.2. de Lugo disp.27. de Justitia, Leg. tard. de Usur. q.55. num.2. aliisque communiter.

Quod probatur ex pluribus. I. Quia in constitutione census venditatur

M m m

ditur Jus percipiendi fructus ex re aliqua : sed tale Jus cum venditur in re aliena , nullum est ; cum enim illud non habeat vendor , ipsum in ementem transferre non potest ex l. nemo plus , ff. de reg. Juris . Ergo nihil venditur , seu venditio nulla est , & fictitia ex l. 8. ff. de contr. emt. Quare hoc casu census nullus est ex ipsa natura rei , & non ex aliqua tantum lege positiva , quæ prohibeat censum in re aliena constitui..

II. Quia ex census impositione constituitur onus , & Jus reale super re censita , quod ipsi inhæret , uti jam diximus . Sed nemo potest imponere onus , aut Jus reale rei , cuius dominus non est , l. 6. C. si res aliena pignori data sit , l. 1. ff. de pignor. l. 26. ff. de pigner. act. Et quidem hæc est ratio , cur res aliena pignori nequeat subjici : propter quam eandem rationem nemo potest rei alienæ servitutem imponere , l. 2. ff. de servitut. l. ult. C. de reb. alien. non alien. nempe servitutes sunt Jura , qualitates , & onera prædiorum , l. quid aliud , ff. de verb. signif. l. qui bona , §. 1. ff. de damno infectio . Quare nec fructarius , qui interdum loco domini est , l. 4. ff. de ususfr. potest rei servitutem imponere , Cujac. ad l. 2. ff. de servitut. Ergo neque census imponi in re aliena potest , qui gravissima servitus est.

Objicies : res aliena valide vendi potest , inscio , & invito domino , quanquam deinde res emtori a domino auferri possit , l. 28. ff. de contr. emt. Ergo multo magis vendi potest annuus redditus , hoc est , census , super re aliena ; quippe in venditione hoc tantum agitur , ut res vendita , ejusque vacua possessio tradatur emtori a venditore ; qui propterea non tenetur rem facere accipientis , sed dunitaxat evictionem præstare , si res forte a domino ablata sit emtori , l. ex emto , §. 1. ff. de act. emti , l. 1. ff. de rer. permitt. l. si ita , ff. de contr. emt..

Sed respondemus cum Gibal. cap. 6. art. 1 l. num. 18.. negando partatem ; propterea quod licet res aliena vendi possit , non tamen super eadem re Jus alteri potest vendi . Disparitatis ratio est , quia ad emtionem sola rei traditio satis est , seu vacua rei possessio , ut ex citata lege patet , & notat Cujac. in l. 28. ff. de contr. emt. Quæ quidem traditio res facti est : constat autem rem alienam tradi posse , & ejus possessionem in alium transferri , quia eam possessionem vendor habet . Secus est in impositione obligatione , in qua debeo Jus tribuere illi , cui eam obligo , quod Jus cum non habeam , nihil omnino trado , aut vendo emtori . Hinc est , quod licet rei alienæ venditio consistat , illius tamen oppigneratio nulla sit , l. aliena , ff. de pign. act. l. 2. C. de crim. stellion. l. 2. & 6. C. si res aliena pignori data sit . Unde recte Cujac. in l. 1. ff. de pignorib. ad Papin. dixit : *Solius domini est pignori obligare : vendere non est solius domini , sed etiam possessoris .* Cum ergo in census constituendo non agatur de possessione in alterum transferenda , quam vendor rei alienæ habet , sed de transferendo Jure , quod vendor non habet , ideo Jure merito constitutio census in re aliena nullius omnino momenti est.

Con-

Confirmatur, quia sententia, quæ ait, rem alienam distrahi posse, dura & iniqua est, ut probatur ex *I. I. C. de comm. rerum alienatio-*ne, ubi venditio rei communis ab uno ex sociis facta, satis illicita appellatur; ut propterea nequeat ad alios casus etiam ex majori ratione extendi, cum scilicet venditur Jus in re aliena; quamvis hoc minus esse videatur, quam rem ipsam vendi.

Quod dictum est producitur, ut nec census in re aliena constitutus valeat, etiamsi dominium rei post constitutum censum a venditore fuerit acquisitum; quippe ex regula Catoniana, quod ab initio non valet, tractu temporis non reconvalescit, ut recte observant Duard. loc. cit. qu. 25. num. 19. & Cencius q. 14. num. 15.

E diverso restringitur, si in re aliena, domino consensiente, census imponatur; nam consensiente domino, res aliena pignerari potest, *I. 20. ff. de pign. act. I. ult. C. si res aliena pignori:* potest etiam in ea servitutis onus imponi, *I. cum essent, §. ult. ff. de servit. rustic.* Ita Novar. de usur. num. 13 i. Salas dub. 21. Molina *dij/p. 394.*

Verum dominus deinde ad pensiones annuas persolvendas non erit obligatus, sed venditor, in cuius commodum dominus super re sua censum constitui promisit; prorsus ut dominus hoc casu nihil fecisse intelligatur, nisi praedium suum commodasse, ut quandiu ipse manet, venditor censum persolvat, nisi interim redimatur. Aliter officium, quod dominus isti venditori praestitit, illi damno esset, contra textum in *I. 7. ff. quemadmodum testam. I. 6. q. quod vero, ff. de furtis, I. 20. ff. mandati.*

Präterea potest dominus contra creditorem agere, ut se indemnem servet: sicuti qui pro alio fidejussit, aut sua bona obligavit, petere etiam ab eo potest, ut servetur indemnitas. Id, quod provenit ex natura obligationis pro alio susceptæ, *I. Lucius, ff. mandati*, ubi & illud notatur, in quantum ad tempus, quo debeat fieri hæc liberatio, Judicem estimaturum, & Judiciale quæstionem esse, id est, ex Facto, non ex Jure pendere.

Tandem hic domini consensus potest etiam post censum constitutum accedere, per ratihabitionem, quæ retrotrahitur, uti contingit in pignore rei alienæ, quod valere dicit Paulus, ubi deinde dominus illud ratum habuit, ex regula quod ratihabitio æquiparatur mandato, *d. I. 20. ff. de pign. act. I. si fundus, §. L ff. de pignor.* Ita supracitati DD.

Hæc tamen mihi locum habere posse videntur, ubi census personales recepti sunt, non etiam ubi mete reales vigent; quippe ad censum realem constituendum opus est, ut annui reditus ex fructibus rei cestæ persolvantur, quorum fructuum loco substituitur sæpe pecunia numerata, juxta ea, quæ supra diximus. Cum ergo in specie proposita pensio, seu reditus non afficiat rem, sed personam ejus, qui nec fructuum dominus est, nec eos sibi capit, ut censualistæ solvat; conse-

quens omnino fit , ut hic census personalis potius dicendus sit ; quam realis , prorsus ut prædium potius sit in obligatione , seu hypotheca , quam in censu . Quod etiam patet ex eo , quod si prædium esset in censu , utique prædii possessor posset pro censu conveniri , cum census onus reale sit : quod supracitati DD. negant , qui communiter affirmant pro censu non obligari , nisi solum ipsum venditorem .

C O R O B D A R I A.

PLura sunt , quæ ex haecenüs disputatis facile colliguntur . I. In officiis , & militiis , quæ in cuiusque dominio , & patrimonio sunt , & ad heredes transmitti possunt , & certos annuos fructus ferunt , censem constitui posse ; præsertim , quia hæc pro immobilibus habentur , *I.25. ff. de act. emti, l. ult. §. præterea, C. de Jure dotium, Bonius hoc tit. a num. 80. Leotard. q. 46. num. 14.*

II. Quia furni etiam immobilibus accensentur , & ex illis proveniunt annui capiuntur , præsertim si furni publici sint , & indictivæ conditionis , nihil prohibet , quin censui queant subjici . Secus est de clibanis , qui furni mobiles sunt , & de loco in locum transferuntur , Gibalinus *cap. 6. art. 12. consuetario 1. in princ.*

III. Censem super Jurisdictione recte constitui , ut in ea , quam Barro in re feudali habet : quippe Martinus V. expresse Baronibus permittit , ut super suis dominiis census imponant : quod tamen permisso Regis intelligendum est . Et probatur , quia Jurisdictione habet omnes conditiones , quas Pius V. exigit ; habetur enim ut immobilis , cum cohaeret territorio : habet quoque fructus , qui singulis annis recurrunt ; estque etiam certis finibus ratione territorii , cui cohaeret , definita , Felicianus *lib. 2. hoc tit. cap. 3. num. 36.* Bonius , & Leotardus supracitati .

IV. Idipsum esse de molendinis . Et quidem de molendinis aquariis , quæ in ripis fluminum , & ad præterfluentem aquam ædificantur , docet Navar. *de asfur. num. 118.* Felic. *d. cap. 3. num. 37.* Hering. *de molendinis, q. 73. num. 12.* & 16. nam quia solo cohaerent , immobilum loco habentur ; quare & in feudum & in emphyteusim dari poterunt , neque a tutori sine decreto Judicis alienari debebunt , ut communiter opinio est apud Leotardum *q. 45. num. 21.*

Hoc quoque est de molis jumentariis , quæ per asinos , & jumenta ad exprimendum ex oleorum baccis oleum , vel ad frumenta terenda circumaguntur in pistinis ; hæc enim sunt res soli , & domus ipsius portio quædam , DD. in *l. impensa, ff. de verb. signif.* Nec aliud Juris est in mola trusatili , quæ scilicet manu trusa circumagitur .

Molæ etiam alatae , seu velares , cum earum turres solo cohaerant , immobilum Jure censi debent , idem Hering. *quaest. 80.* *num. 40.*

num.40. & 42. Propterea non solum in ipsis census potest constitui , sed etiam feudum , Rosental de *feud.* cap.4. concl.4. num.1.

Quæres , an res censita novo censui subjici possit ? Et inter censum reservativum , & confignativum distinguendum est . Nam qui prædium suum alteri dedit in censum reservativum , utique nequit super eo censum alium constituere ; quia censuando nihil sibi Juris , aut dominii in re illa retinuit , præter Jus percipiendi pensionem sibi reservatam ; quare nequit alteri novum Jus super eo prædio constituere ex l. *nemo plus , ff. de reg. Juris.*

Illud solum poterit super censu sibi reservato , alteri censem vendere ; quippe census super censu constitui potest , ut est communis opinio ex Bonac. de *contract.* disp.3. qu.4. punct. un. num.16. Marescott.3. var.10. num.33. Ferdinandus a Castro de *Justitia* , disp.6. punct.23. §.1. num.5. de Lugo de *Just.* disp.27. num.64. Et ratio est , quia census inter immobilia connumeratur , & fructus fert . Vide Duard. in *const. Pii V.* §.1. q.35.

Quod si agamus de censu consignativo , tunc solum constitui super re jam censui subjecta potest , cùm fructus illius hūic novo oneri sufficiunt ; quandoquidem res censui subjicienda debet esse libera , & oneris , qnod ipsi imponitur , capax ; alioqui tamquam infrugifera erit habenda , Tolet. in *summa lib.5. cap.45. num.2.* Bonac. loc.cit. Guttierrez 2. qq. *Can. q.176. sub finem* Scaccia de *commerc.* §.1. q.1. num.178. Duard. d. §.1. q.6. num.16. & qu.47. num.21. contra Cencium q.39. n.2. & scq.

De personis Censum constituentibus.

C A P. IV.

OMNES , qui possunt res suas alienare , possunt easdem censui subjecere , propterea quod census alienationis species est ex *cap.1. & 2. de emt. & vendit.* Hinc fit , ut qui censem constituit , non solum sit dominus opus est , sed etiam , ut liberam rerum suarum administrationem habeat , ut mox in progressu patebit : & præterea opus est , ut rem liberam habeat , non alteri hypothecatam , aut obnoxiam ; eo quod emtor census facile ab eo , qui priorem hypothecam habet , posset repelliri , ex quo censem amitteret ; præsertim si censuario alia bona non suppetant , unde censualista fieri satis posset : neque censualista habebit actionem ullam contra eum , qui rem ut sibi prius obnoxiam vindicavit . Itaque si quis super re minime libera alteri censem vendat , pluribus emtori succurritur actionibus .

I. *Enim agere potest ad rescissionem contractus , & ad pretium salutum*

latum repetendum; nam semper pretium ex Juris censura intelligitur datum ad emtionem census super re libera: quare re non existente libera, pretium revertitur ad dantem; ex regula, datum ob causam, causa non sequuta repetitur, tot. tit. ff. de condit. ob causam, & tit. de condit. causa data, causa non sequuta. Ita Novar. de usur. num. 118. Duard. §. 1. q. 5. num. 4. & seq.

II. Potest contra venditorem agere, ut fundum censitum liberet, aut censi consentire faciat eos, qui habent potiora Jura in fundum; quippe venditio rei non liberæ, aut etiam alienæ valet in præjudicium vendentis, Scaccia de commerc. §. 1. q. 1. num. 182. Roderic. 2. de annuis redditibus q. 7. num. 7. Itaque in odium venditoris rei alteri obnoxiae, dum de onere tacet, duæ licet contrariæ, conceduntur actiones, vel ut rescindatur venditio, vel ut valeat, sed res libera præstetur.

III. Potest emtor agere ad omne id, quod interest, rem non esse liberam; exemplo ejus qui emit rem vitiosam a domino, qui vitium tacuit; agit enim, ut sibi reficiatur id, quod interest, l. Julianus, ff. de auct. emti.

Ita quoque si censuarius rem censitam vendat, venditio quidem valida erit, rescindi tamen potest ab emtore, vel peti, ut sibi ab omnibus onere libera præstetur, Molina disp. 389. num. 6. His positis, de personis ipsis in specie videamus.

Proprietarius.

Diximus jam qui nudam rei proprietatem habet, non posse verum in re censem constituere, sed solum posse eam velut hypothecæ subjecere, proflus ut census ex fructibus reliquorum bonorum præstandus sit; atque ita intelligi debere constitutionem Nicolai, ubi ait, censem recte constitui in rebus & proprietatibus. Verum quia Cencius q. 14. & Duardus §. 1. qu. 11. num. 5. omnino affirmant, dominum solius proprietatis rei, verum censem super ea re posse constituere, ideo classius nostra conclusio probanda est.

Itaque dicimus in re, cuius quis nudam proprietatem habet, vendendo censem, nihil vendit. Ergo ficta venditio est. Probatur antecedens. Non venditur ipsa proprietas, quia ea apud eundem remanet: non venduntur fructus, quia non proprietarii, sed usufructuarii sunt: non vendit Jus ad fructus eos percipiendos, quia proprietarius eo Jure caret, & eapropter in alium transferre non potest. Ergo nihil vendit. Quocirca videtur dicendum sub ea ficta venditione latere mutuum, & solum fieri ad usurarum velamen.

Cum vero ait Cencius, ex Bulla Pii exigi simpliciter rem frugiferam, super qua census constituatur, non autem dici, opus esse, ut ip-

ipſi vendenti censum frugifera sit; id utique ineptum est, & contra mentem S. Pontificis, qui ideo rem frugiferam esse voluit, ut ex his fructibus pensio solveretur: propterea censuario debet esse frugifera; ut ex ipso Cencio patet, qui censum definivit, Jus esse percipiendi annuam responſionem extrahendani ex fructibus rei. Quod quidem fieri non potest, ubi qui vendit censum nec fructuum, nec Juris in eos fructus dominium habet.

Uſuarius.

Qui nudum uſum habet, nullum in eo censum constituere potest, quia nudus uſus sine fructu est, cum sit Jus alienis rebus, quantum ſibi neceſſe eſt, utendi, ſalva rerum ſubſtantia; l. i. & l. 10. cum duab. ſeqq. ff. de uſu & habit. Hinc neque pignori potest opponi, l. videamus 1. §. pen. & l. ult. ff. de uſur. Cujac. 15. obf. 6. ſic multo magis nec vendi, aut locari, aut donari, aut quo alio modo transferri in aliud ab uſuario potest, l. 10. §. ſi uſus, ff. communi divid. l. 11. ff. de uſu & habit. Ergo neque in eo potest Uſuarius censum constituere, Felician. e. de censib. cap. 4. num. 6.

Uſufructuarius.

Hic super ipſo uſufructu ſeu Jure utendi fruendi potest censum conſtituere, ſi Jus iſtud fruendi ſuper re immobili fundatur, veluti prædio; nam poſſumus etiam uti frui ſervis, & pecoribus, censuſ au- tem ſuper re immobili, vel quaꝝ pro immobili habentur, conſtitui debet, juxta ea, quaꝝ ſupra diſputavimus. Cum ergo uſufructuſ immobiliſ fit, & præterea frugiferuſ, nihil ei deceſſe videtur, quominus censuſ ſubjici poſſit. Verum quia uſufructuſ morte fructuarii finitur, censuſ ſu- per illo conſtitutuſ non erit perpetuuſ, ſed vitalitiuſ, vel certe temporalis, quandiu ſcilicet Jus utendi fruendi in fructuarii perſona permanebit. Ita Bonius hoc tit. art. 23. num. 49. Duardus in §. 1. qu. 24. num. 4. Riccius coll. 41. aliisque paſſim.

Hæc tamen ſententia diſſicultate non caret. Nam Jura diſtinguuntur in realia, & personalia. Illa ſunt, quaꝝ rebus ipſis inhærent, non perſonis; qua de cauſa in heredes & ſucceſſores tranſeunt, & in feu- dum dari poſſunt, uti ſunt Jura pificationis, paſtionis, veſtigaliuſ, & id genus alia, Rosental. de feud. cap. 4. concluſ. 2. num. 2. Iſta e con- trario ſunt, quaꝝ perſonæ inhærent, & cum ea extinguitur, nec in he- redes tranſeunt, cujuſ generiſ eſt uſufructuſ, qui ſeruituſ perſonalis eſt,

l. i.

I. ff. de servitutib. & morte usufructuarii extinguitur, l. Statius Florus, §. Cornelio, ff. de Jure fisci. Ex quibus apparet, ad censendum Jus aliquod inter immobilia, non esse satis, ut in re immobili fundetur, quod Auditores prioris sententiae opinantur, sed praeterea opus esse, ut ipsi rei cohæreat, non personæ, & cum illa extinguitur, non item eam ista; ita enim Jus reale, & immobile dicetur. Ita Leotard. de usur. q.5 i. num.24. cum seq. Ugolinus de usur. cap.44. num.15. quos sequitur Gibalinus cap.6.art.14. consuetario 2. qui his positis, ita argumentantur. Census realis (nam de hoc quæstio est) nequit nisi in re stabili, sive Jure reali, quod pro stabili habetur, constitui: sed hujusmodi non est usus-fructus, qui Jus personale est, imo a nonnullis etiam personalissimum dicitur: ergo recte in eo census nequit fundari.

Addit Molina s. de primogenitura, cap.19. nam.1. censum semper tangere proprietatem, quæ hypothecatur centuralistæ, etiam si census super usufructu constitui dicatur. Cum ergo fructuarius proprietatem pignori opponere non possit, *l. si rem, & l. rum alienam, ff. de pigner. art. l. qui prædium, & l. ult. C. si res aliena pignori data sit;* hinc fit, a fructuario censum super usufructu non recte constitui.

Ita nec super meliorationibus, seu emponematis, & accessionibus rei, quos ipse fructuarius fecit, & curavit, potest ullum censum impo-nere; quia usufructuarius non magis eorum, quam ipsiusmet fundi dominus est; cum emponemata, seu meliorationes cedant solo, *l. adeo, §. ult. ff. de acq. rer. dom. l. 2 i. ff. de pign. art. Covat. 1. var. 8. num. 4.* Itaque census super istis meliorationibus ab usufructuario constitutus, in re aliena constitutus dicetur, ac proinde nullus, Cencius in additionibus ad qu.25. num.10. qui ita in Rota Romana decisum refert.

Feudatarius, seu Baro.

DE potestate Baronis in censu constituendo non una est Doctorum opinio; nam quidam tradunt censum constitutum valere, sed tamdiu esse duraturum, quamdiu Baro feudo utetur fruetur, Clarus §.feudum, q.37. Martinus cap.4. de censibus, num.89. Cencius q.2 i.n.10. & seq. ex communi sententia Ferdinandus a Castro de Justitia, disp.6. punt.23. §.4. Et moventur eadem ratione, qua volunt fructuarium posse in Jure utendi fruendi censum constituere. Alii tamen negant cum Feliciano lib.2. cap.4. num.19. Marescotto 3. var.10. num.60. & seq.

Verum hæc difficultas tolli non potest, nisi ipsa feudalia Jura inspiciamus, tam de Jure communi, quam Regni nostri.

Igitur Jure communi Feudorum invalide census super feudo con-stituetur a Barone, inscio, aut invito domino; cum enim illo Jure feu-dum neque alienari neque obligari a vasallo, sine Principis venia queat,

cap.

cap. imperialem, de probibita feudi alienatione per Federicum, & census alienationis species sit, & præterea includat rei censitæ hypothecam, inde sit, non posse censem a Barone sine domini consensu in feudo valide constitui. Idipsum est de Jure Regni nostri ex constitutione Constitutionem diuæ memoria, ubi omnis etiam alienatio in re feudalí concepta, sive venditio, sive donatio sit, sive hypotheca, sive quævis alia diminutio, prohibetur, inscio, vel invito domino.

Hoc tamen inter utrumque Jus interest, quod de Jure communi contractus est statim nullus, & Baro feudo privatur: at in Regno nostro nec feudum amittitur in poenam, nec contractus est nullus, sed tantum invalidus, quem ipse Baro ut injustum revocare poterit, non suo Jure, sed auctoritate Magistratus, Theodorus alleg. 96. num. 21. Sed si Regis assensus intra biennium a die celebrati contractus impetretur, contractus consistet, Anna in d. constitut. num. 135.

Hinc ergo fit, non posse vendi annuos redditus super re feudalí sine consensu domini directi, pragm. 4, §. 5. de feudis: atque ita intelligenda est constitutio Martini V. qui Baronibus census super dominiis suis imponere posse permittit. Notat tamen Follerius ad pragm. 1. de censib. si Baro vendat censem super feudo sine voluntate domini, sed ex propria pecunia solutionem promittat, eam venditionem valere. Quod tamen falsum omnino est, quia semper feudum dicetur saltem hypothecatum pro solutione census; & hypotheca de Jure novissimo Regni nostri nequit sine Proregis consensu feudo imponi, pragm. 22. de feudis, Martin. 2. resol. 32.

Emphyteuta.

Sunt qui docent, emphyteutam esse prohibitum super emphyteusi censem alteri constituere, Bonacina de contrahib. disp. 3. q. 4. punct. un. num. 120. Azor. 3. pur. lib. 10. cap. 7. qu. 4. Ugolin. de usur. cap. 44. num. 4. Scaccia de commerc. §. 1. q. 1. num. 187. Gratianus 5. discpt. for. cap. 903. num. 3. Et moventur ex eo, quia emphyteuta nequit sine domini consensu emphyteusim alienare, l. ult. C. de Jure empbyt. Ergo neque illi hypothecam, aut aliud onus imponere potest; propterea quod prohibita alienatione rei, prohiberi quoque intelligitur ejusdem rei obligatio, ut oppigneratio, & subjeccio, l. ult. C. de reb. alien. non alien. Cum igitur census & onus sit, & rem hypothecæ opponat, consequens fit, ut census super emphyteusi nequeat a domino utili imponi.

Est tamen contraria opinio magis communiter recepta, scilicet emphyteutam rei emphyteuticæ censem imponere posse, secluso tamen directi domini præjudicio; hoc est, si quo casu emphyteusis finiatur, redatque Jure devolutionis ad dominum directum, libera a censi per

N n n

eni-

emphyteutam imposito redibit, Cencius q.22. num.8. Redoanus de reb. Ecclesiae non alien. rub. 16. num.20. Rodericus de annuis redditibus lib.1. q.3. num.7. Boerius decis. 181. num.7. aliquie cum Leotard. de usur. q.51. num.10.

Et probatur, quia emphyteusis eas omnes habet conditiones, quae ad materiam census exiguntur, cum sit frugifera, & præterea stabilis; non enim emphyteusis est Jus personale, ut ususfructus, qui re extincta perimitur; sed Jus reale est, & perpetuum, quod dominus directus auferre non potest, nisi vel ob poenam, vel ob lineam finitam, cap.7. de reb. Eccl. alien. vel non.

Nique obstat, emphyteutæ alienationem prohiberi; nam quamvis verum sit, sub alienationis prohibitione censeri etiam obligationem prohibitan, id tamen intelligamus oportet, quando leges specialiter obligationem non permittant; ita enim in d.l.ult. C de reb. alien. Justinianus loquitur: *Nisi in his tantummodo casibus, in quibus constitutionum auctoritas aliquid tale permiserit.* Jam emphyteutæ permisum est emphyteuticum præmium pignori, atque hypothecæ subjecere ex l.tator, §.ult. ff. de pignor. act. ubi dicitur: *Etiam vectigale præmium pignori dari potest, sed etiam superficiarum, quia bodie utiles actiones superficiariis dantur,* Faber de error. pragm. dec.63. er.8. & nos late in tract. de pignorib. ubi de hypotheca expressa disc.5. Unde communis opinio est, emphyteutam posse emphyteusi servitutem imponere domino irquisito, Rodericus d. lib.1. qu.3. Peregrinus de fideicom. art.40. num.113. Molina 1. de primogen. cap.20. num.2. in quarum servitutum numero est etiam ususfructus, quem in re emphyteutica constitui posse, patet ex l.1. ff. quib. modis ususfr. amittatur, ibi: *Proinde traditus quoque ususfructus, item in fundo vectigali, vel superficiario Jure constitutus, capitis diminutione amittitur.* Nihil igitur causæ est, cur in eadem re census constitui non possit.

Unde est etiam, quod ex venditione census super re emphyteutica constituti, nullum debetur laudem; quia id debetur ob consensum, quem dominus directus præstat pro alienatione rei; at in census constitutione, nullus exigitur domini directi consensus, ut jam probatum est. Ita DD. apud Burgum de laudem. par.2. inspect. 20. num.27. Rodericus lib.3. qu.4. num.4. Gutierr. de Jur. confirm. par.1. cap.3. Faber in C. tit. de Jure emphyt. def.72.

Ex his colligit Duard. §.1. q.12. num.30. emtorem census, qui sciebat rem, super qua constituitur, emphyteuticam esse, idque si ignorare finxit, ut posset deinde discedere a contractu, & pretium repetere cum redditibus, usuram committere; propterea quod non habuit animum emendi, sed foenerandi; eoque tenebitur pensiones exactas aut in fortem computare, aut restituere;

Libellarius, & Superficiarius.

Libellus, sive libellarius contractus est conventio de re utenda fruenda data in perpetuum lib. annua paucorum denariorum pensione, & ab emphyteusi in tribus differt, primo, quia libellus certis temporibus, v.g. vigesimo quoque anno innovatur, numerato certo prelio boni viri arbitratur, quod non est in emphyteusi: secundo quia datur emphyteusis, ut res recreetur, & melior reddatur, quod onus in libello non est: tertio, quia emphyteusis inconsulto domino vendi non potest, cum aliud Juris in libello sit. Ita DD. apud Azor. par. 3. moral. lib. 10. de emphyteusi, cap. 1. qu. 4. Vide Negus. de pignor. par. 2. memb. 2. n. 51. & Cujacium ad lib. 1. feudorum, tit. 2. qui duas alias addit differentias, & quod emphyteusis nonnunquam ad tempus, libellus semper in perpetuum concedatur, cap. 1. de alienat. feudi; & quod in libello est commissio locus post biennium, sicut in locatione, cum in emphyteusi triennii cessatio exigatur. Et dicitur libellus a brevi scriptura, quam exigit; quippe brevis scriptura libellus dicitur: unde in constitutione Lotharii habetur, libellum, vel aliud instrumentum. Alii tamen a libella deducunt, quae fuit minuti nummi Romani genus, quem idem cum esse putat Scioppius in paradox. ep. 15.

Quoniam ergo libellus perpetuus est, & frugiferus, & praeterea vendi, & obligari potest, inde fit, ut super re libellaria recte census constituantur, Felician. lib. 2. cap. 4. num. 24. Duard. in §. 1. q. 13. modo in concessione libelli alienatio & obligatio prohibita non sit; quod patet etiam in emphyteusi solet apponi.

Superficies hic est, quidquid alieno solo ex domini consensu inedificatur, sive domus sit, sive vinea, olivetum, aut quid tale, cuius ipse superficiarius utilis dominus esse intelligitur: quocirca ea ferme omnia, quæ soli domino concessa sunt, superficiario quoque permittuntur, ut novum opus nunciare, l. 3. §. si ego, ff. de novi operis narratione: ita & servitutem in superficie imponere, & eandem superficie acquiri, l. 3. ff. de servitutib. l. 1. in fine, ff. de superficiebus: ita quoque pignori, vel hypothecæ dare, l. 13. §. in superficiariis, ff. de pignorib. I. etiam, ff. qui potior. in pignor. & si in possessione turbetur, se defendere interdicto, Uti possidetis, l. 1. §. proponitur, ff. de superficiebus, l. 3. §. 7. ff. uti possidetis. Et demum superficiem donare, & legare ei permisum est, d. l. 1. §. 7. ff. de superficiebus.

Ex quibus patet nihil esse causa, cur idem in superficie censum constituere non possit, maxime, cum superficies res immobilis, & frugifera sit, ex l. 44. §. 1. ff. de oblig. & actionib. Hic tamen census non durabit, nisi quandiu durabit Jus superficiarii, uno excepto casu, quo

superficies ea lege concessa sit, ut liceat superficiario in ea exædificare in perpetuum; tunc enim census erit omaino perpetuus, ut ipsius superficiarii Jus.

Prohibitus alienare.

Varia in hac re est DD. opinio. Quidam enim putant, venditionem census in re, quæ alienari prohibita sit, Jure validum esse, quamvis Jus percipiendi fructus revera in emtorem non transferatur, Marescott.2. var.61. Quod probant ex eo, quia prohibitio alienationis non impedit venditionem, sed dominii translationem, sine qua translatione venditio consistit. Valida itaque erit venditio census in præjudicium venditoris, qui ad id, quod interest, & ad evictionem tenebitur emtori, l.i. & i.i. §.i. ff. de act.emti, l.contractus, C.de fide instrum.

Communis tamen sententia est, in re alienari prohibita censum invalide constitui, aut vendi, utpote quæ neque pignori, neque servituti subjici recte potest, l.fin. C.de reb. alien. Et ratio omnium est, quia in pignore, & in servitute oportet Jus aliquod in re constitui, quod rem attingat, ut loquitur Ulp. in l.sed et si lege, §.si tamen, ff.de petit.bered. quod Jus in alium transferre non potest, qui alienare prohibitus est, d.l.fin. Cum ergo in venditione census opus sit Jus aliquod in re constitui, & in alium transferri, ut jam supra dictum est; hinc fit, ut is, cui rei alienatio prohibita est, censum in eadem re constituere non possit.

Ad argumentum contrarium respondet Felician. lib.1. cap.4. n.9. distinguendo inter venditione aliarum rerum, & venditionem census, quæ longe inter se differunt. Quippe in omnibus aliis venditionibus, res, quæ venditur, vel jam existit, vel certe futura speratur in rerum natura, ut si vendam fructus, qui ex fundo meo nascentur. Secus vero est in venditione census, in qua res, quæ venditur, ipsa venditione creatur, cum antea neque existeret, neque extitura speraretur. Hinc fit, ut venditio aliarum rerum, quamvis ex alienæ sint, aut certe alienari prohibitæ, valeat; cum enim res, quæ venditur, existat, utique vacua ejus possessio tradi alteri potest: quod unum in certarum rerum venditione exigitur, l.si ita, ff.de contr.emt. At vero in venditione Juris census, quod ipsa venditione creatur, nihil est, quod tradi possit, ubi res aut aliena est, aut alienari prohibita.

Quod si dicas, hanc venditionem census in re, quæ alienari prohibita est, ideo validam esse, quia vendor conveniri potest actione ex emto ad restitutionem pretii, & ad id, quod interest emtoris, ut saepe decidit Rota apud Cencium, & tradit Salas hic dub.7. Duard. in §.i. q.7. num.41. & 44. Bonac. de contractib. disp.3. q.4, num.8. Respondeamus

mus hæc quidem vera esse, non tamen inde probari, constitutionem census validam esse; nam & liberi hominis venditio invalida est, & tamen emtor potest ex emto agere ad id, quod interest, *i.liberi*, ubi Gloss. *ff.de contr.emt.* Ratio est, quia actio ex emto est bona fidei: & propter ea ex bono, & æquo conceditur in eo etiam casu, quo emtio non valet, *i.qui officii, ff.cit.tit.*

Heres fideicommissio gravatus.

SI fideicommissum ita creditum heredi sit, ut non modo restituendum veniat, sed etiam alienari prohibeatur, ita ut præter tacitam legis prohibitionem, adsit expressa testatoris voluntas, nequit censui supponi, ut constat ex modo dictis de eo, qui alienare prohibitus est. Alius casus est, cum ab eo, qui onus fideicommissi injunxit, non est expresse addita alienandi prohibitio, prorsus ut hæc alienandi prohibitio tacite tantum insit ex onere restituendi, ipsi heredi injunctio in favorem fideicommissarii: quod quidem onus inducit legalem alienandi prohibitionem; & eo casu licite census imponitur, dummodo sermo sit, non de fideicommissio puro, quod statim restitui debeat, in quo nullum censum constitui posse constat inter omnes; sed de eo, quod ex adventu diei, vel conditionis pendeat, ut si dictum sit, Rogo ut restituas post mortem tuam, vel, si navis ex Asia venerit; tunc enim pendente die, aut conditione, licet heredi gravato censem in iis bonis constitueret, qui tamen duraturus sit ad id folum tempus, quo dies advenerit, vel conditio purificetur, & non ultra, ex regula, quod resoluto Jure dantis, resolvitur Jus accipientis, *i.lex vestigali, ff.de pignoribus.*

Idque probatur ex pluribus, & primo, cum res certa in diem certam restituenda fuit relieta. Nam heres dominus rei est, donec dies a testatore statuta advenerit, prorsus ut interim ei actio reivindicatiois concedatur, *i.non ideo, ff.de revivido*: unde est, quod heres alteri ad eam diem rem fideicommissio subjectam concedere potest, *i.peto, §.prædiuum, ff.de leg.2.* Ergo multo magis in eam diem census super eadem se potest imponi.

Objicies cum Peregrino de fideic. art.40. num.2: cui consentit Gibalinus, cap.6. art.14. consuetario 3. textum in auth. *res qua*, C. communia de leg. ex quo res, quæ subjacent restitutioni, prohibentur alienari, vel obligari: qui textus desumptus est ab Irnerio ex §.quamobrem, auth. de restitutione & ea, quæ parit. Ex quo permotus Angelus: *ibid. in princ. num.2.* generatim tradidit, bona fideicommissio subjecta non posse neque etiam die pendente, hypothecæ, vel pignori dari, quem sequutus est Alexand. in *i.si constante, num.28. ff.sol.matri.* & alii, qui docent, per eum textum corrigi reliqua omnia Jura, quæ in contrarium adducuntur.

cuntur. Confirmant idipsum ex *I.fin.* §.fin autem, *C. communia de legat.* in illis verbis: *Melius quidem faciet*, si & in his casibus caveat ab omni venditione, aut hypotheca.

Pro responsione sciendum est, in d. §. quamobrem, nullum legi expressum verbum, quo prohibetur alienatio, vel obligatio eorum bonorum, quæ restitutioni, vel fideicommisso subjecta sunt; tamen ex mente legis id collegisse Irnerium, cum hanc prohibitionem expressit in d. *aut h. res. que.* Collectionis ratio est, quia Justinianus impetravit alienationem, aut obligationem, cum agitur de dote, & de donatione propter nuptias; quia ergo exceptio firmat regulam in contrarium, ideo his duobus casibus exceptis, in reliquis omnibus regula erit, ut vetita hypotheca, & alienatio intelligatur. Quæ quidem verissima esse fatemur, sed nihil contra nos; quin ex his responsio ad argumentum patet. Nam cujus generis est exceptio, ejusdem est regula; quapropter cum Justinianus in d. §. quamobrem sermonem habeat de alienatione, vel obligatione irrevocabili, ut est ea, quæ fit ex causa dotis, vel donationis propter nuptias restituenda, &, ut DD. tradunt, etiam constituenda: propterea prohibicio cadet etiam in distractione, & oppigneratione irrevocabili, quæ nimurum-per casum restitutionis non revocatur. Quod nos quidem ultro concedimus: nam, cum dicimus, pendente fideicommisso posse bona oppignerari, & distrahi, id ita capinus, ut hæc omnia in fideicommissi restitutione evanescant, ut jam notavimus ex d. *I. lex vectigali*, ff. *de pignor.* Per id vero, quod spectat ad textum in d. *I. fin.* §.fin autem, respondemus ejus textus verba ita esse concepta, ut consilium tantum dare videantur, cum dicunt, *Melius quidem faciet*, &c. quod utique non necessitatem legis, sed contilii arbitrium demonstrat; & præsertim, quia Justinianus in eadem lege hæc subdit, *Sciat, quod conditione impleta ab initio causa ad irritum revocetur.* Quæ verba satis demonstrant, interim pendente fideicommissi die, hypothecam, & distractionem substineri, cum non dicantur nullæ, sed ad irritum revocari tunc, cum restitutio facienda est.

II. Si fideicommissum relictum fuerit sub conditione, & in diem incertam, minor dubitatio est posse ab herede super illo censum, usque ad impletam conditionem vel diei adventum constitui; ita tamen, ut si conditio ob aliquem eventum non existat, & per consequens restitutio facienda non sit, census constitutus ex temporali fiat perpetuus. Ita Covar. var. cap. 8. num. 5. Guid. Papa dec. 60. Duard. in §. 1. q. 7. num. 46. Cencius qu. 19. num. 1. & 4. qui ita etiam compluries in Rota Romana judicatum refert.

Hujus rei ratio eadem omnino est, ac in superiori casu de fideicommisso in diem, ut mirum omnino sit DD. inter eos potuisse distinguere. Nam quandiu res manet apud heredem, & conditio pendet, heres illius dominus esse dicitur, *I. generaliter*, §. *sub condit. ff. qui & a quib.* *I. si*

I. *Si fur. ff. de usufr. legato, l. i. §. si servi, ff. ad Syllan.* propterea in præjudicium heredis vendentis, & in favorem ementis, rei alienatio valida est, quandiu res est apud heredem mansura, *d.l.peto, §. prædium, ff. de legat. 2.* Ergo pro eo tempore potest censum illi rei imponere, & potest gaudere Jure utendi fruendi re sua toto eo temporis tractu.

Excipe ut alienatio valeat etiam post restitutum fideicommissum.

II. In iis casibus, quibus heres restituere rogatus, potest ex justa causa fideicommissum parte aliqua diminuere, veluti urgente necessitate doandi, aut restituendæ dotis, aut redimendi ab hostibus, quippe potest tunc in ea parte heres etiam censum perpetuum imponere; nam ea fideicommissi pars ex potestate legis non est obnoxia restitutioni, & in ipsa alienatio permittitur: concessa autem semel potestate alienandi, intelligitur concessa potestas censuandi; nam census constitutio non est, nisi Juris alienatio, *Marin. I. resol. 28. num. 9.* Ceterum de casibus, quibus fideicommissi diminutio licita est, plene agunt *Peregr. de fideic. art. 35. num. 3. & seq. Molina I. de primog. cap. 10. num. 4. & lib. 4. cap. 6. num. 1. Cujacius ad Novell. 39.*

III. Census valitus etiam post fideicommissi restitutionem, consti-tui ab herede gravato potest super melioramentis, quæ ipse in fideicommisso suis sumtibus fecit: quia eorum heres dominus est, neque ea veniunt in restitutionem fideicommissi, sed deducuntur, *Marescottus 2. car. 64. num. 4. Cencius q. 19. num. 37. Duardus in §. 1. q. 7 num. 3.*

IV. Si census constituatur super quadrante, quem sibi regulariter heres in restitutione fideicommissi retinere potest ex *Novel. de restitutio-ne, & ea quæ parit,* valitus quoque in perpetuum est, cum habeat in ea liberam alienandi potestatem, *Fusar. de substitut. q. 545. Peregr. de fideicomm. art. 40. num. 51. Fachio. 5. contr. 53. aliquie.*

V. Poterit heres rogatus restituere, & prohibitus alienare, censum etiam perpetuo valitum in re fideicommisso subjecta imponere, quoties tempore census constituti nullus est, cui facienda sit restitutio; quippe tunc fideicommissum expirasse intelligitur, ex *l. cum pater, §. li-berus, in fine, ff. de leg. 2. ibi: At si nemo vendiderit, & novissimus fine liberis vita deceperit, fideicommissi petirio non supererit.* Idem habetur ex *l. qui solidum, §. prædium, ff. cit. tit. ex l. quoties, C. de fideic. Fusar. de substitut. qu. 551.*

VI. Si alienationis prohibitiō heredi, seu legatario facta est sine causa: & dicitur causa carere prohibitiō, quando non invenitur certa persona, cujus r. spectu hoc a testatore dispositum sit, veluti si ita caverit, *Nullo modo prædia mea alienet;* quippe tunc nudum præceptum est, ut loquitur textus in *l. filius fam. §. Divi 2. ff. de leg. 1. & in l. Lucius, in princ. & in l. pater filium, §. Julius Agrippa, ff. de leg. 3.* hoc est conilium potius est, quam præceptum, ut explicat Cujac. in *d. §. Divi.* Itaque tunc & alienatio, & census impositio valida erit, ut ex dictis Juribus patet.

Quæ-

Quæres I. utrum fideicommisarius possit censum super fideicommiso imponere? & dicimus et si fideicommissum purum sit, vel quia nulla dies, aut conditio fuit apposita, vel quia jam dies advenit, aut conditio impleta est, tamen non posse super eo censum a fideicommissario imponi, nisi re, vel verbis, vel ipso Jure facta restitutio sit; quia ante eam restitutionem revera fideicommissarius dominus non est, l.63. & l.70. §.1. ff. ad Trebell. ut propterea, constituendo censum, eum rei alienæ imponeret. Ita contra Cencium, & Duardum docet Leotardus de usur. q.54. aum.45.

Objicies: valet oppigneratio, & obligatio rei futuræ, saltem sub conditione si res nostra fiat, ut patet in generali hypotheca bonorum omnium, & quæ præsentia, & quæ futura sunt. Igitur & super rebus futuris census constitui poterit.

Respondemus negando paritatem: nam longe distant pignoris obligatio, & census impositio. Ratio disparitatis est; quia census, cum sit Jus percipiendi pensionem ex fructibus rei, utique hoc Jus transferri in alium nequit, nisi a domino rei, qui scilicet dominus sit, dum illud transfert. Secus est in pignore, ex quo nihil capit creditor, ut propterea nihil impedit, quominus res aliena creditori obligetur sub ea lege, si debitoris facta fuerit; quippe tunc obligata erit sine novo contractu, ex vi tamen prioris contractus.

Quæres II. an in majoratibus census constitui possit? Et hic non queritur de primo instituente majoratum, qui potest pro libito quacumque ei conditiones apponere; sed queritur de succedente. Et ex dictis facile resolvitur quæstio; poterit enim, si non fuerit alienare prohibitus, in illo censum, quandiu vixerit, imponere. Vide Molin. i. de primogenit. cap.20. Ferdinandum a Castro disput.6. de justitia, punto 23. §.5. Tiraq. de Jure primogen. qu.61. num.10. Cephal. conf 3. vol.1.

Maritus.

Si fundus dotalis datus inæstimato sit, an super eo possit census constitui, non convenienter inter se DD. quidam enim hunc censum, quandiu matrimonium constiterit, valitum docent, scilicet quia rerum inæstimatarum maritus est dominus civilis, licet uxor sit domina naturalis, l.in reb. C. de Jure dotalium: quippe maritus earum administrationem habet, ipse quoque vindicat; præterea omnes fructus, & lucra sibi acquirit; quare poterit Jus istud percipiendi fructus alteri vendere, quoad ipsius dominium per restitutionem resolvatur, ut post Redoanum, & alios tradit Duard. in §.1. quæst. 15. num.20. & 30. Foller. in praxi, de censib. v.bujo/moi, nnum.22.

Alii in contrarium nituntur, docentes censum in re dotali inæstimato

mittato data a marito nec etiam pro tempore constantis matrimonii posse constitui; census enim species alienationis & obligationis est, & maritus fundum dotalis nec obligare, nec alienare potest, ut in tit. ff. de fundo dotali, & in l.un. C. de rei uxori. art. Ita magis communiter DD. cum Azor. 3. par. lib. 10. cap. 7. q. 6. Bonac. disp. 3. de coniug. qu. 4. p. 1. un. num. 10. Felician. lib. 2. cap. 3. num. 13. Marescot. 3. var. 10. num. 17. Leotard. de usur. q. 51. num. 40. Prorsus ut nec possit maritus retrovendere censum dotalis, nisi ad hoc, ut censum alium emat, idem Felician. lib. 4. cap. 16. num. 9. Gratian. forens. cap. 985. num. 4.

Verum Ferdinandus a Castro de Justitia disp. 6. punto 23. §. 7. n. 4. & Gibalin. cap. 6. art. 14. conseft. 9. num. 21. has pugnantes sententias conciliant, ut census a marito in fundo dotali constitutus substineatur, donec mulier non reclamet, & adversus eum ut invalidum agat; quia cum maritus fundum dotalis administret, & illius fructus percipiat, pro Jure suo poterit illud Jus alteri vendere, quo usque uxor de suo præjudicio non queratur. Quid si mulier huic venditioni consenserit, revocare tamen dissoluto matrimonio illam poterit, nisi suum illum consensus Jure jurando confirmaverit, cap. cum contingat, de Jurejur. cap. licet, cit. tit. in 6.

Si vero fundus dotalis æstimato marito sit traditus, ita ut illi emptus censeatur, poterit eum maritus censi supponere, cum eo casu maritus sit fundi verus, & solus dominus, propterea in census constitutione injuriam nullam uxori facit, præsertim cum ipsi licitum sit, fundum ipsum alienare, & obligare pro arbitrio suo, l. æstimatis, l. æst. marito, ff. sol. mair. l. plerumque, §.... ff. de Jure dotium, Alex. cons. 791. lib. 5.

Verum tamen est, hunc censum non semper fore perpetuum, quia soluto matrimonio conceditur mulieri rerum dotalium vindicatio, sive æstimatae fuerint, sive inæstimatae, saltem si maritus non habeat in aliis bonis, unde eam estimationem solvat. Si igitur uxor recuperet has res dotaes, ab omni onere, quod ipsis imposuerit maritus, liberas recuperare debet. Ita singulariter Ferdinandus a Castro d. §. 7. num. 8. & Gibalinus loc. cit. num. 22.

Ex supradictis constat, uxorem constante matrimonio, in rebus dotalibus censem constituere non posse, cum domina tantum naturalis sit, hoc est, sine ulla administratione, d. l. in rebus, que tamen administratio in censu, de quo agimus, necessaria est, Duardus in §. 1. quæft. 15.

Emtor.

DUplex de emtore quæstio est. Prior de eo, qui rem emit cum pacto de retrovendendo. Et hic censum recte constituet, qui tam sit duraturus, donec res emta redimatur a venditore: quippe ad ipsum libera & immunis ab omni onere reali, quod emtor imposuerit, redibit, l.3. §.idem, ff. de in diem addit. l. in diem, ff. de aqua pluvia arcend. Et ratio est, quia pendente redemptione emtor vere dominus est, & Jus vendendi, donandi, aliterque alienandi habet, nisi pactis conventionis id prohibitum fuerit. Vide Cencium q.18. & Duard. in d. §.1. quæst.16.

Posterior est, cum emtor ex pacto dominium rei emitæ non acquirit, nisi integro pretio soluto: quod quidem pactum licitum est, quia non est de natura emtionis, ut actu transferat dominium, sed possessionem vacuam, ut supra diximus, Covar.3. var.11. num.6. Quæritur ergo an emtor eo casu, ante integri pretii solutionem, possit super illa censum constituere? Et negamus, quia emtor ante solutum premium, rei dominium sibi non quæsivit, ut ex vi pacti palam est, & docet Tiraqu. de retractu gentilitio, §.1. gl.2. num.39. Ex quo fit, talem censum ab eo imponi non rei suæ, sed alienæ, & propterea nullum eum esse, Cencius q.26. cui subscriptit Duard. in §.1. q.17. num.2.

Administrator Universitatis, & Ecclesiæ.

Administrator Universitatis non liberæ, sed Principi alicui subiectæ, nequit Principis injussu censum super Universitatis bonis constituere; quia eadem licentia necessaria est ad bonorum ejusdem alienationem, aut obligationem, Azor. 3. par. lib.10. cap.7. quæst.8. Felicianus lib.2. cap.3. num.2. Rodericus de annuis reddit. lib.1. q.14. Excepte cum citra Principis licentiam bona Civitatis obligari possunt, veluti si alias census redimendus sit, si per sententiam Judicis ad solendum sit condemnata, aliave id aut necessitas, aut commoditas exigat, de quibus vide Cencium q.23. & Duard. in d. §.1. quæst.21.

At vero Administrator Ecclesiæ nequibit super bonis ejusdem censum imponere, nisi servatis solemnitatibus, quæ in rerum Ecclesiarum alienatione servandæ sunt, cum census alienationis species sit, Redoan. de reb. Eccles. non alien. q.17. num.30. & seq. Marescott.3. var.10. n.38. Ugolin. de usur. cap.44. Leotard, de usur. q.51. num.36.

De

De pretio Census.

C A P . V.

Pretium, quo res quæque emitur, esse debere Justum ipsa ratio naturalis dictat. Et dicitur pretium Justum, quando valor pretii ex æquo respondet valori rei venditæ, prorsus ut ex inæqualitate inter hos valores oriatur injustitia, ex quacumque parte horum extremorum sit defectus, Gordonius lib.4. q.5. cap.4. in princ.

Hoc pretium duplex est, unum legale, seu legitimum, alterum naturale. Legale est, quod a Principe, vel Magistratu prudenter possum est, velut a lege statutum: & a nobis dicitur *Affisa*. Naturale pretium est, quod communis hominum æstimatio, aut recepta probataque regionis consuetudo, aut denique iis deficientibus, prudentium arbitrium nobis explicat. Id dicitur esse pretium vulgare.

Conveniunt hæc pretia, quia utrumque naturalem requirit prudentiam: quippe constituantur hæc pretia consideratis prudenter occurrentibus causis, ob quas debent res venales tanti æstimari. Hinc nunquam pretium ex affectu minus ordinato, aut singulorum utilitate, aut vendentis sensu statuendum est, *I.pretia, ff.ad I.Falcid.* Si autem quæres, si duo hæc pretia concurrant, cui plus deferendum sit, respondeatur, pretio potius legitimo, quam vulgari; quandoquidem illud publica auctoritate interponitur, considerato bono Reipublicæ, & sepe ad tollendam oppressionis occasionem, vitandaque monopolia, Gordonius loc.cit.

Differunt vero, quia pretium legitimum consistit in indivibili, & in puncto, quod a lege fixum est, ita nempe ut quanto pluris venditur merces, quam sit taxatum, fiat injustitia, & oriatur obligatio ad restituendum, *Salas de emtion. dub.4. num.5. Scaccia de commerc. §.1. q.7. ampliat. 10. n.56. & 65.* qui omnes concordant, ne in minimo quidem posse pretium ejusmodi violari. Videndum tamen, an Princeps statuat solum terminum excessus ex una tantum parte, e.g. ne pluris vendatur, nihil deficiens de minori pretio. Quippe hæc taxatio aliquando tota est, scilicet in gratiam emtorum: aliquando etiam, ne minoris vendatur.

Secus est in naturali, seu vulgari pretio, quod latitudinem habet, quo sit, ut in eo detur pretium infimum, medium, & rigorosum: imo & quodlibet etiam horum trium suam habet latitudinem; cum enim hoc pretium plurium estimatione statuatur, quorum non est in uno puncto consentiens voluntas: quod secus est in pretio legi in o. quod ab uno est. Potest proinde vendor spatiari in hac latitudine, & carius vendere externo, quam amico, & in credita pecunia, quam representato pretio.

His positis , sunt qui putant Jure communi inspecto pretium iustum in censu non esse legitimum , sed ab hominum existimatione pendere , Gail.2. obs.7. itaut sunt quinque , vel sex pro quolibet centenario , Parit.1. conf.60. num.19. Alii tamen , si census perpetuus sit , non posse excedere docent , unum pro viginti , hoc est , quinque in singula centena , Menoch.4. conf.243. num.24. Sed cum nulla in hac re certa regula statui possit , mores patriæ probatos servari debere ait Covar.3. var.19. nam.5. Gratian. forens. cap.141. num.25.

Quidquid tamen sit de Jure communi , in Regno nostro pretium legitimum est , cum non possit excedere 10. in singula centena , pragm. 1. de censibus . At census emti a Regia Curia , vel ab Universitatibus Regni , redacti sunt ad septem pro quovis centenario , prag.5. eod.tit. Quæ pretii determinatio Principi licita est , qui inspecto prudenter loco , & tempore , rerum omnium pretia pro bono Reipublicæ statuere potest ; et si enim Mollesius par.2. summa tract. 12. cap.6. num.76. dicat pretium id posse a solo S. Pontifice speciali Jure decerni ; tamen num.85. fatetur Principes posse taxationem a Pontifice factam diminuere , ex eo , quod pretium alicubi , aut aliquando iustum & possit alio tempore , aut loca iniquum censerri .

Ex his apparet , in Regno nostro pretium esse definitum in excessu non etiam in defectu ; quare si quis censum emat minori pretio , quam lege statutum est , non propterea contra legem faciet .

Sed si census constituatur ultra pretium legitimum a nostris pragmaticis statutum , e.g. quindecim pro quovis centenario , questio est , an contractus in totum ruat , an solum vitietur in excessu ? Et quidem contractum censualem esse ipso Jure nullum ; voluit Pratus to.2. forens. cap.38. num.19. .

Verius tamen est , esse nullum in quantum ad excessum . Quod ex similius illatione probatur , in quibus ex Jure communi contractus iusti valent , sed id , quod illicite adjectum est , pro non adjecto habetur , & quod remanet licitum peti potest . Ita dum immodicas usuras aliquis stipulatus est , tamen legitimas ex vi illius stipulationis exigere potest , l.placuit , l.pecunia fænebris . ff.de usur. l.eos , §.si quis autem , C.cit.tit. l.si pro mutua , C.si certum petatur . Ita donatio excedens 500. aureos , si insinuata non fuerit , non vitiatur , nisi in eo , quod dictam summam excedit , l.sancimus , C.de donat. Et licet pater ad secundas nuptias transiens non possit uxori legare plus , quam uni ex liberis prioris matrimonii , l.hac edittali , C.de secundis nuptiis ; si tamen amplius quid legaverit , valebit legatum in quantum ad eam partem , quæ legari poterat . Vide Duard. qu.26. num.18. cum seq. Et omnium ratio est , quia in rebus dividuis utile per inutile non vitiatur , l.i. §.st d si mibi , ff.de verb. oblig. Ergo a pari in censu , quoties exceditur summa a nostris legibus statuta , in excessu solum vitiaretur contractus ; itaut excessus

exa-

exacti extinguant paulatim sortem , Lessius 2. de Justitia 22. dub. 15. Salas dub. 23. num. 4. Vivius decis. 137. Olasc. dec. 113. num. 11. Petra ad Ritum 237. num. 13.

Quod si census vendatur minoris , quam sit justi pretii dimidia pars , contractus etiam ipso Jure valet , sed vendor graviter læsus Jus habet , aut rescindendi contractum , aut petendi id , quod justo pretio deesset ; ut in reliquorum rerum venditionibus accidit , DD. in l.2. C.de rescind.vendit. Leotard. de usur. q.59. num. 17.

Quæ vero pecunia in emtione census sit necessaria , diximus supra cap. 2. q. 4.

De pactis censui appositis.

C A P . V L

PAETIA adjecta contractui censuali , quæ non pugnant cum ejus substantia , nec destruunt solemnitatem substantialem a lege præscriptam , valida sunt , maxime si tendant , ut censualista sit tutus de exactione , Marinis 10.3. alleg. 84. Sed de nonnullis magis in specie videntur est :

De pacto anticipatæ solutionis.

Terminus in solutio[n]e censu[s] apponi solitus est , ut vel in fine anni tota pensio præstetur , vel dimidia ejus quolibet semestri , vel tertia pars quolibet quadrimestri . Quæ quidem omnia licita sunt ; nam vendor census ut plurimum commoda est ea pretium divisio , nec tamen omnino incommoda emtori , l. plane , ff. fam. erosisc. l. cum bi , §. cast. ff. de translatiōnib. Quæstio tamen est de anticipata solutione , ut si quis census vendor , se obliget solvere annuam pensionem ipso initio anni , aut statim ac census fuerit creatus ?

Et dicimus , pactum anticipatæ solutionis illicitum esse , & contra justitiam , quia ex eo pacto debitor solvit , quod non debet , cum solvat antequam debeat , & plus solvit , cum ante tempus solvit , quippe plus tempore petit , qui ante statutum tempus petit . Quare recte id a Pio V. prohibitum fuit , ad evitandam omnem usurariam fraudem : quidquid dicat Ludovicus de Avendanno , qui tractatur de censib. Hispan. cap. 43. num. 9. negat id in Bulla Pii haberi , quem impugnat Duardi §. 3. q. 1. qui tamen qu. 4. post alios notat pactum istud non reddere contractum nullum , sed illicitum dumtaxat , ita ut eo pacto rejecto , substitueretur contractus ; quædoquidem hoc vitium non est circa substantiam con-

contractus ; sed solum circa aliquod accidens .

Excipias tamen , quando onus anticipatae solutionis alio commodo compensetur , veluti si census premium augeatur . Ita Melina *disp. 390. n. 5.* Ugolinus *de usur. cap. 45. §. 17. num. 5.* Navar. *de censib. conf. 9. num. 9.* & alii communiter ; propterea quod tunc nulla committitur injustitia , quia tota illa obligatio anticipatae solutionis compensatur ad aequalitatem . Quare in locatione hujusmodi pactum licitum est , cum ita onus commodo , seu pensionis diminutione compensatur , *l. 19. ff. locati.* Et Romæ observatur in societatibus officiorum , ut pluribus ostendit Duard . *de societ. lib. 2. cap. 6. §. 7. qa. 1. num. 5.* Ergo etiam in contractu censuali pactum istud justum erit .

Dices : cum ex pacto solvuntur anticipatae pensiones , percipiuntur ab emtore census fructus prædii , antequam nascantur : quippe pensio ex fructibus solvitur . Quod absurdum in contractu locationis locum non habet , ubi nulli considerantur fructus : propterea licet id pactum in locatione licitum sit , erit tamen in censu illicitum .

Sed quamvis verum sit , pensionem nummariam substitui loco fructuum , falsum tamen est , eam exigi non posse nondum natis fructibus . Nam inde sequeretur , neque in pactum deduci posse , ut pensio singulis quadrimestribus solvatur : quippe facile accidit , ut labente , e. g. primo quadrimestre , nulli dum ex prædio fructus nati sint : & tamen licite a censualista pensionis portio exigitur , ut recte notat Leotardus *q. 63. num. 4.* Sequeretur etiam , ut tempestate , ailio casu pereuntibus fructibus , nulla pensio exigi posset ; cum e contrario ex Bullis Pontificiis constet , casus fortuitos fructuum ad dominum prædii , non ad emtorem census pertinere . Et omnium ratio est , quia ideo pensio nummaria loco fructuum substituta est , ut certa sit , & fructuum inconveniens proventui non subjaceat , ut supra dictum est .

Hinc petes , quid statuendum sit , si census sit fructarius ? Et hunc quidem censem , nisi collectis fructibus , præstari non posse docent Cencius *q. 3. num. 10.* & *q. 83. num. 1.* Menoch. *4. presumt. 103. num. 19.*

Id tamen Duard . *§. 3. q. 5. num. 13.* verum esse ait , quoties convenientur inter contrahentes , ut pensio census fructuarii præstari debeat ex fructibus prædii ipsius , quod censi suppositum est ; quippe tunc non nisi perceptis fructibus , exigi ea pensio fructaria poterit ; nam in ea conventione includitur tacita conditio , si fructus nascantur , *l. 26. in princ. ff. quando dies leg. cedat. l. 73. ff. de verb. oblig.* Secus vero , si census hic simpliciter conventum sit , ut ex fructibus solvatur ; nam census fructarius etiam nullis natis fructibus solvi debet . V. de Lessium *2. de just. cap. 22. num. 88.* & nos infra dicemus ; quod etiam patet ex eo , quia census fructarius imponi potest super re , que non ferat idem genus fructuum , & satis est rem censitam frugiferam esse , quocumque demum genere fructuum , Gibal . *cap. 6. art. 20. confess. 1. n. 3.* Quare com-

communis opinio est , in fine anni solvendum esse censum fructuarium sive totum simul , sive per partes tempotibus diversis , prout inter contrahentes convenerit ; modo non sit obligatio solvendi anticipate . Duard. lac. cit. num. 14. de Lugo disp. 27. num. 93.

De pacto retinendæ rei hypothecatæ.

Sicut aliquando pacisci , ut emtori census liceat rem hypothecæ substitutam possidere , usque dum ei restituatur a venditore fors una cum eo , quod interest . Quod paetum licitum etiam docet Carlevalius cap. 2. de judiciis , disput. 8. secr. 5. num. 51. Petra ad ritum 20. num. 13. Capyc. Latro dec. 169. num. 16. Moventur ex eo , quia emtor ex re hypothecata , quam possidet , fructus percipiendo , eos sibi retinet nomine censum , seu pensionum , quæ ipsi erant a venditore solvendæ , eoque modo sit compensatio , & æqualitas servatur . Quamvis autem fructus rei hypothecatæ aliquando majores esse possint , quam sit census ea anno persolvendus , tamen fieri potest , ut alio anno minor sit copia fructuum , quam census exigat : & ita sterilitas unius anni compensatur cum ubertate alterius , l. oleo , C. de usur.

Quoties tamen certum est , prædium ita esse latifundium , ut ubertas fructuum valorem annui census excedat , contractus esset usura- riūs , & rescindendus non quidem in totum , sed in quantum ad excessum , Ursill. ad Affl. dec. 20. num. 10. Capyc. dec. 49.

Recte nihilominus alii advertunt , vi talis pacti contractum non tam esse , aut censi debere censualem , quam antichresim : quæ est . cum debitor utitur pecunia , & vice ejus , quod interest , creditor utitur re sibi hypothecata , vulgo , a godere , Balduinus de pignor. cap. 16. Mynsing. 6. obser. 7.

De pacto casuum fortuitorum.

Hæc quæstio non est de eo , qui ex natura contractus ad casus fortuitos obligatur vel non obligatur . Quare notandum , casus fortuitos vel posse cadere in fructibus , vel in re , quæ censi supposita est . In fructibus regula est , in contractu quidem censuali , ut casus fortuiti accidunt venditori ; propterea non valeat pactum ; ut emtor eus præstet , nempe ut si fructus rei censitæ pereant vi tempestatum , siccitatis , alluvionis , incursum hostilis , & similium , id cedat damno emtoris : sicuti e contrario licitum est pactum , ut eos casus venditor præstet ; cum enim ipse sit dominus , regula est , ut casus fortuiti domino accidunt , l. 6. C. de pignor. l. quæ fortuitis , C. de pi- gnor.

gnor. *aff.* late Leotard. q.64. Hinc Pius V. prohibet conventiones quæ cunque resiciunt casus fortuitos in eum, qui ex natura contractus ad illos non obligatur.

In re censita nullum etiam, & illicitum est pactum, ut re perempta vel infruituosa reddita, nihilominus pensio præstetur. Patet ex eadem Bulla; & ratio est, quia materia census debet esse frugifera, & multo magis existens, Gaill.2. obs.7. Fachin.2. contr.44. *in fine*, Navar. de usur. n.90. Tolet. in *summa lib.5. cap.46*. Quæstio tamen est, an pactum istud tollat ipsum contractum censualem, an potius contractui tali rejecto pacto subsistet? & posterius hoc pronunciarunt Theologi Romani in disceptatione habita anno 1581. uti refert Valentia 2.2. *disput.5. q.22. punclo 6. §.4. sequitur*, post alios Leotard. q.64. num.5.

Non displicet tamen sententia Duardi in §.5. qu.1. num.24. & seq. qui contractum ipsum ex eo pacto perimi docet; propterea quod pactum istud pugnat contra naturam, & substantiam census, qui definitur, ut sit Jus percipiendi annum, vel menstruum ex persona, vel re utili alterius; ergo census stare non potest, perempta re, vel utilitate rei.

Dices I. Hæc conditio advenit contractui censuali jam constituto: quippe prius venditur & constituitur census, & deinde conditio, seu pactum adjicitur: quæ non irritat contractum ipsum, quamvis conditio sit illicita, aut etiam impossibilis. Ita Gibalbinus *cap.6. art.20. cons.3. num.12. in fine*.

Sed quamvis antecedens propositio vera sit, illatio tamen negatur: quia in conditionibus impossibilibus cum contractibus adjiciuntur, regula est, ut non modo vitientur ipsæ, sed vitient contractum jam constitutum, §. si impossibilis, de inutilib. stipulat. l. non solum, ff. de act. & ob. eti favore ultimæ voluntatis secus sit i.a testamentis, §. impossibilis, de hered. inst. Certum est autem, conditionem, quæ contractus naturæ, seu substantiæ repugnat, esse impossibilem, non modo Jure, sed natura: ergo & ipsa vitiatur, & vitiat etiam contractum.

Dices II. Similia pacta in aliis contractibus licita sunt, scilicet ut quis de casu fortuito teneatur, Gomez 2. var.3.n.19. propterea quod pacta contrahentium legem dant contractui, l. contractus, ff. de reg. Juris, l. i. §. si convenit, ff. depos. Ergo ex eadem ratione id ipsum esse debet in censu.

Hoc tamen argumentum si vim haberet, plus probaret, quam adversarii volunt; probaret enim, pactum de casu fortuito in censu esse licitum, quod est contra Pii constitutionem, ubi hæc verba leguntur: *Ejusmodi conventiones directe, aut indirecte obligantes ad casus fortuitos eum, quæ alias ex natura contractus non tenetur, nullo modo valere vult.* Et ratio disparitatis est, quia in aliis contractibus, e.g. in deposito, cum depositarius se obligat ad casus fortuitos, nihil contra contractus

tractus naturam paciscitur , ut per se patet : at secus est in contractu censuali , qui de natura sua exigit , ut res existat , & præterea fructus ferat , ut census dici possit ex re percipi . Propterea licet in ceteris id pactum licitum sit, in censu tamen est illicitum , imo impossibile natura , redditque totum contractum nullum , ut diximus .

Præterea notandum est , quod vulgo ajunt , eum , qui de casia fortuito non tenetur , posse ex pacto ad id obligari , non omnino certum esse . Certe nullo Jure probatur : imo textus in *l.contractus* , ff. *de reg.Juris* , contrarium suadere videtur ; nam cum ibi Ulp. dixisset , posse aliquando contrahentem , qui ex lege de levissima culpa , & de levi non tenetur , a l utramque obligari , si id nominatim convenerit ; deinde sine ulla distinctione subdit , casus fortuitos a nullo præstari . Favet etiam ratio , quia iniquum videtur ; ut quis non ex culpa , hoc est , ex casu fortuito , remaneat obligatus .

De pactis punientibus moram .

Irrita esse , & nulla declarat Pius V. ea pacta , quibus debitor census ob moram se obligat ad interesse lucri cessantis . Ex qua constitutione duplex oritur difficultas .

Prior est , quia omnis debitor , qui ex mora culpabili officit creditori , tenetur ex naturali æquitate ad totum illud damnum , & nocumentum resarcendum , late Gibalinus lib.2. de usar. cap.5. & 6. Cur ergo vetuit S. Pontifex censuarium obligari pacto convento ad id , ad quod naturali æquitate tenetur ; præsertim , cum id fiat , non sine iniuria creditoris , quem Jure suo privat , & nocumento afficit ?

Varie hanc difficultatem tollere conati sunt Jurisconsulti , ut vide. re est apud Salas *dub. 11.* Molin. *disp. 390.* Leotard. *disp. 66.* Placet nobis , quod ait de Lugo *disp. 27. num. 100.* noluisse S.P. id quod interest ob lucrum cessans , in pactum deduci , ob evitandas fraudes ; at non propterera voluisse , ne id damnum resarciretur a debitore , quamvis in pactum deductum non sit . Quocirca recolendum est , moram non semper obligare debitorem , sed tunc cum culpabilis est ; potest enim accidere , ut quis in mora sit sine sua culpa , veluti si volens solvere , difficultate , aut inopia impediatur , DD. in *l.continus* , §. *illud* , ff. *de verb. obligat.* Vide Forcatulum *de mora* , par. 3. in *princ.* Itaque quoties mora in pactum deduceretur , utique videretur debitor obligatus ad omnem moram præstandam , etiam eam ; quæ culpa vacat ; nam quæ mora culpabilis est , obligat ipso Jure , citra pacti vinculum ; & ob hanc causam vetuit S.P. ne interesse lucris cessantis ob moram in pactum deduceretur : non tamen hinc prohibuit , creditorem posse petere ut sibi compensentur

P pp

dam-

damna , quibus eum sua mora culpabili debitor affecit, ad quæ compen-
sanda ex naturali obligatione tenetur .

Posterior difficultas est , cur S. Pontifex prohibuit pactum lucri
cessantis solum , ex quo admittit paetum , ut debitor teneatur resarcire
damnum emergens , cum in utroque casu verum interesse sit ?

Et dicimus , rationem esse , quia interesse lucri cessantis occultius
est , & magis fraudibus obnoxium , propterea in paetum deduci non
potest , Gibalin. art. 21. conse7. 9. num. 40.

Præterea punitur mora pacto rescindendi contractum , itaut peti-
sors possit simul cum eo , quod interest : quod paetum , quia tendit ad
observantiam contractus , & ad faciliorem illius exequutionem , ideo
licitum est , Lessius 2. de justitia 22. dub. 11. Mastrill. dec. 95. n. 3. Affl.
dec. 80. Marin. 2. resol. 163. num. 2. qui addit , tale paetum semper subin-
telligi , tanquam de stylo apponi solitum , licet omissum , contra Man-
ticam 8. de tacitis , tit. 23. n. 24.

De pactis circa onera .

ONERUM duplex genus est ; quædam publica , ut sunt tributa , ga-
beæ , decimæ , aliaque hujusmodi : quædam sunt privata . Itaque
Pius V. sic statuit : *Annullamus paæta continentia solutiones onerum ad
eum spectare , ad quem alias de Jure , & ex natura contractus non spe-
ctarent . Quibus verbis onera omnia sive privata , sive publica conti-
nentur ; nam & onerum vox utrisque convenit , utpote qua denotantur
ea omnia , quibus conditio alterius contrahentis deterior fit , l.un. §.9.
C.de caduc.toll. l.32. ff. locati : & præterea mens S. Pontificis est , ut frau-
des usurarias amoveat , quæ non minus locum habere possunt in oneri-
bus realibus , quam in personalibus , ut si obligaretur censuarius ad su-
scipiendum hospitio dominum census , aut ejus familiam . Ita Navar. de
usur. num. 94. Ugolinus de usur. cap. 45. §. 13. num. 1. & 3. Bonac. disp. 3.
de contract. q. 4. punt. unic. num. 35. de communi Leotard. qu. 64. n. 25.
contra Duardum in §. 4. q. 39. num. 6. qui putavit constitutionem Pii de
oneribus tantum realibus intelligi .*

Seclusa tamen lege Pontificia , recte his oneribus gravaretur alter
contrahentium in contractu censuali , quoties aliquo alio commodo
compensaretur : & in nostro Regno Bulla Pii recepta non est , ideo vi-
deamus quid statuendum sit .

Primo itaque onera realia imposita rei censitæ , aut ejus fructibus ,
alia incumbunt emtori annui census , qui propterea tenetur collectas ,
& bonakenientiam , ut dicitur , solvere , & paetum in contrarium re-
putatur injustum , Giziad Capyc. dec. 216. Sanfelic. dec. 121. num. 7.
& fa.

& sane ex decreto Reg. Cameræ emtores annui redditus honatenentiam solvunt , nisi Neapolitani sint , qui ex privilegio excipiuntur , Capyc. Latro dec. 116. num. 51. Rovitus ad pragm. 4. num. 2. de immunit. Nap.

At vero ex his oneribus alia incunibunt venditori , ut solutio ad hoc , & relevii super feudo , Provenzal ad consuet. Nap. cap. 16. n. 14. Hodier. 1. forens. 47. num. 4. Capanus de relevio , q. 6.

II. Onera personalia emtoris etiam sunt : quare ipse tenetur sportulas proxeneti & tabelloni , qui censuale instrumentum conficit , telle re : nec pactum in contrarium valet , Rovitus ad pragm. 1. num. 5. de censib.

De actionibus Censualistæ , & exceptionibus Censuarii .

C A P . VII.

DE his nonnulla supra in transcursu vidimus cap. 4. in princ. agentes de actionibus , quæ censualistæ competunt , si super fundo non libero , seu , ut leges nostræ loquuntur , non optimo maximo Jure census venditus sit ; nunc alia quedam notanda sunt .

I. Itaque , quamvis in mutuo certum sit usuras usuratum non deberi , seu , ut loquuntur , id quod interest interesse aliud parere non posse : secus tamen in censu est , ubi ex tertiis non solutis , potest interesse peti . Disparitas inter utrumque casum est , quia in mutuo sors , quæ demortua non est , pro re principali habetur : hujus accessorium est usura , seu interesse ; nec debet accessorium accessorii datur , sicuti nec datur accidentis accidentis . Non ita est in censu , ubi , cum sors demortua sit , ipsum interesse per se , & principaliter deberti dicitur , non ut accessorium ad sortem ; nihil ergo mirum , si aliud ex se interesse parere possit , ut recte notat Anna conf. 48. n. 17. Franch. d.c. 254. Medices conf. 155. Marin. 1. resol. 199. num. 1. aliquie .

Verum ut in censu ex interesse aliud interesse producatur , do'us debitoris non solventis exigitur ; nec enim satis est mora , quæ debiti solutione purgari possit , hoc est , solvendo censem statim ac petitus sit , idem de Marin. 1. resol. 133. num. 6. Pratus qq. forens. cap. 1. num. 70. Thesaur. dec. 32.

Istud tertiarum interesse Judicis arbitrio definitum est , ex l. fra. Elus , §. venditor , C. de actionib. emti , Franc. Marc. 2. disp. 59. num. 3. qui & illud addit , non posse a contrahentibus hoc interesse in contractu disfici , cum ipsis nequeant Juri præjudicare , & ex Jure hac definitio Judicis arbitrio remissa sit , d. l. fructus , §. venditor .

II. Conceditur domino census actio hypothecaria etiam contra extraneum , seu tertium rei censitam possestorem, excusso tamen prius principali debitore , hoc est , eo , qui censem vendidit , ex regula textus in auth. hoc si debitor , *C. de pignorib.* Gama decis. 145. Hæc intelligas de Jure communi: quippe secus est in Regno nostro, in quo ex pragm. r. ubi Rovitus num. 10. de censib. competit domino census via exequutiva, realis , & personalis , etiam contra tertium rei possestorem , etiam principali debitore non excusso , Petrus de Greg. de censib. q.6. num.9. Rationem esse dicunt , quia Jus exigendi annum censem est in rem scriptum , ex quo per consequens oritur personalis actio in rem scripta , Gratian. cap. 955. num. 38.

At si veras Juris civilis regulas attendamus , allata ratio nullo modo substineri potest . Quod ut recte percipi possit, rem a capite exordior.

Actiones in rem scriptæ sunt , quæ nascuntur ex maleficio , vel quasi , & tamen redduntur non solum contra delinquentem , sed prosequuntur rem , quounque ipsa transeat . Hæc novam actionum speciem , præter reales , & personales non constituunt , cum Justinianus omnes actiones dixerit , aut esse reales , aut personales , aut ex utroque genere mixtas ; prorsus ut , in rem scriptæ actiones personalibus accensendæ videantur , non solum quia ex maleficio , vel quasi oriuntur , sed etiam quia Justinianus in tit. de actionib. actionem quod metus causa , quæ in rem scripta est , connumerat inter personales , ut recte notat Coras. I. miscell. 22.

Dicuntur autem in rem scriptæ , non quia ad instar realium , rem ipsam comitentur , ut vulgo creditum est ; sed quia verba , quibus Prætor eas actiones concedebat , non dirigebantur in personam , sed in rem . Proinde actio , quod metus causa , in rem scripta est ; quod Prætor verba in rem concepit , videlicet , *Quod metus causa gestum erit , ratum non babebo , l. i. ff. quod metus causa , & evidentissime colligitur ex Ulpiano in l. metum , §. cum autem , ff. cod.* Ita quoque omnia interdicta in rem concepta sunt , præter unde vi , l. i. §. fin. ff. de interdictis ; propter ea quod unicum istud interdictum verba non in rem , sed in personam referebat ; cum dixerit Prætor in l. i. ff. de vi , & vi armata , Unde vi tu eum dejecisti , aut familia tua dejecit , &c. Et certe hæc ipsa verba , scilicet *Actio in rem scripta* , aliud finere non possunt , nisi ita in rem esse concepta , ut personam non tangant.

Quoniam ergo hujusmodi actiones in rem erant directæ , hinc factum est , ut reddantur contra quemcunque rei possestorem .

Ceterum summe ex eodem Corasio notandum est , hoc procedere in iis solum actionibus , quæ descendunt ex maleficio , vel quasi ; quandoquidem istæ rem ipsam respiciunt , & proinde ipsæ solum rem ipsam , quo cumque transeat , comitantur . At vero secus est in iis actionibus , quæ ori-

originem habent ex contractu , vel quasi , & ex quibus non tam coercetur delictum , seu factum illicitum , quam persona ipsa contrahens . Quod adeo verum est , ut actio depositi , quia orta ex contractu , nunquam rem ipsam persequatur , quamvis actionis depositi verba in rem concepta sint , l.i. §.1. ff. depositi ..

Illud vehementer obstare videtur , quod interdicta . Ut possidetis . Ne vis fiat ei , & alia multa , in personam diriguntur , & tamen Ulp. in l.i. §.fin. ff. de interd. ait , ea omnia in rem concepta videri , his verbis : In interdictu omnia licet in rem videantur concepta , vi tamen ipsa personalia sunt .

Sed respondetur ex ipsis Ulp. verbis facile colligi posse , pleraque interdicta in rem scripta non esse , cum usus sit verbo , Videri , quod plerumque impro prietatem denotat , l.i. §.de jecisse , ff. de vi , & vi armata .

Colligitur hinc I. actionem de dolo , non secus ac Quod metus esse , in rem actionem scriptam esse ; quandoquidem verba edicti rem ipsam respiciunt , videlicet , Quæ dolo malo facta esse dicentur , si de his rebus , &c. l.i. §.verba , ff. de dolo .

II. Actionem ad exhibendum in rem scriptam non esse , cum ejus verba in rem scripta non legamus ; sed eam mere personalem esse , ut patet ex Ulp. in l.3. §. est autem personalis , ff. ad exhib .

Ex his omnibus facile intelligi potest , longe falli DD. cum actionem , quæ censualistæ pro censu non soluto tribuitur , volunt esse personalem in rem scriptam ; quippe nulla unquam lex actionem istam in verba concepit : deinde etiamsi conciperet , non propterea in rem scripta actio oriri posset , quia hæc non in contractibus , uti est censu , sed in delictis locum habet , ut jam explicatum est . Ut propterea jus , quod domino census viam executivam realem , & personalem concepit , etiam contra tertium rei possessorem , etiam principali debitore non excusso , omnino exorbitans dicendum sit , ex privilegio inductum , contra regulas juris . Præterea actio in rem scripta , quando datur contra tertium possessorem , datur directe supra rem ipsam , nec ipsam personam molestat : at secus est in censu , ex quo contra tertium possessorem potest via exequutiva procedi . Unde omnino dicendum est , hoc esse speciale jus exorbitans a regulis juris .

III. Quoties debitor census vendit rem censitam , sive voluntate , sive necessitate , dominus census , seu censualista præfertur in emtione omnibus aliis , dummodo venditori pretium offerat in pecunja numerata , Sraph. dec. 474. n.4. Gratian. discept. forens. cap. 955. n.36. Unum tamen excipe casum , ut scilicet non præferatur ei , qui ratione viciniæ jus protimeseos , seu congrui habet , Marin. 1. resol. 232. num. 6.

Nunc de exceptionibus , quæ possunt opponi contra potentem censum vigore instrumenti . Quamvis enim ex pragm. 1. de censibus , ha- beatur ,

beantur, nullam posse opponi hoc casu exceptionem, id tamen a DD. intelligitur de exceptione, quae frivola sit, non etiam de gravi, & liquida, ut in Ritu M. C. 166. ubi Carav. num. 46. Marin. I. resol. 19 I. n. 14. Probant id ex I. si is, a quo, ff. ut in possessionem legatorum, ubi Judex eam exceptionem rejicere jubetur, quae per calumniam opponitur, non etiam eam, quae magni momenti est.

Itaque prater exceptionem realis solutionis, potest I. liquida compensatio opponi, ut si petenti censum ex instrumento censuali opponatur, a reo convento totidem centum pure deberi, Franch. dec. 521. Affl. decis. 12 I. & quanvis Ursill. ad decis. 38 I. num. 4. dicat, se nunquam instrumenti censualis exequutionem potuisse impedire per oppositionem compensationis, id tamen videtur intelligendum, quoties per debitorem exceptioni compensationis renunciatum sit ex eodem Affl. d. dec. 38 I.

II. Potest exceptio doli, & quod metus causa opponi, Anch. in cap. canonum statuto, q. 4. de constitutionibus.

III. Si qui pro censu convenitur, sit tertius rei censitæ possessor, potest contra creditorem agentem opponere exceptionem cedendarum actionum, ut scilicet sibi creditor cedat actionem, quam habet contra principalem debitorem, ut ipse conventus deinde possit census, quos solvit, recuperare ab eo, a quo rem accepit, Milanens. lib. 2. decis. L. n. 3.

IV. Si actor, creditor census ingressus fuerit viam ordinariam, potest contra eum opponi, ne variet, & exequutive via Ritus agat, ex regula, quod via ordinaria facit, ut cesset via exequutiva, Alex. in I. 4. §. condemnatum, ff. de re judicata.

V. Si debitor annui census fuerit in mora solvendi, ex qua contratus resolvatur, potest perempta solutione moram purgare, maxime ex aequitate juris Canonici, Salyc. in I. magnam, C. de contrab. slip. Quod intelligas, nisi ei purgationi fuerit jurejurando renunciatum, Marin. I. resol. 27 I. num. 6. Ceterum, si jam fuerit resolutus contractus, nulla moræ purgatio admittitur, Grat. discept. forens. cap. 788. num. 3 I. de Ponte conf. 67. num. 5.

VI. Quoties res pro censu hypothecata ad plures perveniat heredes, tunc jure communi inspesto, quilibet heres potest opponere, ne in solidum conveniatur, sed quilibet pro parte sua, seu pro rata; nam promissore pecunia certæ obeunte, ea a singulis heredibus divisim, pro hereditaria portione peti debet, scilicet quia pecunia res dividua est, I. in executione in princ. ff. de verb. oblig. Non ita tamen est in regno nostro, ubi vigore pragmaticæ quilibet heres in solidum conveniri potest, Marin. I. resol. 13. num. 4. Foller. in praxi, v. hujusmodi.

VII. Legatarius rei censitæ, si sit testatori sanguine, vel affinitate conjunctus, potest contra censualistam agentem opponere, ut le ditigat

gat contra heredem ; quippe ex affectu , qui ex ea coniunctione oritur , censetur testator rem ei liberam ab onere reliquisse , ut docent Grat. *disceptat.* 611. Menoch. *de arbitr. casu* 146. n. 1. Tiraq. *de priv. pia causa* 66. Surd. *dec.* 298. *num.* 10. Secus est de legatario extraneo , qui ad onera rei legatae ipse tenetur , cum judicetur ei testator non reliquisse , nisi quod in relegata ipse habuit , *I. servi* , §. fin. ff. *de leg.* 1. Surd. *ident dec.* 11. *n.* 10.

Excipe tamen , cum res legata exhaudatur a censu ; quippe tunc ne inutile reddatur legatum , heres obligatur vel rei estimationem legatario solvere , vel rem liberare , Marinis 1. *resol.* 12. *num.* 2. Vivius 2. *comm. opin. concil.* 448..

Illud notandum , non posse legatarium conveniri pro tertias antecep- denter decursis ad mortem usque testatoris : quod quidem onus heredis est , quippe legatarius obligatur solum ad eas tertias solvendas , quæ post testatoris mortem maturescunt , Franch. *dec.* 13. Marin. 1. *resol.* 10. n. 5.

VIII. Contra creditorem judicium assistentiae moventem , potest reus conventus excipere , ne agat via executiva personali , sed tantum reali ; assistentia enim , utpote judicium possessorum , rem ipsam afficit , ut decisum testatur Rovit. ad *pragm.* 1. *num.* 20. *de censibus* .

De extinctione Census.

C A P . VIII.

HAETenus de origine , & progressu visum est ; nunc , quia nihil sub sole perpetuum , necesse est , ut dicamus de modis , quibus census solvitur , seu extinguitur.

I. Itaque extinguitur census , perempta re in qua ipse est constitutus , tum ex constitutione Pii V. tum ex natura hujus contractus ; quippe census realis , de quo nunc loquimur , onus quoddam reale est , cohærens & affixum rei , ut propterea fortunam fundi sequatur : quod in aliis oneribus realibus , ut tributis , servitutibus , & canone emphyteutico videmus , Clem. 1. *de censibus* , Gutierrez 2. *præf. quæst.* 187. *num.* 7. Sarmiento 7. *select.* 1. n. 31. Gratian. *cap.* 654. *num.* 8. contra Felician. *lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 19. & Covar. 3. *var.* 7. *num.* 5. qui existimant censualis contra- Etus obligationem esse proprie personalem , & rem supponi illi obligationi tamquam per modum pignoris , & hypothecæ , qua etiam destructa , remanet tota debitoris obligatio : cui obligationi facile occurritur , si meminerimus hypothecam census esse irregularem , quæ extincta ipsam etiam obligationem perimit .

Gibalinus tamen *art.* 23. *num.* 1. pro componendis dissidiis ait , DD. qui contendunt , perempta re censita , censem manere , esse intelligendos non

non quidem de censu reali , sed personali & mixto ; tunc enim obligatio praestandi pensionem adhaeret persona , non rei , quæ solum illi per modum pignoris & hypothecæ regularis supponitur : propterea hypotheca pereunte , manet totum debitum & obligatio illud solvendi in debitore , & Jus exigendi in creditore . Atque non alio modo constitui census in Hispania notat Ferdinandus a Castro , disp.6. dc just. punct.31. num.3. quod & moribus Gallicis receptum esse testatur cit. Gibal. num.3.

Perire vero hic est , cum res penitus destruitur , veluti si domus corruat , non etiam si ejus usus impediatur , uti interdum sumitur id verbum in Jure nostro , l.si constante , ff.sol.matr. l.cum unus , §.fin. ff.de bonis aut Judicis possid. Molin. disp.391. num.3.

Ubi domus censita corruit , si eam dominus eodem in solo iisdem ex lapidibus reparat , non propterea census revivisit , quia jam est alia domus ab ea , quæ destruta fuerat , & censui subjecta . Et patet ex simili in usufructu , nam si navis , ubi dissoluta fuerit , ex iisdem tabulis , nulla præterea adjecta , restatur , ususfructus tamen extintus est : secus vero si per partes reficiatur . Quod idem in domo restituta est , l.10. §. in navi , ff. quibus modis ususfructus amittatur , l.83. §.fascram , ff. de verb. oblig. Leotard. q.57. a num.36.

Id ipsum de vinea , quæ radicibus frigore exaruit , ita ut denuo implantata fuerit , docet Ugolin. de usur. cap.45. §.15. num.2. nam si tota , & integra renovanda , & recreanda fuit , utique interiit census ; fit enim jam alia vinea : fecus vero , si aliquæ tantum vites implantatae denuo sint , aut si sensim , & per partes vinea sit renovata ; tunc enim manet eadem vinea , & propterea census debetur , argumento ex l.proponebatur , ff. de judiciis , ubi partibus commutatis eadem res ex stimatur : nam & populus idem hoc tempore esse putatur , qui ab hinc centum annis fuisset , cum ex illis nemo nunc vivat : & sacra Deli navis , licet adeo saepe refecta fuerit , ut nulla tabula eadem permaneret , quæ non nova fuisset , tamen eadem fuit existimata . Quod etiam Alphenus in d.l. probat ex absurdo ; nam , ait , si quis putaret , commutatis , aliam rem fieri , sequeretur ut ex eadem ratione nos ipsis non iidem essemus , qui ab hinc anno fuimus : propterea quod ex quibus particulis minimis (atomos recte interpretatus Accursius) consistimus , ex quotidie ex nostro corpore decedunt , aliæque extrinsecus in earum locum accedunt . Quapropter cuius rei species eadem consistit , res quoque eadem existimatur . Non tamen sine ratione animadvertisit Leotard. d.q.57. num.54. censum istum non vineæ , aut vitibus dumtaxat , sed ipsis etiam solo , in quo consistæ sunt , imponi , ideoque evulsis vitibus , si ex solo fructus adhuc aliqui colligi possunt , censum ea ex parte remanere , ut mox clarius patebit .

At si res censita dolo , & culpa censuarii destructa sit , census quidem

Hem interit, cum accidens sublato subiecto pereat necesse sit; potest tamen dominus census pretium illius repetere, & quod sua intererit rem censitam fuisse destruetam: quæ actio personalis est. Ratio est, quia culpa & dolus censuarii non debet illi favere, illumque in meliori statu collocare, quam esset ante destructam rem censitam, *Navar. de usur. num. 118. Lessius 2. de Justitia, cap. 22. dub. 12. num. 9. Gratian. cap. 654. Tiraq. de retract. lignag. in fin. num. 67. qu. 13.*

Quæcunque, an quando censuarius rem censitam cogitur destruere aliqua urgente necessitate, nihilominus cogatur censum præstare, maxime si rem eandem restauret, & alio loco reponat? Exemplum esto, molendinum censui subiectum cogitur censuarius destruere ex eo, quod alveum suum flumen mutavit, & ex eadem materia illud iterum in alio loco commodiori collocat. Quæritur ergo, an ex ejus preventibus obligetur censum solitum persolvere?

Negant communiter DD. ex supradicta ratione, quia molendinum, cui impositus fuerat census, dirutum est: & illud, quod recens constructum est, quamvis ex tigulis, & mola prioris constructum sit, aliud tamen, & novum est, ut modo diximus de domo, & vinea. Census autem penitus evanescit, destructa re censita, sine dolo & culpa censuarii, *Azor. 3. par. lib. 10. de censibus, cap. 15. Molina disp. 394. Scaccia de commer. §. 1. q. 1. a num. 176.*

Excipe I. si dominus molendini potuit mediocribus impensis priorem alveum reficere, & illum ad prius molendinum ducere; nam tunc si illud destruat, quamvis loco commodiori ex eadem materia reædificet, in dolo esse dicetur; ex quo censum persolvere obligatur, argumento ex l. si certo, §. si totus, ff. de servit. rust. Leotard. qu. 57. num. 59.

II. Si molendinum erat, ut dicitur, bannale, seu banderale, quia vicini accolæ obligabantur ad illud molendi causa accedere: quod idem facere coguntur, ubi aut refectum omnino fuit, aut in alio loco fluminis collocatum: quippe tunc revera perstat census, qui super illis redditibus fuit constitutus. Ita si pontem disjecit fluminis impetus: vectigal tamen, quod transeuntes debent, non perit; nam præstandus est dum navi, quæ pro ponte substituta sit, trajiciunt. Quare & census illi ponti impositus ratione hujus vectigalis, adhuc in navi perseverat, *Scaccia loc. cit. num. 176. Leotard. d. q. 57. sub finem.*

III. Census extinguitur, quando res censita infrugifera, vel sterilis in totum, vel ex aliqua parte perpetuo facta fuerit; nam perit quoque census in totum, vel ex ea parte. Dicitur autem fundus infruetus reddi, quando illius status, & substantia ita mutatur, ut amplius ferendis fructibus idoneus non sit, ut si ager flumine, vel mari, vel aquis restagnantibus occupatur; aut si exundantibus aquis glorea, sabulo, & lapidibus obruatur, *Molin. disp. 391. num. 3. Leotard. q. 57.*

num.4. Et habetur in constitutione Pii V. Et ratio est , quia cum ejusmodi fundus ita in perpetuum sterilis factus est , perinde omnino se habet ratione fructuum , & pensionis ex illis colligendæ , ac si funditus periisset . Idipsum ex ususfructu confirmatur , a quo ad censum validum est argumentum per similitudinem , quam inter se habent : atqui mutatione rei , ususfructus amittitur , l.s. §.rei mutatione , l.s. si ager , ff. quibus modis ususfr. amittatur .

Aliud est , si res censita casu aliquo , nulla facta ejus substantiæ mutatione , sterilescat per unum , vel plures annos ; non enim census extinguitur , Molin. loc. cit. num.4. Navar. de usur. num. 117. Leotard. d.q.57.n.6. Ita etiam si vi quadam calamitosæ tempestatis fructus pereant , ut ait Ulp. in l. ex condicione , §. si vis , cum seqq. ff. locatis , ubi etiam exempla afferit flurnorum , & graculorum , & si raucis , aut herbis segetes corruptæ sint . Raucotum nomine Cujac. 15. obf. 28. intelligit ex Plinio vermiculos , qui radices corrodunt , reprehendens Alciatum , qui 7. parergon.5. pro raucis legit erucas . His ergo casibus integra pensio persolvenda est , Lessius 2. de justitia 22. num.88. quandoquidem census realis non est Jus percipiendi eosdem numero fructus , qui ex re censita nascuntur ; alioquin non posset censuarius de illis pro arbitrio disponere : sed est Jus percipiendi certum annum canonem ex aliqua re , quandiu illa manet , & frugifera est , itaut fertilitas aliquorum annorum , aliorum sterilitate compensetur : aliter infinitæ forent lites inter emtores , & venditores horum censum , Salas de censib. dub. 10. & 41. Filiuc. eod. tract. cap. 2. num. 296. & 330.

Itaque integra pensio solvenda est die statuta , neque tenetur dominus census debitori dilationem concedere , & expectare , donec ex fructibus annorum subsequentium possit illa sterilitas compensari ; quia casus fructuum ad dominum census minime pertinent , Leotard. d. qu.57.num.17. contra Cencium qu.38. & Duard. in §.4. qu.1.num.14. & 21.

Objicies ex textu in legatum 17. §. vini , ff. de annuis , & menstruis legat. ubi legantur : *Vini Phalerni* , quod domi nascetur , quotannis , in annos singulos bini cullei . Respondet vero Labec. Etiam pro eo anno , quo nihil vini natum esset , deberi duos cullos , si modo ex vindemia ceterorum annorum dari posset . Debet igitur ubertas sequentium annorum expectari , ut illius , quo nihil vini natum fuit , sterilitas compensetur : neque heres prius cogendus erit ad illius anni redditum solvendum : sed ubi feracior fuerit annus , solvet etiam pro præterito anno , ob cujus sterilitatem non fuit soluta pensio . Idem habetur ex l. inter , §. sacram , ff. de verbis obligat. & l. Firmio , ff. quando dies legat. cedat.

Confirmatur , quia pensionem reservatam super fructibus beneficij non

non tenetur praestare beneficiarius eo anno, quo nulli fuere collecti; sed sequenti dumtaxat, dum ubiores proventus fuerint, utramque solvet, *Gigas de pensionib. qu.62. num.7.*

Respondetur tamen negando paritatem; quia in legato supraposito, pensione, & similibus, fundus ponitur taxationis gratia, quia ex illius tantum fructibus tenetur heres solvere legatum, & beneficiarius solvere pensionem: unde merito ex re ipsa sequitur dictio; & tunc tantum incipit actio adversus eos, cum aut legatum, aut pensio praestari potest: quippe inest ea tacita conditio, si fructus nascatur, *i.e. s.ult. ff. de condit. & demonstr.* Non ita est in censu reali, qui non imponitur fructibus rei censitae, neque ex ejus fructibus præstandus est: propterea quandiu illa secunda permanet ex natura sua, licet aliquo casu nullos, vel modicos fructus dederit, debetur pensio, & census illi impositus, *Gibalinus art.24. num.3. ad finem.*

III. Census extinguitur, quoties debitoris bona, qui solvendo non sit, in S.C. deducuntur, daturque eis curator, & fit creditorum, ut dicitur, graduatio; cuius ea vis est, ut impedit aeris alieni incrementum, censumque ipsum cessare faciat, *Roccus 10.2. resp.27. n.11.*

IV. Petita rescissione contractus, illico annuus census extinguitur, ut idem Rocc. docet *loc.cit. num.3.* Giurba *dec.55. num.15.* Mariscott. *var.61.* Moventur ex eo, quia per sententiam, qua contractus rescinditur, debitor condemnatur ad census solvendos, qui decursi sunt usque ad litis contestationem. Ex quo apparet, census non debet usque ad sententiam rescissoriam, sed statim lite contestata cessare, *Rovitus ad pragm.1. de censib. num.38.*

Alii tamen in contrarium nituntur, docentque census deberi usque quo contractus per sententiam rescindatur, & rescissionis excusatio fiat, *Franch. dec.173. Marcian. 10.2. disp.59. num.8.* Quæ sententia ve- rior de Jure est, quia extinctio census, non potest fieri, nisi tollatur contractus, ex quo debetur; sola autem rescissionis petitio non tollit contractum, sed exigitur sententia; quare per eam solum census extinguitur.

Hinc est, quod in S.C. post conclusum in causa, præcipitur debitori ut solvat tertias decursas; aliter providebitur super rescissione contractus. Ex quibus patet non recte per sententiam debitorem condemnari ad solvendos eos tantum census, qui ad litis usque contestationem decursi sunt, qua praxi se Adversarii tuebantur.

V. Extингuitur census redemptione, quæ a quocumque censuario fieri potest, nisi conventum sit, ut sit irredimibilis. Quod si fuerint plures ejusdem censuarii heredes, potest quilibet ipsorum cogere dominum census, ut partem, quæ ad ipsum pertinet, revendat, ut probatur ex *luxorem, sagri, ff. de leg.3.* in ea enim heres gravatus plaga agri

vendere Publio, & Cajo, si Caius nolit emere, tenetur nihilominus heres Publio volenti emere, suam partem vendere; quandoquidem Iura defuncti dividuntur inter heredes pro rationibus hereditariis, l.2. C. de hered. vendit.

At vero, si ex pacto in contractu censuali apposito, nequeat unus heres suam partem redimere, quin alii heredes concurrant ad eam redemtionem, non poterit illos cogere ad redendum, Felician. lib.4. cap.unic. num.13.

Objicies ex l.his consequenter 18. §.Celsus, ff. fam. ercisc. ubi habetur coheredem in judicio familie erciscundae posse agere, ut cogatur coheres solvere, cum alias non sit liberatus rem creditor, nisi in solidum ei satisfiat. Itaque cum in eo casu coheres possit ceteros coheredes ad solvendum cogere, poterit etiam ad censem redendum; nam in utroque casu æque interest heredis, tam si solutionem debiti, quam si redemtionem census intentet, ut ceteri coheredes concurrant; cum alter neque illa debiti solutio, neque census redemtio præstari possit.

Verum longe diversa ratio est inter casum nostrum, & eum, qui in d. §.Celsus proponitur: in eo enim agebatur de pignore luendo e manibus creditoris, quæ luitio necessaria erat ad judicium familie erciscundæ complendum inter coheredes; nam præter alia defuncti bona, pignus ipsum, aut ejus valor, distribui inter ipsos debebat: nec ea distributio recte fieri poterat, nisi pignus lueretur. Qua urgente necessitate lex cogit coheredes ad reluendum, quoties unus ex ipsis reluere velit. Quæ utique necessitatis ratio non est in casu nostro, ubi coheredes recte possunt sine redemtione census, rem censitam inter se partiri. Et hæc est vera explicatio d. §.Celsus, quamvis alii dicant ibi agi de re individua: quod gratis omnino affirmatur; nam nihil obstat pignus esse potuisse rem dividi, vel consistere in pluribus rebus jam divisis, ut e.g. in annulo, & vase.

Ceterum redemtio census fit restitutione sortis, argumento ex l.2. C. de partis inter emtorem, Rocc.2. resp.49. num.1. Boer. dec. 182. n.38. ita tamen, ut possit vendor pacisci cum emtore de redimento censu eo pretio, quo tempore redemtionis æstimabitur: quippe ejusmodi patrum nullam injustitiam continet, præsertim quod æqualis sit contrahentium conditio, cum decrementum valoris æque incertum sit, atque augmentum, Salas de censib. concl.8. num.19. Lessius de justitia, cap.22. dub.7.

Cum vero census redimitur, non est necesse, ut Censualista servet solemnitates, quæ in rerum immobilium alienatione servari debent; quandoquidem hæc requiruntur ad alienationem voluntariam, quamque alienans prohibere potest, si velit; non autem ad alienationem necessariam alienanti, qui illam impedire nequit, etiamsi maxime velit;

ut

ut patet ex *l. alienationes*, ff. *fam. ercif. l. peto*, §. *predium*, ff. *de legat. 21*.
At vero census alienatio per restitutionem fortis, seu redemtionem non
est voluntaria creditoris, neque ab illa impediri potest, quia sequitur
ex natura contractus, nisi aliter conventum sit. Ergo non requirit ad
sui validitatem solemnitates a Jure in alienationibus praescriptas, Ro-
dericus 2. de *reditibus*, q. 15. num. 80. Ferdinandus a Castro 6. de *justi-
tia*, punct. 27. §. 6. num. 2. contra Felicianum to. 2. lib. 4. cap. 7. qui pro-
pterea docent, solutionem hanc fortis posse fieri tutori, aut curatori
fine decreto Judicis: quia decretum hoc non est necessarium in eo actu,
quem pupillus aut minor necessario substinet, *l. a D. Pio*, §. *fin. ff. de
re judic.* l. 3. §. 1. ff. *de reb. eorum.*

F I N I S.

IN



I N D E X

T R A C T A T U M ,

Et cujusque Tractatus Capitum.

De Pignoribus, & Hypothecis.

- D**e nominibus, & definitionibus Pignoris, & Hypothecar, pag. 2.
De divisione Hypotheca, 5.
An quandoque in re sua Pignori consistat, 9.
De Hypotheca expressa, 15.
An Pactum de retrowendendo pariat hypothecam, sic ut re alienata possit contra tertium possessorem agi, 17.
Virum bona fide commissio subjecta possint hypothecari, 24.
Virum alienationis nomen in contractu appositorum & hypothecam comprehendat, 29.
De lige Commissoria pignori adjecta, 33.
An in venditione Pignoris licet purgare moram, 42.
De Hypotheca tacita, 47.
De Hypotheca alimenterum, ibid.
Quando ex pecunia pro re data contrabatur in rem hypotheca, 51.
De Hypotheca tacita ejus, qui empbytem concessit, 54.
De Hypotheca orta ex administratione, 59.
De Hypotheca usurarum & fructuum, 63.
De jure & ordine Creditorum, 65.
Quando Creditor ex instrumento cum hypotheca posterior preferatur Creditoris ex Iudeobiro anteriori, 66.
An tacita Hypotheca anterior preferatur expressae posteriori, 68.
De ordine scripturæ inter hypothecarios, 70.
De Hypothecis, quarum quæ prior sit, non appareat, 73.
Quando hypotheca generalis preferatur speciali, aut contra, 76.
De ortu hypotheca ad prælationem obtinendam, 78.

De

De bonis Maternis , & Materni generis.

AN bonorum nomen universale semper sit , pag.82.

De quibusdam patrii Juris affectibus , 87.

Num bona adventitia extiterint ante Constantium Magnum , 88.

Quid Filiis familias Patri in bonis maternis acquirat , 92.

De Jure administrandi , quod Pater habet iu bonis filiis maternis ; aliisque advenitiss , 96.

An quando ususfructus sub domino comprehendatur , 117.

De prohibita Patri administratione in bonis filii , quae administrat , 119.

De natura alienationis , 120.

Virum sub prohibitione Alienationis comprehendatur Usucapio , & Praescriptio , 123.

An qui occasione acquirendi non utitur , dicatur alienare , 125.

An prohibitus alienare extra familiam possit beredem extraneum instituerre , 128.

De Patre alienante , 132.

Ad Autb. Nisi tricennale , 135.

De Officio ejus , cui mandata est Jurisdictio.

DE Jurisdictione , & ordinariis Judiciis . pag.139.

De Judiciis ordinariis , 141.

De extraordinariis Judiciis . 145.

De Mito Imperio , 148.

De Modica Coercitione , 153.

Virum modica Coercitio Magistratibus municipalibus competat , 155.

Virum detur Jurisdictio simplex , & sine Imperio , 162.

De Mero Imperio , 163.

Quibus merum Imperium competit , & quomodo , 166.

Virum Magistratus Meri Imperii habeat tantum exercitium , Jure penes Principem manente , 169.

De Edendo .

DE priori Edicto , pag.173.

De emendatione , & mutatione actionis , 176.

Quibus casibus Reus edat Actori , 181.

De posteriori Edicto , 184.

De

T R A C T A T U M;

De Transactionibus.

AN cognitio de alimentis transigendis delegari possit, 188.

An praetextu immodeca lasonis Transactione rescindatur, 191.

Virum de controversiis, quae ex testamento proficiuntur, aliter transfigurari possit; quam inspectis cognitisque verbis testamenti, 196.

De Vulgari & Pupillari Substitutione.

DE definitione & divisione Substitutionis, 201.
Si cui concessa est potestas disponendi aut testandi, an si idem vulgariter substituere possit, 204.

Vtrum in testandi aut disponendi potestate comprehendantur potestas pupillariter substituendi, 207.

An in substitutione pupillari insit vulgaris, 211.

Corollaria, 218.

An insit tacita Vulgaris, vel Pupillaris, cum Mater est in medio, 221.

Corollaria, 226.

An substitutio vulgaris tollat existentiam sui hereditatis, & eum ex necessario faciat voluntarium, 227.

An transmissarius Justinianus substitutum vulgarem excludat, 235.

De Transmissario Theodosiano, 244.

Filiofamilias recusante hereditatem, cum Pater substituto vulgaris preferatur, 247.

Vtrum substitutus vulgaris excludatur a fisco, 248.

Vtrum substitutio in unum casum concepta trahi possit ad alteram, 250.

Vtrum ob pubertatem vulgaris tacita expiret, 253.

Vtrum substitutio pupillaris facta a patre filio puberi, vel amatre filio impuberi, tacite vulgarem comprehendat.

Vtrum qui substitutus est vulgariter & per fideicommissum, habeat electionem, 259.

De Milite substituente filio ultra etatem pupillarem, 261.

An nudum sui hereditatis nomen confirmet tabulas pupillares, 263.

De cogendo herede ut adeat, ubi tabulae pupillares adsunt, & simul fideicommissum factum est, 267.

Substitutus, qui ex pupillari factus est, an teneatur respondere Creditoribus, 271.

De Nepotibus postumis, & iis, qui postumorum loco sunt, hereditibus instituendis, 276.

Rer.

Tra.

I N D E X

- Traſtatus prior de Formula Galli , 279.
De explicationibus Scævolaे , 283.
Traſtatus posterior de Lege Julia Vellea , 285.
Filiū non ſemper ſtati m ſuum heredem eſt , 289.*

De Mora.

- D**Efinitio Moræ , 292.
*Utrum Mora non unquam ſine dilatatione alla contrahit poſſit , 293.
Utrum ad Moram requiratur delas , an ſatis ſit culpa , 295.
De diuīſione Moræ , & qua ratione contrahatur , 298.
De effectibus Moræ , 308.
De effectibus Moræ Debitoris , 309.
Utrum dandi faciendive difficultate Reus evadat Moram , 312.
De Mora Creditoris , 318.
De Aëſtimatione rei debitæ , 322.
Utrum lite confeſta cum Donatore , qui rem donatam non reſtituit , uſu-
ræ vel fructus debeantur , 324.*

De Donationibus.

- D**Efinitio Donationis , 333.
*An Donatio aliquando non fit acquisitio , ſed contractus , 335.
Donationem quandoque non aliationem , ſemper eſſe acquisitio-
nem , 340.
An Donatio quandoque fit modus acquirendi universalis , 347.
De diuīſione Donationum , 356.
De Donatione , in qua alter dari quid , vel fieri conuentum eſt , 377.
De Autidoro , ſeu Remuneratione , 383.
De modis , quibus vel Donatio fit , vel ad donandum obligatur , 391.
De Personis , que donant , que donationem accipiunt , 412.
An Donatio inter Patrem Filiumque familias jurjurando firmari po-
ſit , 420.
An inter Patrem Filiumque familias dotis cauſa Donatio ruitat , 425.*

De Censibus.

- D**E nomine & ſubſtantia Census , 434.
Vtrum Census rerum immobilia nomine comprehendantur , 436.

T R A C T A T U M,

De divisione Census, 438.

An pactum Commisii in Censo reservativo valeat, 442.

Utrum in dubio contractus presumatur Emphyteuticus, an Census reservatus, 443.

De Hypotheca Census Consignativi & Reservativi, 444.

Utrum in emptione Census Consignatus necessaria sit pecunia numerata, 446.

An Census omnis sit redimibilis, 449.

An Census Consignatus sit injustus, & usurarius, 450.

De re, qua Censui subjicitur, 453.

Corollaria, 460.

De personis Censum constituentibus, 461.

Proprietarius, 462.

Usuarior, 463.

Usufructuarius, ibidem.

Feudatarius seu Baro, 464.

Emphyteuta, 465.

Liberarius & Superficiarius, 467.

Probibitus alienare, 468.

Hæres fideicommiso gravatus, 469.

Maritus, 472.

Emptor, 474.

Administrator Universitatis & Ecclesie, ibidem.

De pretio Census, 475.

De partis Censui appositis, 477.

De pacto anticipata solutionis, ibidem.

De pacto retinenda rei hypothecata,

De pacto casuum fortuitorum, ibidem.

De partis punientibus Moram, 481.

De partis circa onera, 482.

De actionibus Censualista, & exceptionibus Censuarii, 483.

De extinctione Census, 487.

F I N I S.

INDEX RERUM, ET VERBORUM NOTABILIUM.

A.

- A**ccusatus in causa criminali, a quo bona petantur, an possit contra ipsa pendente compelli ad inventarium conficiendum, vide v. Inventarium.
- Actiones an veniant sub nomine bonorum, pag. 83.
- Actionis mutatio & emendatio an & quando fieri possit, 176.
- Actiones quæ competant Censuali. Ita, 483.
- Actor quomodo differat a Procuratore, 181.
- Administrator Universitatis vel Ecclesiæ an possit constituere censum, 474.
- Administratio quomodo inducat Hypothecam tacitam, vide v. Hypotheca.
- Administratio quomodo debeatur Patri in bonis filii maternis, aliisque adventitiis, 96.
- Æstimatio rei debita in materia More quomodo defumatur, 322.
- Alienare prohibitus an possit constituere censum, 468.
- Alienationis nomen in contractu appositum an & hypothecam comprehendat, vide v. Hypotheca.
- Alienatio an prohibetur Patri in bonis filii, quæ administrat, 119.
- Alienationis natura, quæ sit, 120.

- An comprehendat Usucaptionem & Prescriptionem, 123.
- Alienare an dicatur, qui cum possit, non acquirit, 125.
- Alienare prohibitus extra familiam an possit heredem extra. neum instituere, 128.
- Alienare an, quæ, quomodo, & quando posse Pater, 132.
- Alimentorum rite an pariat Hypothecam tacitam, vide v. Hypotheca. 47.

B.

- B**aro an possit constituer censem in Feudo, pag. 464.
- Bona fidelcommisso subiecta an possint hypothecari, vide v. Hypotheca.
- Bonorum nomen an semper sit universale, 83.
- Bona adventitia an extiterint ante Imperatorem Constantium, 88.

C.

- C**ensus Etymologia & Definitione, pag. 434.
- Census an rerum immobilium nomine comprehendatur, 436.
- Census quotuplex sit, 438.
- Census Reservatius an admittat pactum commissi, 442.
- Census Consignativus, & Regis 3 sero.

TITULI IN D E X
servativus quoad Hypothecam.

444.

Census Consignatus an necessario requirat pecuniam numeratam in ejus emtione, 446.
Census omnis an sit redimibilis, 449.

Census Consignatus num sit iustas & usurarij, 450.
Censu quæ res subjici possit, 453.
Census a quibus possit constitui, 461.

Census quoad pretium, vide v. **Pretium**,

Census quoad passu, vide v. **Patetum**,

Census quomodo extingnatur.

Coercitio Modica quid, & quæ ejus partes, 153.

An Magistratibus Municipali bus competat, 155.

Cognitio de alimentis transfigendis an delegari possit, 188.

Commissoria lex pignori adjecta late explicatur, 33.

Communia verba in Jure non dantur, 257.

Contractus in dubio an presumuntur emphyteusis, vel **Censu** servativus, 442.

Conventus in causa civili, c. quo bona petantur, an possit controversia pendente compelli ad inventarium conficiendum, vide v. **Inventarium**,

Creditorum concursus late explicatur, 65.

Creditoris Mora quomodo, & in quibus casibus ei noceat, 318.

Cretio in quo differat a Jure delib erandi, 237.

Dicitur in solutum an licita in pag. 40.

Debito post moram quando teneatur de inservitu rei, 309.

Delegari an possit Cognitio de alienis transfigendis, 188.

Dominum suo quando comprehendat Usurarij, 117.

Donatio inter Patrem & Filium ex invalida, 90.

Donatio & definitio, 333.

Donatio nunc aliquando non sit acceptatio, sed contractus, 336.

Donatio an quandoque non sit alienatio, 340.

Donatio alienæ an valeat, 345.

Donatio an quandoque sit modus acquirendi universalis, 347.

Donatio quotuplex sit, latissime explicatur, 356.

Donatio, in qua alteri dari quid, vel fieri conventum est, ejusque effectus, 377.

Donatio remuneratoria exponitur, 383.

Donatio quot modis fiat, 391.

Donatio quoad personas, quæ donant, quæque donationem accipiunt, 412.

Donatio inter Patrem & Filium an Jurejuranda dari possit, 420.

Donatio an subsistat dotis causa inter Patrem, Filiumque familiias, 425.

E.

E. Dicatum Prætoris de edendo quotuplex, pag. 172.
Præ-

Primi Editti quo^t fiat par-
tes, 173.

Secundum Edictu^m explicata-
tur. 184.

Editio actionis an precedet voca-
tionem in Jus, 172.

Editio quibus casibus fiat Actori
a Reo, 181.

Emphyteusis patias Hypothe-
cam tacitam, vi^e v. Hypothe-
ca.

Emphyteuta an possit constituere
censum in re, in qua liber-
phyteusim, 473.

Emitor cum pacto de retrouendendo
aut integro pre^tio non solutus,
an possit constituere censum,
474.

Exceptiones quo^t competant Cen-
suaria, 48.

F.

F *Eudatarius an possit consti-*
re censum, pag. 464.

Fideicommissarias an Jus trans-
missionis habeat, 245.

Filius familiæ delinq^uens an eva-
dat pœnam, si offratur Judici
a Patre, 87.

Filius familiæ quid acquirat Pa-
tri in bonis paternis, 92.

Et quid inter sit furiosus,
93.

Filius abducⁱⁿ potestate an possit
contra alienationem paternam
agere, 136.

Filium non semper statim suum
baredem esse, 289.

Fiscus actor quibus casibus com-
pellat Rem ad edendum, 181.

G.

G *Ali Formula late explicata,*
pag. 279.

Graduum interruptio an vitiet fi-
deicommissum, 246.

H.

H *Hæres institutas non potest*
cogi ad adeundum ex Tre-
belliano, pag. 260.

Hæredis sui domus nomen an con-
firmet tabula pupillares, 263.

Hæres an cogi possit, ut adeat,
tabula pupillares adsunt,
simul fideicommissum factum
est, 267.

Hæres fideicommissio gravatus an
possit constituere censum, 469.

Hypotheca quid sit, 2.

In quo distet a Pignore, 3.

Quomodo dividatur, 5.

Hypotheca expressa quomodo con-
trabatur, 16.

Hypotheca an oriatur ex pacto de
retrouendendo, ita ut re aliena-
tata, possit contra tertium pos-
sessorem agi, 17.

Hypothecari an possint bona fidei-
commisso subjecta, 24.

Hypotheca an intelligatur prohibita,
alienatione prohibita, 29.

Hypotheca tacita quomodo &
quando contrabatur, 47.

Hypotheca tacita, quo^t oritur ex
cauja alimentorum, ibid.

Hypotheca tacita an contrabatur
ex pecunia pro re data, 51.

Hypotheca tacita an detur ei, qui
em-

I N D E X

- emphyteusim concessit*, 54.
Hypotheca tacita, *inducta ex ad-*
*ministratio*ne, 59.
Hypotheca tacita *an detur pro*
Usuris & Fructibus, 63.
Hypotheca posterior ex instrumen-
to an præferatur anteriori
chyrographo, 67.
Hypotheca tacita anterior an præ-
feratur expressa posteriori, 68.
Hypothecarii an præferuntur in-
ter se ex ordine scripturæ, 70.
Hypotheca, *quarum quæ prior sit*
non appareat *modo præferan-*
tur, 73.
Hypotheca generalis quando præ-
feratur speciali, *aut contra*
76.
Hypotheca quando oriatur a p. c.
lationem obtinendam, 7.
Hypotheca Census Consignatiæ &
Reservativi, 444.

- I**mpensa quas tenetur reficere
Uxor Viro, pag. 114.
Instrumentum quomodo debet edi
Reo ab Actore, 174.
Inventarium an confidere cogatur
controversia pendente accusatus
in causa criminali, *vel-conven-*
tus in causa civili, *a quo bona*
petantur, 104.
Judicia ordinaria, & *in eis ve-*
tus ordo, 141.
Judicis datio utrum misti Imperii
sit, *an Jurisdictionis*, 143.
Judicia extraordinaria quæ, 145.
Jurisdic^{tio} quotupliciter in Jure
acciipiatur, 139.
Quomodo definitur, 141.

- Jurisdic^{tio} simplex sine Imperio an*
detur, 162.
Jus deliberandi late explicatur,
& in quo differat a Cretione,
236.

L.

- L**egatarius *an recte petat*; *ab*
bærede sibi edis exhiberive ta-
bulas testamenti, pag. 182.
Legatum Bonorum an comprehen-
sdat Venalia, *vide v. Venalia*.
Legata Julia Vellea late explicatur,
285.
Libellarius an possit constituere
censu, 467.

M.

- M**agistratus Municipales, *ed-*
rumque Jurisdic^{tio}, pag. 157.
Maritus in re dotali an possit con-
stituere censem, 472.
Merum Imperium quid, 163.
Quibus competat, & *quomo-*
do, 166.
Miles an possit substituere Filio ul-
tra etatem pupillarem, 261.
Mistum Imperium quid, & *quæ*
ad illud pertineant, 148.
Mora an possit accipi in vendi-
tione Pignori, 42.
Mora definitio, 292.
Mora num aliquando contrahē
possit sine nulla dilatione, 293.
Mora an necessario requirat do-
lum, 295.
Mora quotplex sit, & *qua ratio-*
ne contrahatur, 298.
Mora in quibus casibus etiam re
ipsa committatur, 306.
Mo-

R E R U M,

- Mora debitoris effectus, 308.
 Mora an evadatur ob dandi sa-
 ciendive difficultatem, 312.
 Mora Creditoris effectus, 318.
 Mora effectus quoad estimationem
 rei debita, 322.

P.

- P**actum Committi an valeat in
 Censu reservativo, pag. 442.
 Pactum anticipatae solutionis in
 licitum in Censu, 477.
 Pactum retinenda rei hypothecatae,
 an in Censu substineatur, 478.
 An Pactum casuum fortuito-
 rum, ibid.
 An Pactum puniens mora,
 481.
 An Pactum circa onera, 482.
 Pater administrator adventitio-
 rum Filii in quibus casibus con-
 neatur eidem reddere rationem,
 105.
 Pater quo nomine in judicium ve-
 niat in bonis adventitiis, 109.
 An exigatur Filii consensus
 in hujusmodi judicio, ibid.
 Pater per se absque Filio potest
 accipere possessionem adventitio-
 nem, 108.
 Pater judicium suscipiens pro Fi-
 lio in bonis adventitiis an possit
 Procuratorem constitutere, 112.
 Pater in quibus differat a ceteris
 Fructuariis in quantum ad ea,
 quae ad lites & judicia spe-
 ctant, 113.
 Peculium Castrense & Pagan-
 cum, eorumque natura, & jura
 tam jure veteri, quam novo, 81.
 Pecunia numerata an necessario

- requiratur in emtione Censu
 Consignativi, 446.
 Pignus quid sit, 2.
 In quo distet ab Hypotheca,
 3.
 An in re sua quandoque con-
 sisitas, 9.
 Pignus, cui adjicitur lex Com-
 missoria, an substineatur, 34.
 Quid accedente juramento,
 35.
 Quid si adjiciatur dotis cau-
 sa, 39.
 Pignus an admittat dationem in
 Censum vel pro soluto, 40.
 Pignus an in ejus venditione ad-
 mitat purgationem morae, 42.
 Postumus quomodo haeres institua-
 tur, 276.
 Postumorum quot species sint, 277.
 Pretium Census quodnam sit ju-
 stum, 475.
 Procurator quomodo differat ab
 Attore, 112.
 Proprietarius an possit constituere
 censem in re, in qua habet pro-
 prietatem, 462.

S:

- S**cripturæ ordo an inducat pre-
 sationem, 70.
 Statutum loquens de Pignore an
 trabi possit ad Hypothecam, 4.
 Substitutio quid & quotuplex sit,
 201.
 Substitutio vulgaris an possit ordi-
 nari ab eo, cui concessa est po-
 testas disponendi aut testandi,
 204.
 Quod de substitutione pupillari,
 207.

Sub:

I N D E

- Substitutio pupillaris an continet
vulgarem,* 211.
*Substitutio tacita vulgaris, vel
pupillaris, an insit, cum Ma-
ter est in medio,* 221.
*Substitutio vulgaris an tallat e-
stentiam sui hereditatis, & eum
ex necessario faciat voluntati-
rum,* 227.
*Substitutus vulgaris excluda-
tur per Transmissariam Justi-
nianeum,* 235.
*Substitutus vulgaris an exclu-
datur per Patronum, Filios familias
recusante hereditatem,* 247.
*Substitutus vulgaris an exclu-
datur a Fisco,*
*Substitutio in unum casum con-
tra an trahi possit ad alterum,* 250.
*Substitutio vulgaris tacita an ex-
pires ob pubertatem,* 253.
*Substitutio pupillaris facta a Pa-
tre Filio puberi, vel a Matre
Filio impuberi, an tacite vul-
garem comprehendat,*
*Substitutio ab initio nulla ac-
tatur in fideicommissum,* 257.
*Substitutus vulgariter & per fi-
deicommissum an habeat electio-
nem,* 259.
*Substitutio an possit fieri per Mili-
tem Filio ultra etatem pupilla-
rem,* 261.
*Substitutus ex pupillari succedens
an teneatur respondere Credito-
ribus,* 271.
*Superficies quid sit, ejusque di-
visio in Urbanam, & Rusti-
cam,* 82. & 83.
*Superficiarius an possit constituere
censum,* 267.

T.

- Extus in Auth. Nisi tricen-
tale late exponitur, pag. 135.*
Transactio an sit contractus, 187.
*Transactio an rescindatur prætex-
tu immodicæ laesæ,* 191.
*Transactio an fieri possit de contro-
versis, quæ ex testamento pro-
ficiuntur, aliter quam inspe-
ctis cognitisque verbis testamen-
tiis,* 196.
Transmissio quotuplex sit, 235.
*Transmissarius Justinianeus an
substitutum vulgarem excludat,*
ibidem.
*Transmissio Theodosiana late ex-
pliatur, atque de ea plurima
notatu digna,* 244.

V.

- Enalia an continentur in
legato Bonorum,* pag. 84.
*An intelligantur tacite pi-
gnorata domino locatori pro pen-
sione prædii,* 86.
*Usucapio an prohibita censatur,
prohibita alienatione,* 124.
*Usuarius & Usufructuarius an
possint constituer censum, cu-
jus habent usum & usumfru-
ctum,* 463.
*Ususfructus cum venditur, quid
transferatur in Emptorem,* 96.
*Ususfructus, quem habet Pater in
bonis Filii adventitiis, quibus
in rebus dist a communi Usu-
fructu,* 99.
*Ususfructus an & quando sub do-
minio*

R E R U M;

minio comprebendatur; 117.
Usufructarius universalis ex testamento debet possessionem eiusdem baredis nancisci. 108.

Usuræ vel fraudis an debeantur, lite contestata cum Donatore, qui rem donatam non restituit; 324.

Sacrosanctæ Individuæ Trinitati Laus,
Honor, & Glòria. Amen.

